BIBLIOTECA NAZ.
XV
E
31
NAPOLI

XV
e
31

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
E
31
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOSEPHI PASCHALIS CYRILLI

In Regia Neapolitana Academia

Juris Civilis Ordinarii Profeſſoris

INSTITUTIONES CANONICÆ

A D

VIRUM AMPLISSIMUM

MARCHIONEM

BERNARDUM TANUCIUM

CAROLI BORBONII

Regis Neapolitani a Secretis.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Excudebat Neapoli ex publica auctoritate an. MDCCXLV.
Johannes Franciſcus Paci.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

GIanfranceſco Paci pubblico padron di Stampe deſiderando dare alla luce le Iſtituzioni Canoniche del Regio Profeſſore D. Gioſeffo Cirillo, ſupplica umilmente V. E. a volerne commettere la reviſione a chi le parrà, e l'avrà a grazia ut Deus.

Dominus D. Cyrus de Alteriis Sacræ Theologiæ Profeſſor revideat, & referat. Datum Neapoli hac die id. Octobr. 1744.

Julius Nicolaus Epiſcopus Archiep. Can. Deput.

EMINENTISSIME DOMINE.

LIbrum, cujus inſcriptio eſt, *Joſephi Paſchalis Cyrilli in Regia Neapolitana Academia Juris Civilis Ordinarii Profeſſoris Inſtitutiones Canonicæ*, multa, Tuo imperio, Eminentiſſime Domine, diligentia, atque animi hilaritate percurri, dum in eo nihil non acute, ac ſubtiliter dictum, nihil quod ſummam in Eccleſiaſtica re criticen, ac peritiam non redoleat, deprehendi: atque ea omnia maxima cum Fidei dogmatis, atque integris moribus conſenſione. Quare, ſi ita quoque Eminentiæ Tuæ videbitur, ad juventutis in jure Canonico firmandum judicium, promovendumque ſtudium, excudi formis, atque evulgari, perquam utile fore exiſtimabam. Neapoli ſeptimo Kalend. Decembr. MDCCXLIV.

Em. Tuæ

Humil. & obſequentiſs. famulus

Cyrus de Alteriis.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

GIanfranceſco Paci pubblico Padrone di Stampe deſiderando ſtampare le Iſtituzioni Canoniche del Regio Profeſſore D. Gioſeffo Cirillo, ſupplica umilmente V. E. a volerſi degnare di commetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà convenevole, e l'averà a grazia ut Deus.

Ad U. J. D. D. Carolum Gagliardo Profeſſorem Juris Canonici in hac Regia Studiorum Univerſitate pro reviſione. Die 8. menſis Auguſti 1744.

Nicolaus de Roſa Epiſcopus Puteolanus.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINE

CAnonicæ Inſtitutiones a præſtantiſſimo viro U. J. D. D. Joſepho Paſchali Cyrillo, optimo Civilis Juris hoc in Regio Archigymnaſio Interprete concinnatæ nil contra jus Regis, aut Regni leges ac mores adverſum, ſed imo ſolidam ſacrorum Canonum doctrinam, recondita Eccleſiaſticæ diſciplinæ monimenta, omnigenam [illegible]ionem, & Cujacianam interpretandi ac docendi venam conti[illegible] Ea idcirco quæ typis publicentur, quam maxime dignas cen[illegible] Neapoli id. Septembris CIↃIↃCCXLIV.

Humil., & obſequentiſs. cliens

Carolus Gagliardus.

Die 12. menſis Novembris 1744. Neapoli.

[illegible] ſcripto Suæ Regiæ Majeſtatis de die 11. currentis menſis, & [illegible] relatione facta per U. J. D. D. Carolum Gagliardo de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris de ordine præfatæ Regiæ Majeſtatis,

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis Libelli, ac approbationis dicti Reviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

MAGGIOCCO. DANZA.

Ill. Marchio de Ipolito Præſes S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Cæteri Illuſtres Aularum Præfecti non interfuerunt.

Regiſtrata in Reg. Regalis Juriſdictionis fol. 8.

La Rocca. Athanaſius.

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO

MARCHIONI BERNARDO TANUCIO

CAROLI BORBONII

Regis Neapolitani a Secretis

JOSEPHUS PASCHALIS CYRILLUS

S.

QUotquot ego libros edidi ad hunc diem inde uſque ab eo tempore, quo primum huc demigraſti, omnes tibi Juris Divini, atque humani ſcientiſſimo Viro inſcriptos volui: atque hunc etiam, qui nunc prodit, tibi do dedico, Bernarde Tanuci. Quorſum? ais. Dicam. Eorum, qui ſub alicujus nomine vel ſua vel aliena emittunt Opera, triplex genus. Plerique id ſpectant unum, ut aſſentando aliquid inde ſibi pecuniæ abradant. Horum numero non ſum, Tanuci ampliſſime; primum enim nihil abeſt ab ingenio meo longius, quam aſſentari: tum næ ego ſtultus, ſi falſas tibi laudes affingerem, qui veras non pateris: & certe improvidus,

ſi quid

ſi quid æris abs te expectarem, cujus non ultima laus eſt, in tanta; in qua verſaris, luce pecunioſum non eſſe. Nonnulli potentiorum, qui metum ſpemve injiciunt, demereri ſibi gratiam ſtudent, quo poſſint eorum fide tuti aut mali aliquid declinare, aut adrepere ad honores. Ne *his quidem accenſendus ſum ego, qui probe novi, te, licet apud optimum Regem auctoritate plurimum valeas, eum tamen eſſe, nemo ut ſit, qui a te vel metuat ſibi, vel ſibi ſperet ſupra leges. Sunt demum, qui id faciunt in eum finem, ut aliquam publice edant ſummo alicui Viro obſequentis animi ſignificationem. Me in his eſſe exiſtimes, rogo, quæſoque, & bene vale,*

Digitized by Google

BREVIS CANONICI
JURIS HISTORIA.

CHRISTUM Apoſtolis condendarum Legum poteſtatem dediſſe eo verbo, quod extat *Lucæ* 10. *Qui vos audit, me audit*: eoque Epiſcopos etiam ſucceſſores Apoſtolorum ſpectaſſe, non ambigitur. Porro recens Chriſti memoria, & vitæ Apoſtolicæ exemplum ſic animos fidelium ad juſtitiam compoſuere, ut per tria ferme Eccleſiæ ſæcula præter jus Veteris, ac Novi Teſtamenti; quod Epiſcopi urgebant, & nonnulla, quæ veluti per manus tradita ſine ſcripto cuſtodiebantur; vix fuerit opus novas Leges perſcribi. Canones, qui dicuntur *Apoſtolorum*, certe Apoſtolorum non ſunt: in quam ſententiam ſelectiora proferam argumenta. Ii Canones non ſunt, nec fuere unquam in cenſu Canonicorum Librorum Veteris, ac Novi Teſtamenti: neq poteſt quidquam cauſſæ adferri, cur id opus, ut alia Apoſtolorum, in eo cenſu non ſit. Eos Gelaſius P. in Synodo Romana apud Gratianum *can. 3. diſt.* 15. diſerte rejicit ad apocrypha, hoc eſt, ad claſſem librorum, quos non probat Eccleſia: quo ſenſu *apocryphum* accipi eo loco debere, contextus ipſe orationis oſtendit: fœdiſſimum autem dictu eſt, de genuino Apoſtolorum opere ſic ſenſiſſe Gelaſium. Eorum nunquam meminere antiqui Eccleſiæ Patres; nam & Zephirini Epiſtolam in Decreto Gratiani *can. 2. diſt.* 16., quæ Apoſtolicos Canones memorat, apocrypham eſſe, id argumento eſt, quod Leo IV. *ep. 2. ad Epiſcopos Britanniæ* eam non recenſeat inter Decretales veterum Pontificum Epiſtolas, quæ erant in Canone Eccleſiæ Romanæ: teſtimonium autem Tertulliani, quod vulgo laudant ex *lib. adv. Praxeam*, quodque laudant ex *Synopſi* Athanaſio adſcripta, nuſquam extant. Porro ne ii quidem meminere, quorum intererat meminiſſe: ut ecce, Canon 7. Paſcha cum Judæis celebrantes coercet: Canones 46. 47., & 67. hæreticorum baptiſma rejiciunt: & Canones 21. 22. & 23. ſevere ſtatuunt in eos, qui ſe ipſi abſcindunt. At neque in controverſia de Paſchate inter Victorem P., & Aſiaticos: neque in ea, quæ de baptiſmo hæreticorum fuit inter Stephanum P., & Africanos Patres, quorum numero erat S. Cyprianus: neque aut quum Demetrius Patriarcha Alexandrinus exquiſitis undique argumentis Origenem, qui ſe ipſo eviraverat circa *an.* 208., voce

Digitized by Google

ac literis tanquam ſummi ſceleris reum notavit, aut quum S. Epiphanius contra Valeſios viridia ſibi amputantes late diſſeruit *har*. 58., ulla Apoſtolicorum Canonum mentio facta eſt. Denique apud Euſebium, & Hieronymum, qui Apoſtolorum opera diligenter percenſent, de iis ne verbum quidem unum. Quem Canones iſti auctorem habuerint, & num unum, an plures: quo tempore, quove loco, ac numero prodierint, omnino non liquet. Tu ſic habe, Apoſtolicos Canones a multis Orientalibus Epiſcopis ſub finem ſæc. III. ſcriptos, conjectaſque in eos præcipuas antiquæ diſciplinæ regulas, quæ ab Apoſtolicis temporibus ſine ſcripto ſteterant ad eum diem: quæ cauſſa fuit, cur *Apoſtolici* Canones dicerentur: ſucceſſu temporis acceſſiſſe etiam alia per fraudem hæreticorum: quo referendus Iſidori locus in *can*. 1. *diſt*. 16.: demum prodiiſſe initio 85., namque hunc numerum Græci ſemper ſervarunt: Latinos autem 50. tantum priores recepiſſe, quos Dionyſius Exiguus in ſuum Codicem inſeruerat (*a*). Si plura cupis, adi Bevereg. in *Pandect. Canon.*, Coteler. *not. in Clem.*, & Dovjat. *Prænot. lib*. 3. *c*. 2. Sed quæ pauca pro inſtituto meo delibavi, ſatis tibi erunt, ut quæ Gratianus tota *diſt*. 16. de Canonibus Apoſtolorum ediſſerit, nihil moreris.

Iiſdem ferme argumentis octo *Apoſtolicarum Conſtitutionum* libri, quos alii Apoſtolis, alii D. Clementi attribuunt, ab Apoſtolis, ac D. Clemente abjudicantur. Et vero Apoſtolicarum Conſtitutionum antiqui Eccleſiæ Patres non meminere, ne ii quidem, quibus earum laudandarum ſe ſe dederat occaſio; nam *cap*. 15. *lib*. 6. Africanis Patribus, qui de baptiſmo hæreticorum contra Stephanum diſputarunt, & *cap*. 6., ac 20. *lib*. 5., itemque *cap*. 25. *lib*. 6. Arianis, ac Macedonianis mire favent: ea tamen capita non Africani Patres, aut Ariani, ac Macedoniani unquam laudarunt: nec porro earum meminere Euſebius, & Hieronymus Apoſtolorum, & Clementis opera recenſentes. Illæ jejunare vetant *ſecunda hebdomadis feria*: quod eo tempore feciſſe *hipocritos* ajunt *lib*. 7. *c*. 24. Quis eſt autem antiquitatum adeo imperitus, qui non videat, Auctorem Conſtitutionum ſpectaſſe ad Manichæos, quos *in honorem Lunæ* ſecunda feria jejunaſſe, ſcribit Leo M. *ſerm*. 38. *c*. 5.? At hæreſis Manichæorum ſub finem ſæculi II. primum erupit. Eas Gelaſius P. apocryphas eſſe diſertiſſime pronunciavit in Synodo Romana. Denique in illis nonnulla ſunt contra ſacræ hiſtoriæ fidem: nonnulla

(a) *Canones* 46., *&* 47. *de hæreticorum baptiſmate expendam lib*. 2.

Digitized by Google

nulla etiam contra Catholicæ Eccleſiæ doctrinam; quæ ſingillatim perſequitur N. Alexander in *ſæc. 1. diſſ. 19. prop. 1.* Jam fuiſſe id opus Apoſtolis affictum ſæc. IV., non obſcure probat Apoſtolicarum Conſtitutionum mentio non rara apud S. Epiphanium, ut *hær. 45. 70. 75.*, & 80. At vero *hær. 70.* illas *dubiæ apud multos fidei* fuiſſe, ſcribit. Quod autem addit, *nihil aut in Fide, & Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi, ac Decretis contrarium continuiſſe*; id argumento eſſe debet, poſterioribus temporibus multa eis mala hæreticorum, & maxime Arianorum opera acceſſiſſe: nam quæ N. Alexandri opinio eſt, fuiſſe tempore Epiphanii Conſtitutiones aliquas Apoſtolis adſcriptas, ſed plane alias ab iis, quæ nunc circumferuntur; eam nec vetus ullum monumentum confirmat, neque ulla ſatis appoſita adjuvat conjectura. Dicam verbo. Idem de Conſtitutionibus Apoſtolicis, quod de Apoſtolorum Canonibus, judicium eſto.

Neque aliud eſſe judicium debere de novem Canonibus Antiocheno cuidam Apoſtolorum Concilio adſcriptis, quos Turrianus *lib. 1. pro Canonibus Apoſtolicis c. 25.* inveniſſe ſe ſcribit in vetuſtiſſimo Pamphyli Martyris Codice MS., & veterum PP. ſilentium probat, & porro multa, quæ habent, ab Apoſtolorum temporibus aliena: ac præcipue duo illa, quæ *can. 1.*, & 8. ſtatuuntur: alterum, ut qui profitentur Fidem Chriſti, *Chriſtiani* dicantur, non *Galilæi*; quum tamen ex Socrate *lib. 3. c. 12.*, Theodoreto *lib. 3. c. 4.*, & Chryſoſtomo *Hom. 63.* compertum ſit, primum omnium Julianum Apoſtatam, qui ſæc. IV. imperavit, Chriſtianos per contumeliam dixiſſe *Galilæos*, et, quod addit Nazianz. *Orat. 3.*, lege caviſſe, ne quis eos alio nomine appellaret: alterum, ut pro Idolis ſtatua Chriſti adoretur; quum contra exploratum ſit, imaginibus, & maxime ſtatuis abſtinuiſſe veteres Chriſtianos, ut, quoniam omnia eorum ſive facta ſive dicta Ethnici in pejorem partem torquebant, omnis abeſſet ſuſpicio Idololatriæ. Nec quidquam obturbant Innocentii I. verba de Eccleſia Antiochena *ep. 18.*, *Ibi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit*; nam *conventum* pro Synodo accipi τὸ *celeberrimum* vetat; anne enim *celeberrima* recte dici Synodus poteſt, cujus nuſquam mentio ante Innocentium I.? Forte Innocentius & Petrum Antiochiæ ſediſſe, & Paulum ac Barnabam eo profectos illo verbo explicavit, ut bene N. Alexander in *ſæc. 1. diſſ. 20.* Quod porro is addit, forte Innocentium memoriæ lapſu Antiochiæ tribuiſſe, quod erat Hieroſolymis tribuendum, id mihi quidem vix probatur; quod veri ſpeciem non habeat, Innocentium in deſcribenda re pla-

ſię vulgata, quam proprie ſpectabat Epiſtola, memoriam deſeciſſe.

Poſt ſæc. III. pace per Imperat. Conſtantinum Eccleſiæ data cœperunt Epiſcoporum conventus multo frequentius haberi. Hinc excreſcente in dies Canonum numero, utile, atque adeo neceſſarium viſum eſt, eos ex multis Conciliis ſelectos in unum corpus conferre: idque primum in Orientali, tum in Occidentali Eccleſia factum. Mihi in animo eſt celebriores Canonum Collectiones huc adferre: idque ad eruditionem adoleſcentum, quorum gratia hoc opus aggredior, videtur ſatis. Quas omitto, eæ a ſcriptoribus Eccleſiaſticis perraro laudantur, ut proinde earum enarratio multum operæ habeat, parum utilitatis. Jam Collectionum non eadem ratio fuit. Aliæ Canones integros, aliæ contractos: quædam ſolum Canones, quædam Canones ſimul, & Leges habent: atque hæ *Nomocanones* dictæ. Quantum ad methodum, in antiquioribus Canones ſecundum temporum fere ſeriem digeſti: in recentioribus ad ſua quique capita, ſeu claſſes, ut poſtulare ipſa materia videbatur, relati ſunt.

Omnibus Græcorum Collectionibus tempore præeunt Canones Apoſtolorum, atque Apoſtolicæ Conſtitutiones. Sed de iis jam dictum. Dicam de aliis. Collectiones, quæ temporum ferme ſeriem ſequuntur, Græci habent omnino quinque. Primæ ſub Theodoſio M. circa *an.* 385. compoſitæ Auctor incertus, titulus hic, *Codex Canonum*. Tanti fuit, ut in Conciliis ad controverſias dirimendas cum Libro Evangeliorum adhiberetur. Secundæ Auctor incertus, incertus titulus, proprium tempus incertum: certe vero ſcripta eſt poſt Chalced. Concilium, cujus 29. Canones habet. Eam ſub titulo *Codicis Canonum Eccleſiæ Univerſæ an.* 1610. edidit Chriſtophorus Juſtellus. Secundam non multo poſt excepit Tertia, quam Florens, Petrus de Marca, & noviſſime Dovjatius *lib.* 3. *Prænot. c.* 5. Theodorito Cyri Epiſcopo attribuunt contra Juſtellum. Quartæ occaſio paſſim traditur, præterea nihil. Occaſionem ſecundus ei dedit Trullanæ Synodi Canon, quo multa Conciliorum Decreta, & Græcorum Patrum ſententiæ recenſentur, & confirmantur. Tum circa *an.* 790. aucta iſthæc Collectio fuit Canonibus 22. Synodi Nicænæ II. Quinta auctore Photio Conſtantinopolitano Patriarcha ſchiſmatico homine poſt Conciliabulum Conſtantinopolitanum in Templo S. Sophiæ habitum *an.* 879. prodiit, & forte circa *an.* 880. Photianam Collectionem Joh. Zonaras, Alexius Ariſtinus ambo Monachi, & Theodorus Balſamon Antiochenus Patriarcha ſchiſmatici Commentariis caute tamen legendis ornarunt. Celebriores Græcorum Collectiones in certa capita tributæ tres ſunt. Duarum auctor Joh. Antiochenus cognomento *Scholaſticus*,

quod

quod ex *Schola*, hoc eſt, ordine Advocatorum, qui & *Scholaſtici* dicti, ad Eccleſiaſticum tranſiit. Is adhuc Presbyter ex ea Græcorum Collectione, cujus auctorem fecimus Theodoritum, novam nova methodo Collectionem concinnavit: quod beno contra Florentem adſtruit Dovjat. *c.* 9. Ejus ſub nomine *Concordiæ Canonum* meminiſſe videtur Nicolaus I. *can. ult. diſt.* 16. Tum Patriarcha Conſtantinopolitanus creatus, quod factum *an.* 564., primus *Nomocanonem* conſcripſit, attexuitque ſuæ Collectioni. Tertiæ auctor is idem Photius, de quo dictum: eaque compoſita ad exemplum Nomocanonis Joh. Antiocheni *Nomocanon* Photii appellatur.

Venio ad Latinos, quorum præcipuæ prioris generis Collectiones ſunt numero quatuor. Prima eſt Canonum ſecundæ illius Græcæ Collectionis, quam poſt Concilium Chalcedonenſe ſcriptam diximus, Latina verſio. Sunt autem eorum verſiones multæ, receptiſſima vero, quæ adſcribitur S. Leoni. Secunda, quæ vulgo dicitur *Codex Canonum vetus Eccleſiæ Romanæ*; auctorem habet Dionyſium cognomento *Exiguum* Juſtiniano Imp. coævum. Is & Canones bene multos Græcorum Conciliorum a ſe latine redditos, & Decreta Romanorum Pontificum a Siricio ad Hormiſdam collegit: qua in re animadvertendum, ut in Conciliorum Canonibus colligendis Græci Latinis exemplo fuerunt, in colligendis Romanorum Pontificum Decretis Latinos exemplo Græcis fuiſſe. Tertiæ auctor Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, qui ſexto, ac ſeptimo Eccleſiæ ſæculo floruit; ſed qualis ea ſit, multæ enim Collectiones ei tribuuntur, adhuc non conſtat. Vero propius eſt, genuinam Iſidori Collectionem eſſe, quam reperit Petrus de Marca in Bibliotheca Eccleſiæ Urgellenſis in Catalonia, cujuſque Ordinem diligenter enarrat Dovjat. *c.* 19. In eam Iſidorus Dionyſium imitatus non Canones ſolum, ſed & Decreta Pontificum inſeruit. Quarta eſt Iſidori cognomento *Mercatoris*, ut libri quidam habent, ſive *Peccatoris*, ut habent alii: quod poſterius cognomentum ea ratione præferunt nonnulli, quod Latinis Epiſcopis Conciliorum Decreta ſubſcribentibus ſolenne olim fuerit ſe *Peccatores* cognominare, quemadmodum Græci ſe ἁμαρτωλὸς cognominabant. Is Collectionem Hiſpalenſis adauxit Apoſtolicorum Canonum, & Decretalium Epiſtolarum D. Clementis, aliorumque veterum Pontificum uſque ad Damaſum acceſſione. Sed Decretales iſtæ antiquioribus Siricio Pontificibus attributæ multas in Eccleſia turbas excitarunt. Eas Riculfus, ſeu Richolphus ſeculo VIII. Archiepiſcopus Moguntinus in Galliam intulit, & evulgavit, teſte Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo *lib.* 55. *Capitul. c.* 34. Principio eas Galliæ Epiſcopi genuinas habuere, ex

eiſque

eiſque Hincmarus Laudunenſis privatam pro Eccleſia ſua Collectionem confecit; verum Hincmarus Rhemenſis, qui initio communem opinionem ſequutus Decretales illas laudaverat in Opuſculis ſuis, procedente tempore doctior factus eas ſibi ſuſpectas profeſſus eſt, atque in ſuo contra Laudunenſem Opuſculo haud eſſe in numero Canonum habendas contendit: quod idem diſerte tradidit *lib.* 55. *Capitul. c.* 25., & 43.: ſicque multos Galliæ Epiſcopos in ſuam ſententiam adduxit. Contra Nicolaus I. *ep.* 42. *ad Epiſcopos Galliæ* late pro illis diſputat adverſus Gallos. Nicolao mortuo eadem diſputatio ſub Hadriano II., Joh. VIII., aliiſque Pontificibus recruduit. Tandem Patres Concilii Rhemenſis ſub Rege Hugone habiti aliquid eis tribuiſſe viſi ſunt in cauſſa Arnulphi Archiepiſcopi. V. Petrum de Marca, *lib.* 3. *Concord. c.* 6., & Baluz. *Præfat. ad Ant. Aug. de Emend. Gratian.* Illud exploratiſſimum eſt, ab *an. Chr.* 900. uſque ad ſæcul. XIV. in Occidente univerſo earum Decretalium fidem ſtetiſſe: quod Collectiones per id tempus evulgatæ ſatis luculenter oſtendunt: unde rectiſſime dictum a Petro de Marca, jus Canonicum novum ex Iſidori Collectione enatum in Occidente. At vero circa tempus Concilii Baſileenſis Nicolaus Cuſanus Cardinalis *lib.* 2. *de Concord. Cathol. cap.* 37., & *lib.* 3. *cap.* 2. quarundam ex eis fidem cœpit in dubium revocare: cumque eo doctiores quique ſenſerunt. Poſtremo quum multas illarum ſententias Catholici hæreticis, ac præcipue Lutheranis, & Calviniſtis opponerent, hique illas a Mercatore confictas ad adſtruendam Romanorum Pontificum potentiam contenderent; in eas diligentius inquiri cœptum eſt, ac denique a doctiſſimis Catholicorum ita ſtatutum, illas Iſidori, aut, quod nonnulli addunt, Riculfi etiam figmentum eſſe. Acris hac ſuper re diſputatio inſtituta eſt inter Turrianum e Soc. Jeſu, & Blondellum e grege Calvini. Proſtant Turriani Libri pro iſtis Decretalibus, & Blondelli liber in contrariam ſententiam ſub *tit. Pſeudo-Iſidorus, & Turrianus vapulantes*. Nihil eſt autem, cur hæretici aut hujus critices gloriam tribuant ſibi, aut putent, Decretalibus iſtis ad apocrypha ablegatis aliquid de dignitate Eccleſiæ Romanæ deceſſiſſe: namque ante eos & Cardinali Cuſano, & aliis Catholicis ſcriptoribus figmentum illud Iſidori ſuboluit, neque ad jus ſuum ſtabiliendum figmentis indiget Eccleſia Romana, uti bene Cardinalis Baronius hoc idem argumentum pertractans ad *an.* 863. Jam præcipua iſtius figmenti argumenta hæc ſunt: Primum veriſimile non eſt, eas Decretales non meminiſſe Hieronymum, non Romanos Pontifices ætate Iſidori antiquiores, non octo priora Oecumenica Concilia, non Photium antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudioſiſſimum, non Dio-
nyſium

nyſium Exiguum, qui ſcrinius Romanæ Eccleſiæ diligenter excuſſis Decretales Pontificum, quotquot reperit, collegiſſe ſe ſcribit *ep. ad Julianum tit. S. Anaſtaſ. Presbyterum*: nec quemquam alium ante ſæculum IX. Deinde veri ſpeciem non habet, in tot diverſorum Pontificum ſane multorum Epiſtolis unum eundemque eſſe ſcribendi characterem. Poſtremo habent illæ quamplurima ſæculo III. recentiora; & Scripturæ loca ex verſione S. Hieronymi deſcripta, & ſententias ex Theodoſiano Codice, & Conſtitutionibus Juſtiniani depromtas, & poſteriorum Conciliorum, Pontificumque Canones, ac Decreta, & alia multa id genus. Duo hic moneo. Unum eſt, in apocryphis veterum Pontificum Epiſtolis non pauca eſſe vere, & pie ſcripta: alterum eſt, ſi qua ex iis epiſtola ab antiquis Eccleſiæ Patribus memoratur, eam eſſe procul dubio genuinam. Sic genuinæ ſunt Epiſtolæ S. Cornelii apud Cyprianum, Epiſtolæ Julii I. apud Athanaſium *Apolog.* 2., Epiſtolæ Liberii apud Hilarium in *Fragm.*, Damaſi Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici apud Theodoret. *lib.* 2. *Hiſt. c.* 23., aliæque etiam Damaſi apud Hieronymum.

Latinæ poſterioris generis Collectiones præcipuæ ſunt numero novem. Prima eſt *Breviatio Canonum* Fulgentii Ferrandi Diaconi Eccleſiæ Carthaginenſis, quem ſæc. VI. floruiſſe, ſcriptum eſt in Chronico Victoris Tununenſis Epiſcopi. Secunda eſt *Collectio Orientalium Canonum* Martini Bracarenſis, qui VI. etiam ſæculo inclaruit. Tertia eſt *Breviarium Canonicum* Creſconii, ſive Criſconii Epiſcopi Africani, qui vixit ſæc. VII. Quarta eſt *Concordia*, vel *Liber Canonum* ejuſdem Creſconii. Quinta ſunt Libri duo *de Eccleſiaſticis Diſciplinis, & Religione Chriſtiana*, quos IX. ſæc. ſcripſit Regino monachus ex ſodalitio S. Benedicti. Sexta eſt *Magnum Decretorum volumen*; quæ genuina eſt operis inſcriptio, ſive, ut brevitatis gratia vulgo cœpit laudari, *Decretum* Burchardi Wormatienſis Epiſcopi. Septima eſt Ivonis Carnotenſis Epiſcopi, qui ſæc. XI. ſcripſit, ſub *tit. Exceptionum Eccleſiaſticarum Regularum*, quæ Collectio vulgo *Decretum* dicitur. Octava eſt ejuſdem Ivonis inſcripta *Panormia*, ſeu *Pannormia* nomine facto partim ex Græco idiomate, partim ex Latino, quo librum omnes recte ac rite vivendi normas comprehendentem Auctor expreſſit. Qui proprietatem verborum ſectantes *Pannomia* nomen ſubſtituunt, ii ad ruditatem ſæculi XI. non attendunt. Nona ſunt *Capitularia* Regum, atque Imperatorum Francorum.

Hæ ſunt celebriores Canonum Collectiones ſecundum ordinem materiarum ante ſæc. XI. ſcriptæ a Latinis. Sed omnium inter Latinos celeberrimæ ſunt *Decretum*, *Decretales*, *Sextus* *De-*

Decretalium Liber, *Clementinæ*, *Extravagantes*: ex quibus conſtat Corpus juris Canonici hodie ubique in Scholis, ac Foro receptum. Decreti Auctor Gratianus Monachus Benedictinus Cluſii natus. Is ab anno 1127. ad an. 1150. novam Collectionem adornaſſe perhibetur: tum eam an. 1151., uti eſt in ejus Epitaphio apud Pancirol. *de Clar. LL. interpret.*, edidiſſe ſub titulo *Concordiæ diſcordantium Canonum*, quod multa Scripturarum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, aliorumque Scriptorum loca in ſpeciem pugnantia eo libro committantur, atque adjectis interpretationibus concilientur: vulgo autem ea Collectio *Decretum* Gratiani per abuſum appellatur. Multa quoque juris Romani loca in ſuum Decretum retulit Gratianus, jam enim ea ætate jus Romanum cœperat Bononiæ tradi, atque Eccleſiaſtica judicia ex ejus formula exerceri; unde æque hæc, atque alia *Canonis* nomine laudantur. Sunt capita quædam, quibus inſcribitur *Palea*: de qua Epigraphe non idem omnibus. A vero propius abeſt opinio, quæ fert, eam vocem nomen eſſe auctoris eorum Capitum, quæ fuere primum margini adſcripta, tum per librarios in ipſum textum intruſa. Et vero ab antiquis Gratiani exemplaribus abſunt ea capita, Ant. Auguſtino teſte *lib. 1. de Emend. Gratian. dial. 2.*, & unus vetus, & caſtigatiſſimus Codex, quem Romani Correctores laudant, ea habet in margine. Opus ſuum tribuit Gratianus in partes tres, quarum prima habet *Diſtinctiones* CI.: ſecunda *Cauſſas* XXXVI., quarum ſingulæ plures continent *Quæſtiones*: tertia in *Diſtinctiones* V. diviſa inſcribitur *de Conſecratione*. Quas Gratianus *cauſſas*, Romani Juriſconſulti *ſpecies*, & *caſus* appellant. Multa Gratianus peccavit vitio temporis, quo nec mos erat authentica ipſa conſulere, neque omnia erant ad manum, ac ſi qua erant, mendis librariorum ſcatebant: porro ars deerat, qua vera, & ſuppoſititia internoſcerentur. Quoniam autem Gratiani Librum Scholæ paſſim receperant, oportere viſum eſt emendatrices manus ad eum admoveri. Primi ſuas admoverunt Ant. Demochares Theologus, & Ant. Contius Juriſconſultus: qua de re Florens *Præf. de method.*, *& autorit. Grat.*; ſed hi prope innumera poſteris emendanda reliquerunt. Sub Pio IV., atque hujus ſucceſſore Pio V., ac tandem ſub Gregorio XIII. a ſolertiſſimis viris publico judicio probatis Opus illud repurgatum eſt Romæ: atque hi ſunt *Romani Correctores*, quos his libris perſæpe laudabo. Quid præſtiterint, & in eorum Præfatione, quæ Gratiani Decretum præit, & quum primis habes in eorum animadverſionibus in pleraque capita ejus Libri. Per idem tempus emendando Gratiano adlaborabat Ant. Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, cujus ſunt *libri duo Dialo-*

Digitized by Google

logorum de emendatione Gratiani. Jam prope abſolverat is ſuum opus, quum exemplar Decreti per Romanos Correctores emendati ad eum perlatum eſt Tarraconem: unde auctum opus novis acceſſionibus, quæ ſunt in fine ſingulorum Dialogorum. Ant. Auguſtini libri opera Stephani Baluzii recuſi ſunt Baluzianis notis quum in Ant. Auguſtinum, tum in Gratianum auctiores. Ita doctiſſimi Viri collatis operis Gratiani ſordes eluerunt. Sed non pauca eorum diligentiam effugere, quæ noviſſime adnotavit Van-Eſpen in *Decret. Gratiani*: & forte adhuc ſunt quædam, quæ novam operam requirunt. Nonnulla, ut ſe ſe dabit occaſio, admonebo. Decretum neque ab Eugenio III. neque a Gregorio XIII. vim juris accepiſſe, jam ſatis conſtat: quæque ſunt in eo volumine, ejus fidei eſſe, cujus ſunt in autographis. Venio ad Decretales Gregorii IX. Per id tempus, quod inter editum Gratiani Decretum, & Decretales Gregorii IX. medium excurrit, octo Decretalium Collectiones prodiere, quarum quinque uſus recepit, nempe has, primam Bernardi Papienſis, ſecundam Johannis Vallenſis, tertiam Petri Beneventani, quæ omnium prima publico juſſu ſcripta eſt, puta, Innocentii III.: quartam Anonymi ſub eodem Innoc., quintam Honorii III., quam ſuis animadverſionibus ornatam edidit Innoc. Cironius *an.* 1645. Has veterum Canonici juris interpretum alii nomine Compilationis primæ, 2. 3. 4., & 5., alii nomine Libri primi, 2. 3. 4., & 5. laudant. Harum Collectionum nulla eſt hoc tempore pars Corporis juris Canonici. Nunc ſecunda ejus pars eſt Collectio, quam Gregorius IX. concinnavit *an.* 1230. opera uſus Raymundi a Pegna forti, quem Clemens VIII. retulit in Canonem Sanctorum. Collectio hæc inſcribitur *Decretalium Gregorii IX. Papæ Compilatio*: vulgo autem ſolo *Decretalium* nomine laudatur. Habet ea pauca quædam Scripturæ loca, Canones nonnullos Conciliorum, ſententias quaſdam Patrum, aliorumque Scriptorum; ſed maximam partem conſtat ex Epiſtolis Decretalibus Summorum Pontificum circiter ſex & triginta a Gregorio I. ad IX.; unde factum Collectioni nomen. Quidquid in ea eſt, juris vim habet ex Gregorii IX. Conſtitutione, quæ in eo volumine Præfationis loco eſt. Poſt Decretales editas multæ Gregorii IX., ac ſucceſſorum Pontificum uſque ad Bonifacium VIII. novæ Conſtitutiones prodiere. Eas collegit Bonifacius VIII., addiditque Decreta duorum generalium Lugdunenſium Conciliorum, quorum prius ſub Innoc. IV. habitum *an.* 1245., alterum ſub Greg. X. *an.* 1274. Collectionis hujus nomen eſt *Sextus*, quod Gregorianæ Collectioni in quinque libros diviſæ accedat. Sed & in quinque libros *ſextus* Bonifacii liber tributus eſt. Sextum ſequutæ *Clemen-*

mentina; Clemens V. Conſtitutiones Concilii Viennenſis œcumenici, cui præfuit *an.* 1311., & quaſdam ſuas Conſtitutiones, & Decretales Epiſtolas evulgare propoſuerat ſub titulo *libri VII. Decretalium*; ſed eo morte occupato Johannes XXII. Collectionem Clementis edidit *an.* 1317. ſub titulo *Clementinarum*. Ultima Corporis juris Canonici pars ſunt *Extravagantes*. Hoc nomine deſignabantur olim Conſtitutiones omnes, quæ extra Gratiani Decretum vagabantur: quod *Breviarium Extravagantium* Bernardi Papienſis Decreto Gratiani recentius oſtendit: nunc *Extravagantes* dicuntur (licet extra Corpus recepti juris Canonici non vagentur) Conſtitutiones 20. Johannes XXII., ab ipſo Johanne editæ *an.* 1325. Sunt & Extravagantes vulgo *communes* dictæ, quod non unius Pontificis propriæ, uti Extravagantes Johannis XXII., ſed communes ſint plurium, nempe Pontificum XXV. ab Urbano IV. (ſi priorem *cap.* 1. *de ſim.* epigraphen retineas) uſque ad Sixtum IV.

IN-

Digitized by Google

INSTITUTIONUM CANONICARUM

L I B E R I.

T I T U L U S I.

DE JURE CANONICO.

JUS Canonicum eſt a *Canone*. Canonis in re quum Eccleſiaſtica, tum Civili acceptio multiplex, de qua Dovjatius *Prænot. Canon. lib. 1. c. 1.*: proprie Κανὼν eſt Architectorum, aliorumque Artificum inſtrumentum, quo lineæ diriguntur: μεταφορικῶς eſt regula, quæ Chriſtianorum *actiones dirigit ad æternæ beatitudinis finem*, quo jus Canonicum ſpectat. In hanc ſententiam leges quoque Principum, quæ bonum civem inſtituunt, dici Canones recte poſſunt, unde Chryſippus apud Marcianum *l. 2. ff. de leg.* legem definit κανόνα δικαίων, καὶ ἀδίκων, *regulam juſtorum, & injuſtorum*. Sed Eccleſiaſtici juris dignitas fecit, ut ſacræ Patrum conſtitutiones, quæ Chriſtiani hominis mores formant, inde uſque a temporibus Apoſtolorum *Canones* dicerentur, S. Paul. in Græca *ep. ad Philip. cap. 3. v. 16.* Conſtat autem Jus noſtrum ex jure Divino, Conſtitutionibus, & Conſuetudine: ſicque, ut Romanum, aut ſcriptum eſt, aut non ſcriptum.

Divinum jus, quod & *Verbum Dei* appellatur, Veteri, ac Novo Teſtamento comprehenditur. Præceptorum Veteris Teſtamenti genus triplex: unum eorum, quæ ad judicia: alterum eorum, quæ ad ceremonias: tertium eorum, quæ pertinent ad mores. Duo illa, quæ jus Divinum Civile dici recte poterant, quod eſſent ingeniis hominum, ac temporibus accommodata, morte Chriſti ſublata ſunt, S. Aug. *ep.* 19., S. Hieron. *epiſt.* 11., ac ſi quæ Moſaica de judiciis præcepta arripuit Eccleſia (arripuit autem nonnulla, *cap. 1. de adult.*, *cap. 1. de furt.*) ea nunc Eccleſiaſtici juris pars ſunt: tertium, quod naturale jus ſit, ſtat adhuc, æternumque ſtabit, ac præcipuus fons eſt juris Canonici. Præceptorum Novi Teſtamenti genus du-

Digitized by Google

duplex: unum eorum, quæ ſpectant cæremonias, quo Sacrificium, & Sacramenta referuntur: alterum eorum, quæ mores; atque hæc ſunt ipſa eadem, quæ fuere in Veteri Teſtamento de moribus ſcripta, & Decalogo continentur. Utrumque ſancta lex eſt. De judiciis præceptum nullum in Novo Teſtamento. Judiciale jus Eccleſiæ humanum eſt ex jure Moſaico de judiciis, & maximam partem ex jure Civili conflatum: in multis autem primum a Pontificibus inſtitutum: qua de re *lib.* 3.

Conſtitutio eſt hic jus humanum ſcriptum, quod aut Civile eſt, aut Eccleſiaſticum. Lancellottus *tit.* 2. §. 3. nihil omnino eſſe cum re ſacra Chriſtianis Principibus opinatur, aitque, etiamſi quid legibus eorum ſtatuatur, quod in Eccleſiæ bonum cedat, niſi ab Eccleſia comprobetur, ejus vim nullam eſſe ex *can.* 1. in fin. *diſt.* 96. Judicium de hac re meum habes *lib.* 1. *Inſt. Juris Neap. tit.* 2. quem locum adi. Eccleſiaſticæ Conſtitutiones proprie *Canones* appellantur, ut dictum eſt. Canonum autem alii ſunt Statuta Conciliorum, alii Decreta Pontificum, alii Dicta Sanctorum. *can.* 1. *diſt.* 20. Concilia Græcis Synodi ſunt Cleri conventus ad tractandum de Fide, atque Eccleſiaſtica Diſciplina rite ac ſolenniter habiti. Conciliorum alia *generalia*, ſeu *œcumenica*, S. Auguſtino *plenaria* dicta *lib.* 2. *de bapt. contr. Donat. c.* 3., de quibus apud Gratian. *diſt.* 15., & 16., alia *particularia*, ſeu *topica*: atque horum alia *Provincialia*, ſive unius Provinciæ, de quibus *can.* 3., & paſſim *diſt.* 18., ſive plurium: alia *Nationalia*, quæ dicta olim *Diœceſana*, quod totius nationis, ſeu majoris Diœceſeos Epiſcopi conveniunt: alia *Diœceſana*, quæ & *Epiſcopalia* dicuntur, quod ea habet Epiſcopus cum Presbyteris ſuæ Diœceſis, *can.* 16. *diſt.* 18. Diſcrimen inter œcumenica, & alia minora Concilia non in eorum, qui interſunt, numero eſt poſitum, nam Conſtantinopolitanæ Synodo, quæ ſecunda œcumenica fuit, centum quinquaginta: Carthaginenſi, quæ fuit nationalis, ſeptemdecim ſupra ducentos adfuere, inter quos S. Auguſtinus, uti Proſper in *Chron.*; ſed in diverſa eorum vocandorum ratione. Quod habet Romanus Pontifex accitis omnibus omnium Chriſtiani orbis Eccleſiarum Catholicis Epiſcopis, cuique aut ipſe per ſe præeſt, aut per ſuos Legatos, id generale Concilium eſt. Quod aut idem Pontifex habet, aut Patriarcha, aut Exarchus, aut Primas advocatis Regionis unius Epiſcopis, id eſt *nationale*: idemque de Provinciali, ac Diœceſana Synodo, jus eſt. Jus œcumenica Concilia indicendi penes Rom. Pontificem ſemper fuit. Id & PP. Concilii Conſtantinopolitani I. profitentur in *ep. Synodica ad Damaſum*, quæ eſt apud Theodoret. *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 9., & Pelagius II. diſerte docet *ep.* 8. ad Epiſcopos a Joh.

Con-

Conſtantinop. Patriarcha, qui jus generalis Concilii indicendi uſurpaverat, Conſtantinopolim advocatos: quam Epiſtolam illi ſilentio probarunt: & Francorum Capitularia non uno loco, maxime autem *lib. 6. cap.* 287., ac demum omnia œcumenica Concilia in Occidente habita a Romanis Pontificibus indicta luculentiſſime confirmant. Videſis Chriſtianum Lupum Schol. in *can.* 16. *Dictati* S. Greg. VII. id jus Romano Pontifici latiſſime vindicantem contra nonnullos, ac præcipue contra Joh. Launojum. Exploratum quidem eſt, Conſtantinum Imp. Nicænum, alioſque alia Orientis Concilia convocaſſe: ſed quis eos non ex ſententia Romanorum Pontificum id auſos affirmet? Certe Conſtantinum convocaſſe Nicænum Concilium ſcribit Rufinus *lib.* 5. *Hiſt. Eccl. c.* 1. *ex ſententia Sacerdotum*, hoc eſt, Epiſcoporum: & *Act.* 18. Synodi VI. Generalis *ſerm. Proſphonetico*, ſeu *Acclamatorio* ſcriptum eſt, *Conſtantinum, & Sylveſtrum magnam in Nicæa Synodum congregaſſe*: & Valentinianus ab Helleſponti, Bithyniæ, aliiſque Epiſcopis rogatus, ut pro doctrina Fidei rite conſtituenda Concilii faceret poteſtatem, *ſibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere, ſe ejuſmodi negotiis interponere: ideoque Sacerdotes, & Epiſcopos ſeorſum per ſe, ubicumque eis libitum eſſet, poſſe in unum convenire*, reſpondit apud Sozom. *lib.* 6. *Hiſt. Eccl. c.* 7. Et vero quum de indicendis Conciliis agebatur, aliæ Romanorum Pontificum, aliæ Principum partes erant. Ut eorum, quæ in Concilio ſtatuebantur, ſacra ſtaret auctoritas, ſacra Pontificum auctoritate opus erat. Patribus, quum Eccleſiæ temporale dominium non dum acceſſerat, locum habendo Concilio dare, ac Tractoriis literis paupertati eorum conſulere, munia erant Principum Chriſtianorum: erantque præterea olim, & vero etiam ſunt adhuc eorum munia, Eccleſiaſticam auctoritatem Civili poteſtate adjuvare, ſunt enim tutores Canonum, atque exequutores, ac porro videre, nam & ii ſunt capita Reip., cujus pars Eccleſia, quod eſt protritum Optati Milevitani dictum, ne quid damni pro varia temporum, & locorum ratione ex indicto multorum conventu in Remp. redundet: qua de re in legibus cautum: eoque pertinent *l. conventicula C. Th. de Ep. & Cler.*, & *l.* 1. *de Colleg.* Hæc fecere, ut quandoque Romani Pontifices ad indicenda Concilia Imperatores hortarentur, idque eos etiam rogarent. V. Liberii P. *Epiſt.* ad Conſtantium, ac Theodor. *lib.* 2. *Hiſt. Eccl. cap.* 13. Nunc quædam pauca attingam de ritu, quem in Conciliis, & maxime Generalibus celebrandis ſervavit Eccleſia. Locus, quo ea plerumque habita, Eccleſia fuit: ibique habitas ſex priores œcumenicas Synodos, tradit Scriptor Vitæ S. Stephani junioris

Ana-

Analect. Graec. tom. 1. (*a*) In Cathecumeniis, quæ pars erant Navis Eccleſiæ, qua mulieres a viris ſecretæ conſidebant ſacros cantus, ac Dei verbum auſcultaturæ (*b*), Concilium Conſtantinop. *an.* 1165. fuiſſe habitum, Leo Allatius docet *de conſenſ. Eccl. lib.* 2. *c.* 11. In Secretario etiam, quod inter Eccleſiæ Exedras erat, Carthaginenſia Concilia III. IV. V., & VI., atque alia nonnulla habita, ſatis conſtat: quo factum recte Du Freſnius advertit *Comm. in Paul. Silentiar.*, ut ipſæ Conciliorum Seſſiones *Secretaria* dicerentur. Sed Secretaria olim, quod ſua haberent Altaria, haud longe aberant a Sacris Templis (*c*). Conciliis aderant Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aliique inferioris ordinis Clerici. Nicæno Concilio Epiſcopos 318. (quæ receptior ſententia eſt) & Presbyterorum, Diaconorum, atque Acolythorum ingentem numerum interfuiſſe, teſtes ſunt Euſeb. *lib.* 3. *c.* 8., & Socrates *lib.* 1. *c.* 8. Sedebant Epiſcopi in primo ordine, a tergo Presbyteri; ſtabant autem Diaconi, ac cæteri inferiores Clerici. Concil. Elib. in *Præfat.*, Concil. Tolet. *c.* 4. Suffragii jus proprium ſemper fuit Epiſcoporum, quibus Eccleſiæ regimen jure Divino datum, *Act.* 20. Presbyteri, ac Diaconi aut in conſilium ab Epiſcopis adhibendi, aut cum hæreticis præſentibus diſputaturi ad Concilium acciti: quo nomine Origenem Arabico, Malchionem Presbyterum Antiocheno, ac Niceno Concilio Athanaſium Diaconum interfuiſſe, ſcribunt Euſeb. *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 37., & *lib.* 7. *c.* 28., ac Rufinus, & Socrates: interdum etiam vicario jure ſuffragium dabant, puta abſentium Epiſcoporum nomine, a quibus mittebantur: atque hos in Orientalibus Conciliis ſediſſe inter Epiſcopos, eumque Epiſcopis ſubſcripſiſſe, quibus locis ſedere, ac ſubſcribere debuiſſent illi, quorum erant procuratores, ex Nicænis Conciliis I., & II., Conſtantinopolitanis, Epheſino, atque aliis patet: in Occidentalibus autem & poſt Epiſcopos ſediſſe, & ſubſcripſiſſe ſeorſum ab eis, Arelatenſe I., Romanum I. ſub Symmacho, Agathenſe, atque alia commonſtrant. Nunc jure ſingulari Eccleſiaſtico Cardinales ſunt in Conciliis judices, licet Epiſcopi non ſint: itemque Abbates conſecrati, & Ordinum Regularium Gene-

(a) *Quod ex Euſeb. lib. 3. de Vita Conſt. c. 12., Sozom. lib. 1 c. 18., ac Theodorito lib. 1. c. 7. vulgo putant, Nicænum Concilium in Palatio habitum, id falſum eſſe, multis argumentis, & maxime ipſius Euſebii teſtimonio ex cap. 7. probat Valeſius in Euſeb. lib. 3. c. 12.*

(b) *De Cathecumeniis dicam lib. 2.*

(c) *Late de Secretario lib. 2.*

Digitized by Google

Generales. Olim quoque ſubſcripſiſſe Conciliis Abbates, ſatis probat Concilium Conſtantinopolitanum I., cui Abbates ſubſcripſere numero 23. Sed non eadem omnino formula Epiſcopi ſubſcribebant, atque Abbates. Epiſcopi formula erat hæc, N. *Epiſcopus judicans ſubſcripſi*: a formula autem Abbatis τὸ *judicans* aberat, ut inde liqueret, in Conciliis Epiſcopum proprie judicem eſſe, Abbatem Epiſcopi judicio adſentire: & ſane contra Canones fecit Theodoſius Imp., quum Barſumæ Archimandritæ ad Synodum Epheſinam II., quæ vulgo dicitur *Prædatoria*, ſuis literis accerſito jus ſuffragii decrevit: qua de re Nat. Alex. in *ſæc. V. art.* 13. §. 8. Advenientes a Diaconis introductos, & Rituales Libri MSS. tradunt, & Conciliorum acta apertiſſimum faciunt. Imperatores etiam & Reges Conciliis interfuiſſe, compertum eſt, ut eos, qui Conciliis aderant, ſua præſentia continerent in officio, Fidemque Catholicam, & Canones apud eos, qui peccare oderunt formidine pœnæ, ſuo imperio facerent ſanctiores, non ut quidquam de Religione caverent: quod pie profeſſus eſt in Conc. Chalced. *act.* 6. Imp. Marcianus. In Concilium deferebantur Evangelium, quod in ſancto Throno collocabatur, Cyrill. Alex. in *Apolog. ad Theodoric.*, Reliquiæ Sanctorum, ut ex Actis Concilii Chalcedonenſis, Nicæni II., & Conſtantinopolitani ultimi, & quandoque etiam Imagines, Greg. P. II. *ep.* 2. *ad Leon. Iſaur.* Primum Diaconus aliquid ex Evangelio legebat, deinde Præſes Concilii proferri, ac perlegi jubebat Apoſtolicas Literas, quæ in Conciliis Græcis primum Latine, tum eorum cauſſa, qui Latinas literas ignorabant, Græce perlegebantur. Poſt hæc condebantur Canones primum de Fide Catholica, tum de Diſciplina Eccleſiaſtica, & morum emendatione: ac ſi qua incideret diſputatio, diſputantium verba Notarii excipiebant, Socrat. *lib.* 2. *c.* 30. Aug. *ep.* 33., & 44. Conditos Canones ſequebantur Adclamationes, ac Subſcriptiones; & Concilii Acta ad abſentes Epiſcopos ſubſcribenda transmittebantur, Concil. Pariſienſ. III. *can.* 10. Ordinem ſeſſionis enarrant Valeſius in Euſeb. *lib.* 5. *Hiſt. c.* 23., & Cabaſſutius in Conc. Nicænum ſub initium.

Pontificum Conſtitutiones ſunt *Decreta*, *Decretales Epiſtolæ*, *ac Reſcripta*. Decreta jure Civili cauſſæ cognitionem deſiderant, *l.* 9. §. 1. *de off. Proconſ.*, ſuntque Decreta Principum Imperiales ſententiæ in cognitionibus prolatæ, de quibus tres libros ſcripſiſſe Paulum accepimus. At vero in re Eccleſiaſtica Decretorum nomine veteres illas Conſtitutiones proprie intelligi, tradit Dovjatius *l.* 2. *c.* 21. *n.* 6., quas Romani Pontifices a nemine conſulti in Synodo Provinciæ Romanæ, aut Epiſcoporum Italiæ totius ut plurimum edebant, uti ex Leone M. liquet

De-

Decret. c. 13., nunc Cardinalium conſilio edunt : quales Conſtitutiones Civile jus *Edicta* vocat : intelligi quoque Reſponſa per id tempus ad quæſtiones Epiſcoporum emiſſa : quales Conſtitutiones *Reſcripta* dicunt Romani Juriſconſulti . Decretales Epiſtolæ ſunt reſcripta Pontificum ad Prælatos, privatosve ſive conſultores , ſive relatores , quæ licet plerumque ad privatam cauſſam ſpectent ; tamen , quod eo animo concepta ſint , ut ad ſimiles ſpecies producantur , vim obtinent Conſtitutionis , *cap.* 8. 9., & 14. *de reſcript.* : qualia ſunt jure Romano Principum Reſcripta . Porro *Reſcripta* Pontificum proprie nunc ſunt Literæ, quibus fieri aliquid ſupplicantium cauſſa jubent : eæque *Diplomata* quoque appellantur , ac *Bullæ* , *Brevibuſ*que opponuntur. Maximam Pontificiæ Conſtitutiones vim habent: habent quoque multam *Dicta*, ſeu ſententiæ SS. Patrum , ſed non tantam ; niſi enim publica auctoritate inſerta ſint libris juris (in qua demum ſpecie parem cum Pontificiis Conſtitutionibus faciunt fidem arg. *l.* 7. §. 6. *C. de vet. jur. enucl.*) pars juris non ſunt , *tot. diſt.* 20.; eademque eorum ratio eſt , quæ Reſponſorum Prudentum ante tempora Auguſti fuit.

Juris , quod ex non ſcripto venit , ſummas partes vulgo faciunt duas *Traditionem* , & *Conſuetudinem* , laudantque Auguſtini teſtimonium in *can.* 8. *diſt.* 11. , in quem v. Correctores Rom. Alii Traditionem commode poſſe ad Conſuetudinem referri ajunt teſtimonio S. Baſilii *can.* 11. *diſt.* 11. , qui Traditionem diſerte *Conſuetudinem* vocat . Ego Traditionem juris ſcripti partem facio . Sane ſcriptum jus , & non ſcriptum non ſcriptura differunt , ſed hoc uno , quod non ſcriptum moribus, ſeu factis populi introducitur , ſcriptum ſola voluntate legiſlatoris conſtituitur : atque hoc *ſcriptum* dicitur , etiamſi non ſcribatur , illud dicitur *non ſcriptum* , licet ſcripto comprehendatur : Traditionis autem nomine Tridentini Patres intelligunt *ſeſſ.* 4. *pr. c.* 4. quæ *ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis accepta , aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus tradita ſine ſcripto ad nos pervenerunt* : quo ſpectat Pauli locus 2. *ad Theſſal.* 2. *v.* 15. Ut ut ſit , Traditionis tanta vis eſt , quanta Divinarum Scripturarum : & ſunt certe multa Fidei , ac Diſciplinæ capita , quæ ſola traditione conſtant , & ſanctiſſime in Eccleſia cuſtodiuntur , ut quæ ſunt ſacris literis conſignata , *Tertull. de coron. milit. c.* 3. , *S. Baſil. ibid.* Conſuetudinis (niſi ſit contra jus Divinum ; namque hæc non tam conſuetudo , quam vetuſtas erroris eſt appellanda *can.* 8. *diſt.* 8.) magna vis eſt . Ea vel generalis , quam Chriſtianus orbis univerſus ; vel ſpecialis , quam Regio , aut Provincia , aut certa aliqua ſervat Eccleſia . Generalem , cujus originem ignoramus , vel ab ipſis

Apo-

Apoſtolis, vel a plenariis Conciliis repetendam, ac pro lege ſervandam, docet S. Auguſtinus *ep.* 118. *ad Jan. in can.* 11. *diſt.* 12., & *epiſt.* 86. *ad Caſul. in can.* 7. *diſt.* 11. Hinc Tertullianus *loc. cit.* nefas eſſe ſcribit *die Dominico de genicul is* adorare: & Aug. *d. epiſt.* 86. *Deum offendere* ait, qui *die Dominico jejunat*; ſic enim ferebat Eccleſiæ univerſæ conſuetudo, ut Dominico die fideles in Dominicæ reſurrectionis memoriam ſtantes in Eccleſia orarent, ac læti jejunio abſtinerent. Specialis aut. præter legem eſt, quæ, quum jus ſcriptum deficit, pro lege ſuſcipitur, *l.* 32., & 33. *de leg.*, & *can.* 5. *diſt.* 1., aut contra legem, quæ ſi *rationabilis* ſit, & *legitime præſcripta* (præſcriptionem quadragenariam Canones probant, *cap.* 15. *de præſcript.* V. Gloſſ. in *cap. ult. de conſuetud.*) jus ſcriptum humanum tollit, *d. cap. ult. de conſuet.*; aut denique ſecundum legem, quæ ſcriptum jus dubium interpretatur, *l.* 37. *eod.*, *cap.* 8. *de conſuet.* Sed quæ ſecundum legem dicitur, ea magis eſt uſus legis, quam nova ſpecies conſuetudinis. Proprias locorum, quibus degimus, conſuetudines ſervare debemus. Monica Auguſtini mater, quæ diu Romæ commorata ſabbato jejunaverat de more Eccleſiæ Romanæ, quum veniſſet Mediolanum, ubi Sabbati dies feſtus erat, cœpit animi pendere. Conſultus de ea re ab Auguſtino adhuc catechumeno Ambroſius reſpondit, *Quando hic ſum, non jejuno ſabbato: quando Romæ ſum, jejuno ſabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.* Aug. *ep.* 86., & 145.

Juris Canonici Objecta tria, atque eadem, quæ Civilis, *Perſona*, *Res*, *Judicia*. Lancellotti methodo jam in Scholis receptiſſimæ inſiſtens primo de perſonis, ſecundo de rebus, tertio, & quarto Libro de judiciis agam.

TITULUS II.

DE JURE PERSONARUM, AC PRIMUM DE LIBERIS, AC SERVIS.

SUmmam illam hominum diviſionem in liberos, & ſervos, quam in ſuis Inſtitutionibus primo loco proponit Tribonianus, negligit nunc, ſed non ſemper neglexit Eccleſia. Suos ea ſervos habuit a fidelibus aut inter vivos dono datos, aut teſtamento relictos; quorum frequens in antiquis Canonibus apud A. Auguſtin. *Epit. jur. lib.* 10. a *tit.* 22. ad 27.; & non rara in libris Decretalium mentio eſt, *cap.* 3., & 4. *de reb. Eccl. alien.*, & *cap.* 3., & 4. *de rer. perm.* Eadem prope omnium conditio erat, ſed non eadem miniſteria: qua de re, niſi qua fuiſſet a [illegible] do-

Digitized by Google

donatore, vel teſtatore lex dicta, Prælatus Eccleſiæ ſtatuebat, Concil. Pariſienſ. III. *can.* 9., Chronic. Conſtantienſ. *c.* 19. *in vita S. Gebardi*. Nonnulli, quos ingenium & pietas commendabat, in ſpem Cleri educabantur, Concil. Toletan. IV. *can.* 74. & Toletan. IX. *c.* 11. Generaliter Eccleſiæ ſervi multa habuere præcipua, uti videre eſt in Legibus Aleman. *tit.* 8., & Legib. Ripuar. *cap.* 9., ac 10., & Concil. Toletan. III. *c.* 22., cum eiſque mitiſſime actum, ut pœnæ loco eſſet in laicos transferri, *d. c.* 4. *de rer. perm.* Uſque ad tempora Decretalium ſervitutis, ac ſervituti appictæ irregularitatis mentio in monumentis Eccleſiaſticis: poſt ea tempora de ſervis, ſervorumque irregularitate verbum nullum: imo Clemens IV. *an.* 1266. *ep. ad Belam Hungariæ Regem* de Epiſcopo ſcribens, quem utpote ſervum origine rejiciebat Bela, homines, inquit, Dei judicio pares, ac ſervitutem commentum eſſe hominum contra naturam, qua omnes æque liberi: in ſumma diſcrimen inter liberos & ſervos nihili eſſe concludit. In Germania & Gallia extinctas poſt ea tempora ſervitutes, oſtendit Thomaſinus *part.* 2. *lib.* 1. *c.* 74.: in Oriente autem diutius ſtetiſſe.

TITULUS III.

DE INGENUIS, AC LIBERTINIS.

Quamdiu in Eccleſia diſtinctum inter liberos & ſervos, liberorum alii ingenui, alii dicti ſunt libertini: qua in re jus Civile ſequuta eſt. Servos Eccleſiæ manumittebat Eccleſiæ Prælatus non tamquam dominus, nam dominium penes ipſam Eccleſiam erat (quo ſenſu *manumittentem* dicit Eccleſiam Innocentius III. in *c.* 4. *de ſerv. non ord.*, non quod ſervi Eccleſiæ in Eccleſia manumitterentur, uti minus proprie Gonzalez), ſed tamquam Eccleſiæ procurator: quo jure in rebus Eccleſiarum cenſentur Prælati; ut proinde ſi eos ſine juſta cauſſa manumitteret, nihil actum intelligeretur, & recte eos *ſucceſſor Epiſcopus ad jus Eccleſiæ revocaret*, *cap.* 4. *de reb. Eccl. alien.*, & Juſtæ manumittendi cauſſæ numero tres. Quandoque fugitivos, ſi pingue peculium haberent, accepta pecunia manumittebat: quod vetus probat manumiſſionis Charta apud Lemaiſtre *lib.* 3. *de bonis Eccleſ. c.* 9. (*a*). Quando-

(a) *Concilii Agathenſis Canon* 46., *quem in hanc ſententiam laudat Gonzalez in d. cap.* 4., *de fugitivo ſervo* diſtrahendo *loquitur*, *non manumittendo*. *Frequentiſſimum autem erat fugitivos Eccleſiæ ſervos ab* Epiſcopo diſtrahi, *hoc eſt*, in ſæcularem ed igi ſervitutem, *uti eſt apud* Gratian. *can.* 55. *cauſ.* 12. *q.* 2.

doque ſi quis ſervus Prælati gratiam ſibi demeruerat, eum in
grati animi argumentum manumittebat Prælatus, ſi tamen is
tantumdem de ſuo dediſſet Eccleſiæ, aut aliunde quæſiiſſet:
alioqui enim, ne quid detrimenti caperet Eccleſia, in ſervitu-
tem revocabatur, *d. cap.* 3., & 4., Conc. Hiſpal. I. *can.* 1., & 2.,
& Emerit. *can.* 20. Sæpiſſime ſervos bonæ frugis manumittebat
cooptandos in Clerum, Concil. Emerit. *c.* 14. Ante tempora Ca-
roli M. ſervorum manumiſſio expediebatur aut coram Princi-
pe per denarium (hoc eſt, *per excuſſionem denarii*, ut in ve-
teri manumiſſionis formula habetur apud Lemaiſtre *de jurib.*
Epiſcop. lib. 3. *c.* 8.; tota enim in eo erat, ut denarius in ſer-
vi manu poſitus de manu ejus per Principem excuteretur, ac
jactaretur, P. Pithoeus ad L. Salicam *tit.* 28., Bignonius ad Mar-
culf. *lib.* 1. *c.* 22.; unde *denariales* liberti, & *homines denariales*
in Capitularibus Caroli M., & Legibus Longobardorum: atque
hæc manumittendi ratio ex lege Salica manaverat): aut *per*
chartam, unde *Chartularii* liberti in Capitularibus, & in Con-
cilio Wormatienſi *can.* 20., quæ Charta non Principis Brevi-
culum erat, quo donabantur, uti ſuſpicatur Thomaſinus *p.* 2.
lib. 1. *c.* 74. *n.* 2.; namque ea manumiſſio in Eccleſia expedie-
batur, unde in Capitulari anni 806., *Qui per chartam in Ec-*
cleſia juxta altare dimiſſi ſunt liberi, neque ullo ad eam Prin-
cipis breviculo opus erat; ſed charta libertatis, quam Domi-
nus a ſe ſcriptam, ſubſcriptamve, atque in Eccleſia recitatam
manumiſſo tradebat, vel ſi Dominus ſervum eſſe liberum ore
pronunciaret, a ſe ſcriptam tradebat Archidiaconus: atque hæc
illa ipſa manumiſſio erat, quam in Sacroſanctis Eccleſiis expedi-
ri, dixit Tribon. *lib.* 1. *Inſt. tit.* 5. §. 1.; cujuſque auctor Conſtan-
tinus M. *l.* 1., & 2. *C. de his, qui in Eccl. man.*; unde qui eo modo
liberi fiebant, ſecundum legem Romanam manumitti dicebantur.
Porro ſervos Eccleſiæ, quibus libertas Clericatus gratia daba-
tur, alias manumitti, quam in Eccleſia, interdictum erat: quod
jus Saliorum, Francorum, aliarumque barbaricarum gentium le-
gibus mutatum non fuit: hinc illud in Long. *lib.* 3. *l.* 33., & Rip.
tit. 60., *Eccleſiam lege Romana vivere*: ac diſerte in Francorum
legibus ſcriptum eſt *lib.* 1. *c.* 188., *Quandocumque de familia Ec-*
cleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa au-
ctoritas coram populo legatur, & coram Sacerdotibus, vel co-
ram Fidelibus laicis ante cornu altaris libertatem conſequatur,
& tunc demum ad gradus Eccleſiaſticos promoveatur: idemque
jus erat de ſervis, quos domini etiam laici Clericatus cauſ-
ſa manumittebant: quod ex Concilio aliquo Gallicano tradit
in Decretal. Gregorius IX. *cap.* 1. *de ſervis non ord.*: & plane
mendoſa eſt vulgata lectio, quæ habet, *ex Concilio Toletano*,

Digitized by Google

quum id in nullo Toletanorum legatur. V. Ant. Aug. ad *prim. Colle*ct*. d. cap.* 1. *de ſerv. non ord.*, & Thomaſin. *loc. cit.* Quod autem ibi dicitur, eos ſervos non debere *ſæculari judicio jugo ſervitutis abſolvi*, in hanc ſententiam accipiendum eſt, non debere apud Principem per denarium manumitti. Denique idem jus erat de ſervis, quos Domini *pro remedio animæ ſuæ* manumittebant, id quod ex *pacto*, h. e. lege *Francorum*, de qua in Leg. Ripuar. *tit.* 14. (nam quandoque lex dicitur *pactum*. V. Briſſon. *de V. S.*) in Gregorianas Decretales inſertum eſt *d. c.* 1., Cur ſervi, qui, ut Clerici fierent, manumittebantur, manumitti nonniſi in Eccleſia deberent, ratio duplex, altera, quod abſurdum videretur, eos, qui miniſtrare Eccleſiæ debebant, extra Eccleſiam ad id idoneos fieri, *d. cap.* 1.: altera, quod nefas eſſet, fieri aliquem de ſervo Clericum, *antequam eſſet perfecta ditatus ingenuitate*, uti eſt in Concilio Triburienſi *an.* 895. *can.* 19.: manumiſſis autem in Eccleſia libertas plena, & Romana Civitas dabatur ex Conſtitutione Imp. Conſtantini, Niceph. *lib.* 7. *Hiſt. c.* 16. Cur ii etiam, qui pro remedio animæ liberi fiebant, in Eccleſia eſſent manumittendi, ratio erat hæc, ut ita liberti eſſent Eccleſiæ; ſic enim jus erat, ut alieni quoque ſervi, modo in Eccleſia manumitterentur, Eccleſiam haberent patronam: quod ut Eccleſiæ jura augebat, ita erat libertis honorificentiſſimum, & vero etiam utile. Lemaiſtre *lib.* 2. *c.* 3. 8., & 9., Bignon. ad Marculf. *c.* 23., Thomaſin. *d. c.* 74. *n.* 1. Jam quæ erat manumittendi ratio, ſi ob aliam juſtam cauſſam Eccleſiæ ſervus eſſet manumittendus? Ego eamdem fuiſſe arbitror; neque enim veri ſpeciem habet, Eccleſiam, quæ ſemper Romana lege vixit, alia manumittendi ratione uſam ab ea, quæ receptiſſima in Eccleſia erat, quamque conſtituit in gratiam Eccleſiæ Conſtantinus. Non in omni autem Eccleſia manumiſſiones recte poterant expediri. Cuidam Monaſterio privilegii jure indultum a Gregorio M. *lib.* 2. *ep.* 24., ut in ejus Eccleſia ſervi manumitterentur. Servorum manumiſſiones in ea tantum Eccleſia ſolenniter celebrari, jus erat, cui vel Epiſcopus præerat, vel Sacerdos. In Eccleſia manumiſſi operas, & obſequium Eccleſiæ debebant, uti quilibet libertus patrono ſuo: ac ſi novus Epiſcopus Eccleſiæ præficeretur, neceſſe eis erat intra annum ſeſe illi præſentes ſiſtere, chartaque libertatis exhibita ſe libertos Eccleſiæ profiteri, ne alioqui contingeret, diutina taciturnitate jura Eccleſiæ interverti: quod non de ipſis libertis tantum, ſed & de eorum liberis cautum fuit, Concil. Tolet. IV. in *can.* 65. *cauſ.* 2. *q.* 2., Tolet. VI. in *can.* 64. *ibid.*, & Cæſarauguſt. III. *c.* 4.; id niſi facerent, tamquam ingratos detrudi in ſervitutem, mos fuit. Sed eum tamen morem

eo

eo temperamento Cæſarauguſtanum Concilium probavit, ſi jam novus Pontifex libertos *per Clerum*, *aut domeſticos* officii ſui præmonuiſſet. Generaliter autem ut jure Romano, ſic jure Canonum libertos ob magnum aliquod ingrati animi vitium revocatos in ſervitutem, conſtat ex Concil. Hiſpal. in *can.* 62. *cauſ.* 12. *q.* 2., & Tolet. IV. in *can.* 58. *cauſ.* 12. *q.* 2. Quod non liberti ſolum, ſed & liberi eorum novo Epiſcopo profiteri obſequium deberent, id argumento nonnullis fuit, peculiare de libertis Eccleſiæ jus fuiſſe, ut liberi quoque eorum poſt manumiſſionem ſuſcepti Eccleſiæ liberti eſſent, quum jure communi libertorum liberi, quod ingenui naſcantur, operas non præſtent, *l.* 11. *C. de op. lib.*: quam opinionem præclare confirmant verba Concilii Toletani in *cap.* 3. *de reb. Eccl. alien.*, *Sacerdotibus liceat aliquos de familiis Eccleſiæ manumittere, ita ut cum peculio, & poſteritate ſua, ſi ingenui ſunt, ſub patrocinio Eccleſiæ maneant, utilitates injunctas ſibi, juxta quod potuerint, proſequentes*. Ego libertorum Eccleſiæ liberos *quaſi libertos* dixerim, nam & Eccleſiæ tamquam patronæ debebant, quod ipſi prope liberti, ingenui tamen erant. Huc refero illud Concilii Toletani IV. *can.* 69. apud Grat. *loc. cit.* *Ipſa poſteritas naturali ingenuitate obnitens ſeſe ab Eccleſiæ patrocinio non ſubtrahet*. Id etiam peculiare de libertis Eccleſiæ jus fuiſſe oſtendit τὸ *cum peculio* in deſcriptis Concilii Toletani verbis, ipſa manumiſſione peculium conceſſum non intelligi: quod Toletanum IX. diſerte cavit *can.* 16.: quum jure communi ſervo inter vivos manumiſſo res ſecus ſe habeat, *l.* 53. *de pec.*

TITULUS IV.

DE LAICIS, ET CLERICIS.

EXtincta inter Chriſtianos ſervitute ſumma hominum diviſio hæc eſt; Alii ſunt *laici*, alii *Clerici*, ſeu *Eccleſiaſtici* (a). Laici a græco λαὸς *plebs*; ſunt enim laici quaſi plebs Eccleſiæ. Clerici a græco κλῆρος *ſors*, ſive *quia de ſorte ſunt Domini*, ſive *quia*

(a) *Interdum omnes Chriſtiani nullo Clericorum, & laicorum diſcrimine* Eccleſiaſtici *appellantur, maxime quum Judæis, paganis, atque hæreticis opponuntur. Exempla ſunt apud Euſebium lib.* 4. *c.* 7., & *lib.* 5. *c.* 27., & *Cyrillum Hieroſolym. Catech.* 15. *n.* 4. *Sed plerumque ea vox Clericos proprie deſignat V. Valeſ. not. in Euſeb. lib.* 2. *c.* 25.

Digitized by Google

quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt, uti Hieron.
ep. 2. ad Nepot. Clerici lata ſignificatione dicebantur non ii ſo-
lum, qui in ordine, ſed & qui ſine ordine in officio erant.
S. Ephrem *Serm. parænet. de ſecund. Domini advent.*, & Canon
24. Laodicænæ Synodi ſub Damaſo cum *Capitul.* Caroli M. *lib.* 1.
c. 14. collatus *Clericos* appellant Cantores, quos in officio fuiſſe,
non in ordine, argumento eſt illud Concilii Carth. IV. *can.* 10.,
poſſe aliquem a ſimplici Presbytero, inſcio etiam Epiſcopo Can-
torem fieri. Qui in ordine erant, ii proprie *Clerici*, & pro-
prie *ordinari*: qui in officio erant, ii proprie *in canone eſſe*,
& *promoveri* dicebantur, Concil. Chalced. *can.* 2. Canon hoc lo-
co eſt *Catalogus*, uti Canon inter Apoſtolicos 14., ſeu *matri-
cula*, uti Concilium Agathenſe *can.* 2., ſeu *album*, uti Sidonius
Apollinaris *lib.* 6. *ep.* 8., ſeu, uti loquitur Auguſtinus *hom.* 50.
de diverſ., *tabula* eorum, qui Eccleſiæ erant addicti, deque
ejus ſportulis, & oblationibus participabant. Hinc factum no-
men *Canonicorum*, quo omnes canone comprehenſi deſignaban-
tur. *Cantorum Canonicorum* meminit Concilium Laodicæn. *can.* 15.
Igitur aut ordo, aut officium Clericos faciebat. Qui nunc ſo-
la Tonſura, atque Eccleſiaſtico habitu Clerici fiunt, eos Ec-
cleſia per quinque priora ſæcula ignoravit. Probat id & Patrum
de ea re ſilentium, & illud Patrum per id tempus effatum,
aut ordinatione, aut officio aditum patere ad Clerum: quam
ſententiam mire adſtruit Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 34. Addam ar-
gumentum a Clericalis Tonſuræ, atque habitus origine ductum,
a quo nullum eſſe effugium poteſt. Sunt qui Tonſuræ, ſeu
Coronæ Clericalis originem ab Apoſtolis repetunt. Moventur
verbis Papæ Aniceti ex *ep. ad Epiſc. Galliar.*, *Ut* (Clerici) *ju-
xta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in mo-
dum ſpheræ radant*; itemque verbis Gregorii Turon. *de glor.
Martyr. lib.* 1. *c.* 28., *Petrus Apoſtolus ad humilitatem docendam
caput deſuper tonderi inſtituit*. At vero Aniceti epiſtola Iſidori
Mercatoris figmentum eſt. Id tantum ab Aniceto conſtitu-
tum, in Libro Pontificali, qui Damaſo tribuitur, ſcriptum
eſt, *ut Clericus comam non nutriat ſecundum præceptum Apo-
ſtolicum*: quod de capillitii brevitate, quam omnibus fidelibus,
& maxime Clericis Paulus imperavit 1. *ad Cor.* 11. *v.* 14., quamque
non pauci infidelium modeſtiæ cauſſa ſervabant; non de raden-
da in modum ſpheræ ſumma capitis parte intelligendum eſt. Ne-
que alius eſt ſenſus Gregorii Turonenſis, cujus verba laicos æ-
que, atque Clericos ſpectant. Jam veri ſpeciem non habet,
quo tempore deſæviebat in Eccleſiam rabies Perſequutorum,
quam devitari Eccleſiæ intererat, Clericos ſe ſe eis tam certa
nota conſpicuos feciſſe. Porro Optatus Milevitanus *lib.* 2. id Do-
natiſtis vitio dedit, quod contra ſatis multa exempla in con-
tra-

trarium propoſita *capita raderent Sacerdotibus*, ſive ut ita iſ populo deſpectui eſſent, ſive ut viderentur publici pœnitentes, quales eſſe Clerici non poterant (*a*): quod nullum fuiſſe eo tempore Tonſuræ Clericalis uſum ſupponit. Denique Hieronymus legem illam Moyſis de Sacerdotibus Synagogæ, *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed attondebunt capita ſua*, ad Eccleſiæ Miniſtros refert in *cap.* 44. *Ezechiel.* his verbis, *Perſpicue demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, cultoreſque Iſidis, atque Serapis, nos eſſe debere, nec rurſus comam dimittere. Diſcimus, nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur: ſed in tantum capillos eſſe demittendos, ut opertum ſit caput.* Conſenſiſſe ſuper hac re cum Occidentali Eccleſia Orientalem, demonſtrant Auctor Conſtitutionum Apoſtolic. *lib.* 1. *cap.* 3., Euſebius *l.* 2. *c.* 22., Clemens Alexandrin. *Pædagog. l.* 1. *c.* 3., & Auctor librorum *de Eccl. Hier. c.* 6. Nulla quoque olim fuit propria Clericorum civilis veſtis. Quum laici, tum Clerici tunicam, togamque Romanam geſtabant. Illuſtre eſt in hanc rem Cœleſtini Papæ teſtimonium ex ejus Epiſtola *an.* 428. ad Viennenſis, ac Narbonenſis Provinciæ Epiſcopos data. Reprehendit is Gallicanæ Eccleſiæ Clericos, qui pallio, & cingulo utebantur *contra Eccleſiaſticum morem*: additque momentoſa hæc verba, *Diſcernendi a plebe, vel cæteris* (laicis) *ſumus doctrina, non veſte: mentis puritate, non cultu.* Eandem fuiſſe olim Orientalis Eccleſiæ diſciplinam, multis docet Thomaſin. *cap.* 44. Sexto ſæc. raſum Clericorum caput, atque inferius tenui pilorum ordine veluti corona cinctum, qualis fuit Monaſtica tonſura (*b*), unde Clericali occaſio data, habes ex Gregorio Turonenſi *de vit. Patr. cap.* 17. Sexto etiam ſæc. Eccleſiaſticum a ſæculari habitu diſtinctum, atque hunc breviorem a Barbaris in Italiam inlatum, illum oblongiorem, propriumque Romanorum, patet ex S. Gregorio *lib.* 7. *ep.* 11., *Hom.* 4. 17. 36. *in Ev.*, & *Dial. lib.* 4. *c.* 40., & ex Joh. Diacono *in vit. S. Greg. lib.* 2. *cap.* 13. Nunc vides, per quinque priora Eccleſiæ ſæcula neminem ſola tonſura, atque habitu ſine ordine, aut officio Clericum fuiſſe. Sed non ut primum Clericalis tonſura inſtituta eſt, Clerici ſola tonſura inſignes eſſe in Eccleſia cœperunt. Tonſis continuo unum ex inferioribus ordi-

(*a*) *Dicam de hac re lib.* 2.

(b) *Sub finem hujus Libri tit. de Monachis triplex Tonſuræ genus, puta*, Monaſticam, Clericalem, *&* Pœnitentium *expendam*.

ordinibus collatum, docere videtur Synodus Trullana *can.* 33., & non obſcure tradit Surius in vita Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani *die* 6. *Apr. c.* 10. Quo primum tempore id genus Clericorum Eccleſia receperit, haud liquere ajo. Eos meminit Synodus VII. *an.* 787. *can.* 14., & Meldenſe Concilium *an.* 845. *can.* 58.: multoque apertius meminere Zonaras in *d. can.* 14., & Balſamon in eundem *can.*, & in *can.* 62. *Apoſtol.*, & *can.* 33. *Trull.*: quin in *d. can.* 14. Balſamon eorum meminit, quos non tonſos Clericali veſte Epiſcopus induebat, eoſque Clericos eſſe affirmat. Nunc de Clericis ſingillatim. Horum alii Ordine, alii Officio, ac dignitate diſtinguuntur inter ſe.

TITULUS V.

DE CLERICIS, QUI ORDINE DISTINGUUNTUR INTER SE.

CLericorum, quos Ordo diſtinguit, alii Minores, alii Majores. Minores, quos *juniores Eccleſiæ* Gregorius Turonenſis appellat *lib.* 5. *c.* 26., ſunt *Oſtiarii*, *Lectores*, *Exorciſtæ*, *Acolythi*. Nomina hæc, & miniſteria, quæ his nominibus deſignantur, *ad ipſum Eccleſiæ initium* refert Synodus Tridentina *ſeſſ.* 23. *c.* 2. Quid proprie ſit *Eccleſiæ initium* in Tridentina Synodo, non conſtat. Hinc dubitatum, num ſit eorum origo ab Apoſtolis repetenda. Affirmant Baron. ad *an.* 44. *n.* 78., Bellarminus *de Clericis lib.* 1. *c.* 11., & Schelſtratus *Concil. Antioch. reſtitut. Diſſ.* 4. *c.* 17. *art.* 2., laudantque Ignatii Martyris S. Johannis Evangeliſtæ diſcipuli Epiſtolam *ad Antiochenos*, & Apoſtolicas Conſtitutiones. Sed eam Epiſtolam apocrypham eſſe ex eo, quod nulla ſit ejus mentio apud antiquos Patres, nulla apud Euſeb., qui ſeptem alias Ignatii Epiſtolas recenſet, & vero etiam ex eo, quod illa hypodiaconos, qui per plura ſæcula inter minores Clericos fuere, Lectores, ac Janitores Ignatii aevo recentiores memoret, jam Critici tradiderunt. Cujus autem ætatis ſit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum, jam dictum. Eos Clericos ab Apoſtolis, eorumve proximis ſucceſſoribus inſtitutos, non probari, ingenue fatetur Cardinalis Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 17.: ac diſerte P. Lombardus 4. *ſent. diſt.* 24., D. Thomas *ſupplem. p.* 3. *q.* 37. *art.* 2., & Amalarius Fortunatus *de Off. Eccl. lib.* 2. *c.* 6. eos procedente tempore Eccleſiam ſibi conſtituiſſe docent: ſed nec quo proprie poſt Apoſtolos tempore inſtituti ſint, ulla certa conjectura deprehendi poſſe, Cotelerius inquit in *Conſt. Apoſtolic. lib.* 2. *c.* 25. Prima

eorum

Digitized by Google

eorum mentio apud Tertullianum, Cornelium P., ac Cyprianum. Sed primus Cornelius *ep. ad Fab.* apud Euſeb. *lib. 6. c. 43.* videtur quatuor illas minorum Clericorum ſpecies meminiſſe. Auctor Epiſtolæ ad Antiochenos, quæ falſo Ignatii nomen præfert, itemque Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Canonum, qui dicuntur Apoſtolorum, Auctor, hic *can.* 69., ille *lib. 3. c. 11.*, & *lib. 8. c. 26.*, quibus locis minores Clericos memorant, de Acolythis verbum nullum: quin Auctor Epiſtolæ ſub nomine Ignatii inter Oſtiarios, atque Exorciſtas interjicit *Laborantes*, quos Apoſtolicæ Conſtitutiones, atque Apoſtolici Canones omittunt: ut hinc liceat colligere, non fuiſſe certum, nec ſemper ubique eundem eorum numerum in Eccleſia primitiva. Porro hoc idem alia etiam probant, nempe Apoſtolica Conſtitutio *lib. 3. c. 26.* in hæc verba, *Exorciſta non ordinatur, nam hoc munus ſpontaneæ Dei erga homines miſericordiæ eſt*: Clericatus initia a Lectoratu interdum facta apud Zozimum ad Heſychium *ep. 1. c. 3.*, Siricium ad Himerium *ep. 1. c. 9.*, Cyprianum *lib. 2. ep. 5.*, Gelaſium ad Epiſcopos Lucaniæ *ep. 1. c. 3.*, Gregorium Turon. *lib. 4. c. 6.*, & Paulinum *Natal. 4.*, ubi de Felice Nolano: Lectores in Eccleſia Alexandrina *nullo diſcrimine*, uti Socrates loquitur *lib. 5. c. 22.*, adſumti ſive ex *fidelibus*, ſive ex *Cathecumenis*, qui certe Clerici non erant: ac datus quandoque a Lectoratu ad Diaconatum nullo alio interjecto ordine adſcenſus, uti Joh. Chryſoſtomo datum ſcribunt Pallad. *in ejus vita*, & Socrat. *lib. 6. c. 3.* Facit quoque huc *can. 13.* Concilii Sardic. Quid de Græca Eccleſia dicam? Græcos ab antiquis uſque temporibus, quorum initium aliter Morinus *de Ord. exerc. 14. c. 1.*, aliter definit Schelſtratus *loc. cit.*, unum habere minorum Clericorum ordinem, puta, Lectoratum, jam omnibus compertum eſt; neque enim potuit veterem Græcorum morem ſolvere Innocentius IV. *ep.* 10. apud Rainald. *an.* 1154. *n.* 9., ubi, *Præcipimus, quod Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant: quum hucuſque tres de minoribus neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur*. Sed vide Arcud. *de Sacr. Ord. lib. 5. c. 9.*, Morin *de ſacr. Ordinat. exerc. 11. c. 3.*, & Thomaſin. *p. 1. lib. 2. c. 33. n. 10.* Quoniam autem quæ poſterioribus temporibus minorum Clericorum cœperunt eſſe partes, eæ initio prope omnes erant Diaconorum, vero proxima videtur opinio, quæ fert, minores Ordines ſua origine, hoc eſt, quatenus Diaconatu comprehendebantur, Apoſtolicæ inſtitutionis eſſe: tum, quod creſcente Fidelium numero Diaconi tot muneribus obeundis pares non eſſent, eos diverſis temporibus veluti quaſdam portiones a Diaconatu Eccleſiam decerpſiſſe.

Oſtiarii, qui & *janitores*, & *aditui* dicti, ſunt, qui Templorum januas cuſtodiunt. Græcorum, & Romanorum Templa ſuos habuere æditoos, quorum præcipuum munus erat profanos a ſacris arcere. Conſtitutos etiam a Salomone Oſtiarios, ſcriptum eſt 1. *Paralip.* 23.: & forte Salomonem imitata Oſtiarios ſuos conſtituit Eccleſia. A veri ſpecie haud longe abeſt conjectura Binghami *Orig. Eccl. lib.* 3. *c.* 6. §. 3., eam maxime ob cauſſam Oſtiarios ab Eccleſia Romana inſtitutos, ut formidoloſis perſequutionum temporibus ſtata conventuum, & precationum tempora per eos indicerentur. Oſtiarii officium ſatis prodit formula, quam recitat Epiſcopus ordinator. Hic claves Eccleſiæ manibus ejus tradens inquit, *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem de his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Concil. Carth. IV. *c.* 9. Multo apertius Oſtiarii officium exponit Iſidorus Hiſpalenſis *can.* 1. *diſt.* 25., *Ad Oſtiarium pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat, & aperiat Templum Dei, & omnia, quæ ſunt intus, extraque, cuſtodiat: fideles recipiat, excommunicatos, & infideles ejiciat*: quod poſtremum non eſt ita accipiendum, ut quo tempore aliquid recitabatur e ſacris libris, aut verbum Dei prædicabatur, hæreticos, judæos, gentiles Eccleſia excluſos putes; namque eos interfuiſſe, oſtendunt Patres ſuis Homiliis, quibus ſæpe eos compellant. Et ſane iis denegari, quæ ad mentes inſtruendas, formandoſque mores ſpectant, Chriſtiana caritas non patitur. Apud Græcos primum Diaconi, tum Subdiaconi portas ſervarunt. Auctor *Libror. de Eccl. Hierarch. c.* 5., in eumque locum S. Maximus, & Pachymeres, Synod. Laodic. *can.* 22., & 43. Sicubi erant Oſtiarii, hi exteriores, Subdiaconi portas Sanctuarii cuſtodiebant: ubi nulli Oſtiarii (nullos fere ſemper habuere Græci) utraſque Subdiaconi obtinebant. Morin. *ex.* 12. *c.* 4. Oſtiariorum officium jam prope deſuevit. Lectores, quos tanquam Clericos primus nominaſſe videtur Tertullianus de *Præſcript. hæret. c.* 41., ſunt, qui aliquid in Eccleſia recitant e ſacris libris, *d. can.* 1. Hinc olim ſacri Codices apud Lectores depoſiti, atque urgentibus Perſequutoribus, ut ſibi eos Epiſcopi traderent, ſæpe ab Epiſcopis reſponſum, *Scripturas Lectores habent*. Baron. *ad an.* 303. *n.* 7. 12. 13. Recitabant autem e ſuggeſtu, ſeu pulpito; unde phraſes illæ Cypriani de Lectoribus *ſuper pulpitum imponi*, & *ad pulpitum venire*: & pulpitum *tribunal Lectorum* Sozomeno dictum *lib.* 9. *c.* 2. Ante inſtitutos Lectores Scripturas a Presbyteris, ac Diaconis, & vero etiam laicis mandatu Epiſcopi in Eccleſia lectas exemplo Synagogæ, in qua Lightfooto teſte *Harmon. p.*479. ſeptem Sabbatho lectores legebant, primum Sacerdos, tum Levita, poſtremo quinque Iſraelitæ ſibi invicem ſuccedentes,

con-

Digitized by Google

conjectura eſt Basnagii *Exercit. in Baron. p.* 623. Quod de Presbyteris, ac Diaconis inquit, id nemo eſt, qui jure neget, ſi advertat, vel poſt conſtitutos Lectores id munus Presbyteros, & maxime Diaconos tanquam proprium retinuiſſe. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 2. *c.* 57., Hieronym. *ep.* 48. *ad Sabinian.*, Sozom. *lib.* 7. *c.* 19. Quod de laicis addit, id omnino obſcurum; fieri tamen veriſimile videtur poſſe ex eo, quod de Eccleſia Alexandrina memoriæ prodidit Socrates *lib.* 5. *c.* 22., cujus loci ſententiam paulo ſuperius dedi: itemque ex eo, quod de Saturo ſcribit Cyprianus *lib.* 3. *ep.* 22. Saturum *Clero proximum feciſſe* ſe, Cyprianus ait, quod adhuc laico *ſemel atque iterum lectionem* dedit *die Paſchatis*, ut peritiæ ejus periculum fieret. Dixi, Lectoratu inſtituto retinuiſſe Presbyteros, ac Diaconos antiquum munus. Sed non eadem ubique obtinuit diſciplina. In Africa Lectores ſcripturas omnes, & vel ipſum Evangelium legiſſe, teſtis eſt Cyprianus *lib.* 2. *ep.* 5., & *lib.* 3. *ep.* 22. Eandem conſuetudinem Hiſpanicas Eccleſias ſervaſſe, ex *can.* 2. Concilii Tolet. I. collige cum Albaſpinæo in eum *can.* In Eccleſia Alexandrina Evangelii lectio ſoli Archidiacono data. Sozom. *lib* 7. *c.* 19. Alibi paſſim a Diaconis, aut Presbyteris ex Evangelio aliquid recitatum. Auctor *Conſt. Apoſt.*, & Hieronym. *cit. loc.*, Concil. Vaſenſe II. *c.* 2. Antequam Lector initium lectioni faceret, indictum elata voce a Diacono ſilentium verbo, *Attendamus*, tradit Chryſoſtomus *Hom.* 19. *in Acta Apoſt.* V. quoque Ambroſ. *præfat. in Pſalm.*, & Auguſtin. *de Civ. Dei lib.* 22. *c.* 8. Quum Evangelium legebatur, Clerum, & populum adſurgere, mos fuit. Auctor *Conſt.*, & Sozom. *ibid.* Fuiſſe in quibuſdam Eccleſiis certum quoddam Lectorum corpus, argumento eſt mentio *Archilectoris ſeſſ.* 14. Concilii Chalced. Exorciſtarum, qui Latinis ſunt *Adjuratores*, munus exponit Concilium Carth. IV. *can.* 7. *Exorciſta, quum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſive baptizatum, ſive catechumenum.* Nullus olim certus Exorciſtarum ordo. Chriſtiani ſive Clerici, ſive laici beneficio Chriſti dæmonia expellebant. Orig. *contra Celſ. lib.* 7., Tertullian. *Apol. c.* 23., Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 26. Solenne autem fuiſſe, ut Chriſtianorum adjurationibus Dæmones urgerentur, illuſtri Tertulliani teſtimonio docemur, *Edatur hic aliquis* (Ethnicos compellat *d. c.* 23.) *ſub Tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Juſſus a quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo.* Sub exitum ſæc. III., quum Deus denegare uſitatam depellendorum Dæmonum gratiam cœ-

piſſet, certus videtur factus ordo Exorciſtarum, quos proinde inter minores Romanæ Eccleſiæ ordines recenſet Cornelii P. Epiſtola apud Euſeb. *lib.* 6. *cap.* 43. Quod vero Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor, qui certe antiquior Cornelio non eſt, nullum ſuo tempore Exorciſtarum Ordinem fuiſſe affirmet, hinc confice, eum Ordinem citius Romæ, ſerius alibi conſtitutum. Paſſim autem ejus meminere ſæculi IV. Scriptores. V. Concil. Laodic. *c.* 24., Antioch. *c.* 10., Epiphan. *expoſit. Fid. n.* 21., Paulin. *Natal.* 4. *S. Felic.*, & Sulpit. Sever. *vit. S. Martin. c.* 5. Exorciſtarum eſt energumenos, puta a dæmone vexatos, quos proinde *dæmoniacos* dicunt, curare, *d. can.* 7. Carth. IV. Primum curabant, ut maximam diei partem energumeni eſſent in Eccleſia: quod ex Concilii Carth. IV. *can.* 91., & 92. manifeſtiſſimum fit. *Pavimenta domorum Dei energumeni verrant. Energumenis in domo Dei adſidentibus victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.* Deinde eis, quod præcipuum erat, omni die manus imponebant. Concil. Carth. IV. *can.* 90. Nunc ad malos ſpiritus adjurandos majores Clerici adhibentur. Acolythi, quos & *Acoluthos* dicunt, qua de re Pamel. in *ep.* 55. *Cypriani*, latine ſonant *Comites*, *Aſſeclæ*: quæ ſignificatio opinandi occaſionem Duareno dedit *de Beneſ. lib.* 1. *c.* 14., eos ideo fortaſſe ſic dictos, quod Epiſcopos comitarentur, quocumque proficiſci vellent. Sane Eccleſiaſtica diſciplina ſic ferebat, ut Epiſcopi, ac Presbyteri comites ſibi adjungerent Clericos, perpetuos vitæ teſtes, *can.* 58., & 60. *cauſ.* 2. *q.* 7. Hinc Etherium Lexovienſem Epiſcopum *quieviſſe in ſtratum ſuum*, ſcribit Greg. Turonenſis *lib.* 6. *c.* 36., *habentem circa lectum ſuum multos lectulos Clericorum*. Hinc multa Acolythorum fides: quo factum, ut Eccleſiaſticæ literæ ab Epiſcopis ad Epiſcopos Acolythis dari conſueverint. Cyprian. *lib.* 2. *ep.* 8., & 10., ac *lib.* 3. *ep.* 7. 11., & 24. Sed Epiſcopis & Presbyteris perpetuum illud Acolythorum teſtimonium graviter & acerbe ferentibus, aliæ eis partes intra Eccleſiam datæ, de quibus ita Concilium Carth. IV. *can.* 6., *Acolythus quum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat; ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat, ſe ad accendenda luminaria mancipari* (Hinc Acolythi ceroferarii dicti, *can.* 1. *diſt.* 21.) *Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum* (miniſtris) *vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti*. Officium hoc Acolythorum nunc paſſim obeunt homines nullis ordinibus initiati. Jamque ante Concilii Tridentini tempora *ſanctorum Ordinum a Diaconatu ad Oſtiariatum functiones pluribus in locis* fuerant *intermiſſæ*: quas proinde Concilium *revocari in uſum juxta ſacros Canones* jubet

ſeſſ. 23. *c.* 17. *de ref.* Sed non dum antiqua Eccleſiæ diſciplina omnino reſtituta eſt: quod Cardinalis Bona queritur *rer. liturg. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 18.

Majores Clerici ſunt *Subdiaconi*, *Diaconi*, *Presbyteri*. Subdiaconi, quos primi videntur meminiſſe inter Latinos Cyprianus non uno Epiſtolarum loco, inter Græcos Athanaſius *ep. ad ſolit. vit. ag.*, diu minorum Clericorum numero fuerunt. Docet id Innocentius III. in *cap.* 9. *de ætat. & qualit.*, *& ordin.* Hinc olim in Eccleſia Latina, uti nunc etiam in Græca, pariter atque alii minorum ordinum Clerici extra altare ac Sanctuarium ordinati. Amalarius (*a*) *lib.* 2. *de Div. off. c.* 6. At quo primum tempore cæpit Subdiaconatus eſſe ſacer ordo? Interpretes Decretalium in *d. cap.* 9. id tum factum putant, quum primum Subdiaconis perpetuæ continentiæ lex eſt impoſita. Sed næ ii omnino errant. Cœlibatus Subdiaconis indictus *can.* 33. Concilii Illiberitani; at eum Canonem non recepit Hiſpania, multoque minus aliæ gentes: tum ſæculo quinto ea lege Subdiaconos obſtrinxit Leo I. *ep.* 12. *ult. edit.*: ac ſexto demum ſæculo de eadem re generaliter cautum a Gregorio I. *lib.* 1. *ep.* 42., poſt quod tempus vix ulla Subdiaconorum conjugatorum mentio occurrit. At vero ætate Amalarii, qui IX. ſæculo Libros IV. *de Divinis Officiis* ſcripſit, Subdiaconi inter minores Clericos erant. Quin Morinus *exerc.* 11. *c.* 6. id adſtruit, ſub exitum ſæculi XI. Subdiaconatum in minoribus ordinibus adhuc fuiſſe, licet non diffiteatur, eum alicubi inde uſque a ſæc. IX. ſacri Ordinis loco habitum: ut hinc intelligas, non uno ubique tempore ejus Ordinis rationem in Eccleſia immutatam. Alibi citius, ſerius alibi cœpit is ordo intra Sanctuarium, Miſſarumque ſolemnia conferri, ſicque ſacri Ordinis jure cenſeri. Quoniam autem de hac re edifferit Innocentius III. *d. c.* 9., ejus verba expendamus. Deſcribit primo loco Urbani P. I. decretum, quod etiam Gratianus refert *can.* 4. *diſt.* 60. Sed certe errore amanuenſium Urbano I. tribuitur, quod Urbano II. tribuendum eſt; namque ibi Innocentius Urbanum in-

(a) *Auctor Librorum* de Divinis, ſive Eccleſiaſticis Officiis, *non fuit Amalarius Fortunatus Archiepiſcopus Trevirenſis*, *ut Morino Exerc.* 11. *c.* 6., *aliiſque non paucis viſum*; *ſed Amalarius Eccleſiæ Metenſis Diaconus Fortunato recentior*. *Et vero Fortunatum anno* 814. *mortuum*, *Annales Francorum probant*: *contra eos libros non ante annum* 827. *ſcriptos*, *ex opere ipſo ſatis apparet*. *Id te*, *bone Lector*, *monitum volui*, *quod alibi me aliud agentem eos libros Fortunato tribuiſſe*, *memini*.

Digitized by Google

inquit *referre ſe ad ſtatum Eccleſiæ primitivæ*: quod minus proprie dicitur de Urbano I., qui in tempus incidit Eccleſiæ primitivæ: ac porro apud Ivonem, & in Panormia laudatur illud Decretum ex Synodo Beneventana ſub Urb. II. V. Romanos Correctores in *d.can.*4. Decreti verba hæc ſunt, *Nullus in Epiſcopum, niſi in ſacris Ordinibus inventus fuerit, eligatur. Sacros ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum; hos ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe.* Igitur ſub Urbano II., qui XI. ſæc. Pontificatum geſſit, non dum Subdiaconatus ſacris Ordinibus accenſebatur. *Subdiaconis vero* (ſunt & hæc Decreti verba) *quia & ipſi miniſtrant altaribus, opportunitate exigente concedimus in Epiſcopos eligi . . . quod ipſum non ſine R. Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* Hinc etiam habes, Subdiaconos tempore Urbani II. adhuc in cenſu minorum Clericorum fuiſſe; alioqui enim quid opus illa Romani Pontificis, aut Metropolitani indulgentia fuiſſet? Conſiſtendum nunc in verbis Innocentii III., *Quum hodie Subdiaconatus inter ſacros Ordines computetur, ſicut Urbanus II. expreſſit, Erubeſcant* &c. Alterum Urbani II. decretum addit, quod Subdiaconatum jam factum Ordinem ſacrum ſupponit. Tum Innocentius totam cauſſam concludit his verbis, *Nos volentes ſub hoc articulo diſceptationis materiam amputare, ſtatuimus, ut Subdiaconus libere valeat in Epiſcopum eligi, ſicut Diaconus, vel Sacerdos.* Thomaſinus *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 33. duo Urbani II. pugnantia Decreta admiratur: deinde ait, non alium vere quam Innocentium III. Subdiaconos inter majores Clericos retuliſſe, quum eos non petita venia libere poſſe in Epiſcopos eligi, conſtituit, ſicut Diaconi poterant, vel Sacerdotes. Cum Thomaſino noviſſime ſenſit Van Eſpen *p.* 1. *lib.* 1. *tit.* 3. Ego ſeorſim ſentio. Si enim poſterius Decretum, quo Subdiaconatus ſacer ordo pronunciatur, Urbano II. adſcribas, uti Thomaſinus adſcribit, & certe ex Innoc. III. auctoritate omnes adſcribunt; quid cauſſæ eſt, cur eum ab Innoc. III. potius, quam ab Urbano II. inter majores Ordines poſitum dicas? Sunt hæ plane nugæ. Ego, ut & ſibi conſtet Urbanus, & Innocentii III. conſiſtat auctoritas, ſic facio conjecturam, uſque ad annum 1091., qui tertius Pontificatus Urbani annus fuit, quoque anno is Beneventanam Synodum habuit, Subdiaconos in minoribus Clericis fuiſſe: at vero eundem ipſum intra octo reliquos Pontificatus ſui annos ſacris Ordinibus addidiſſe Subdiaconatum: quo ſpectat poſterius ejus Decretum in *d. c.* 9.: quumque poſterius hoc Urbani Decretum ita conceptum ſit, ut Subdiaconatum jam factum ſacrum Ordinem ſupponat potius, quam faciat, fortaſſe medio inter utrumque Decretum tempore novum Ur-

bani

Digitized by Google

bani de Subdiaconatu in ſacros Ordines referendo Decretum prodiit, quod nunc tamen non extat. De Subdiaconorum officiis ſic habe. Olim Epiſcoporum literæ ad Epiſcopos ut Acolythis, ita & Subdiaconis datæ: quod ſæpe a Cypriano factum, multæ ejus Epiſtolæ commonſtrant. Tempore oblationis ut Diaconi ad januas, quibus viri Eccleſiam ingrediebantur, ita Subdiaconi ad januas ſtabant, quibus ingrediebantur mulieres, vetabantque, ne quis exiret, aut intraret, etſi fidelis. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 11. *Oblationes in Templo Dei a fidelibus Subdiaconi ſuſcipiebant, & Levitis* (h. e. Diaconis) *ſuperponendas altaribus deferebant*, *can.* 1. *diſt.* 25. Dabatur id munus primo Subdiaconorum, quem Græci *Domeſticum Subdiaconorum* (a), Latini *Oblationarium* dixere, Synod. VIII. *act.* 2., Anaſtaſ. Biblioth. in Greg. III. Nunc præcipuum eorum munus eſt, quod & ſemper præcipuum fuit, Diaconis in Sacra liturgia miniſtrare: unde factum nomen Subdiaconorum. Pertinet huc Canon 5. Concilii Carth. IV., *Subdiaconus, qui ordinatur, patinam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium*. Ex hoc ordinationis ritu conſequitur illud, quod Iſidorus Hiſpalenſis ſcribit apud Gratian. *can.* 1. *diſt.* 25., *Ad Subdiaconum pertinet calicem, & patenam ad altare Chriſti deferre, & Levitis tradere, eiſque miniſtrare: urceolum quoque, & aquam, manile*, (alibi eſt, *aquamanilem*) *& manitergium tenere, Epiſcopoque, & Presbytero, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam præbere*. Diaconi Latinis ſunt *Miniſtri*, quod Presbyteris ſacris operantibus ſolenniter & proxime miniſtrent. Hinc Hebræis dicti *Azanitæ*, puta *Adjutores*, teſte Epiphanio *hær.* 30., & paſſim *Levitæ* appellantur, præſtant enim in Eccleſia, quod Levitæ olim in Synagoga, *can.* 1. *diſt.* 21. Diaconos ab Apoſtolis inſtitutos, & communi Chriſtianorum menſæ addictos, ſcriptum eſt *Act.* 6. Cave tamen putes, Diaconos communibus menſis tantum præpoſitos. Ecce tibi Cypriani locum in *can.*25. *diſt.* 93., *Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros*. Idem habet Ambroſ. in *Luc. lib.* 7. *c.* 9. Porro quod ajunt Apoſtoli *Act.* 6., *Non eſt æquum, nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis*, non ſolum ad corporalis victus, ſed & ad Euchariſtiæ di-

(a) *Græcis* Domeſticus *eſt alicujus Collegii præſes; unde* Domeſticus Scholarum, *h. e. præfectus tyronum, qui in Ephæbeis ad militiam erudiebantur: &* cantorum Domeſticus, *h. e. qui in Eccleſia cantus regit. V. Bulenger. de Imperio Rom. lib.4. c.38.*

Digitized by Google

diſtributionem referunt interpretum plerique; nam præcipue id muneris ſibi datum a Chriſto Apoſtoli profitebantur verbum Dei prædicare: unde Paulus 1. *ad Cor.* 1. *v.* 16. & 17., *Baptizavi autem & Stephanæ domum: caterum neſcio ſi quem alium baptizaverim; non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*. Et vero Diaconi quum poſt, tum ante ſublatam menſæ communionem permulta ſacra munia objerunt. I. Verbum Dei prædicarunt: quod Stephanum, & Philippum Diaconos Apoſtolis ipſis coævos feciſſe, conſtat ex *Act.* 6. *v.* 10., & *Act.* 8. *v.* 5. Verum id eos mandatu Apoſtolorum feciſſe, argumento eſt illud, quod mox de Presbyteris dabo, hos non ſine Epiſcoporum venia ſacras habere conciones potuiſſe. II. Evangelium in Eccleſia legerunt. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 2. *c.* 57., S. Hieronym. *ep.* 57. *ad Sabin.*, Concil. Vaſenſe II. *can.* 2. III. Certis formulis in qualibet Divini cultus parte proclamarunt; unde Syneſio *ep.* 67., & Chryſoſtomo *Hom.* 17. *in Hebr.* 9. *Eccleſiæ præcones* dicti. De hac re *lib.* 2. IV. Offerentium nomina publice in Eccleſia recitarunt. Hieronym. *in Ezech.* 18. V. Nulla neceſſitate urgente baptizarunt: extatque in hanc rem Philippi Diaconi exemplum *Act.* 8. *v.* 38.; ſed Epiſcopi tamen accedebat auctoritas. Tertull. *de Bapt. c.* 17., Hieronym. *Dial. contra Lucifer. c.* 4. VI. Corpus, & ſanguinem Chriſti in Eccleſia diſtribuerunt, ſed laicis tamen, atque abſentibus Presbyteris: his autem præſentibus nonniſi juſſi. Concil. Arelat. II. *can.* 15., & Carth. IV. *can.* 38. Diaconos ipſis Presbyteris dare Euchariſtiam contra canonem, & conſuetudinem auſos Nicœnum Concilium coercuit *can.* 18. VII. Miſſam, quam dixere Cathecumenorum, celebrarunt. Caſſian. *lib.* 11. *Inſt. c.* 15., *Celebrare velut Diaconum Cathecumenis miſſam*. De hac Miſſa ſic Concilium Carth. VII. *can.* 48., *Epiſcopus nullum probibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive gentilem, ſive hareticum, ſive judæum uſque ad Miſſam Cathecumenorum*: ex quo loco ſatis, ut mihi videtur, aperte liquet, Miſſam Cathecumenorum fuiſſe eam noſtræ Miſſæ partem, quæ eſt ab Introitu ad Offertorium. Dicta autem *Miſſa Cathecumenorum*, quod uſque ad Offertorium liceret Cathecumenis intereſſe, uti latius *lib.* 2. Alicubi Diaconos Sacrificium ipſum per ſummam audaciam obtuliſſe, teſtes ſunt Patres Concilii Arelat. I.; ſed continuo Arelatenſe Concilium reſtitit *can.* 15. Et ſane Diaconi *ad miniſterium, non ad Sacerdotium conſecrantur*. Concil. Carth. IV. *can.* 4. (a) Quid

circa

(a) *At enim Diaconos conſecraſſe Euchariſtiam, videtur tradere Ambroſius de. Offic. lib.* 1. *c.* 41. *Ibi Laurentius Diaconus ita* [illegible] *Si-*

circa Pœnitentiæ Sacramentum potuerint Diaconi, *lib.* 2. proponam. Hæc fuere præcipua Diaconorum intra Eccleſiam officia. Extra Eccleſiam viduis, orphanis, pauperibus, & Confeſſoribus carcere detentis conſilio, atque eleemoſynis aderant. *Act.* 6. *v.* 1., Dionyſ. Alexandr. apud Euſeb. *lib.* 7. *c.* 11., Auctor

E *Conſt.*

Sixtum Epiſcopum ſuum ad martyrium properantem alloquitur, Quo, ſancte Sacerdos, ſine Diacono properas. Nunquam Sacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras. Quid in me ergo diſplicuit, Pater? Cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas? *Baronius ad an.* 261. *n.* 7. *ſic locum reſtituit*, Dominici ſanguinis diſpenſationem: *quam lectionem Editiones Baronio recentiores ſequutæ ſunt. Sed ea tamen eſt contra omnium antiquorum quum editorum, tum MSS. Codicum fidem. Petrus Bleſenſ. ep.* 123. *ad Epiſc. Londonenſ. in eum Ambroſii locum hac habet*, Nobis Diaconis conſecratio committitur, non ut conficiamus, ſed ut conficientibus humiliter aſſiſtamus. *Verum ita non Diaconi ſolum, ſed omnes adſtantes conſecrarent: quod etſi a Guerrico Abbate dictum* ſerm. 5. de Purificat., *haud eſt tamen proprie dictum, atque a ſenſu veteris Eccleſiæ longiſſime abeſt, uti recte Card. Bona rer. liturg. lib.* 1. *c.* 25. §. 4. *Laudatus Cardinalis, quem noviſſime ſequutus eſt Binghamus Orig. lib.* 2. *c.* 20. §. 8. conſecrationem *interpretatur* diſtributionem, *qua pro eorum temporum conſuetudine* miniſterialis conſecratio, *aut* Sacramenti conſummatio *dicebatur, quod ita fideles conſecrarentur, & conſummarentur. At vero iſta* fidelium, *non* ſanguinis *conſecratio eſt. Accedit, quod ſanguinis diſpenſatio ſatis explicetur per ea, quæ ſequuntur*, cui conſummandorum &c., *ut proinde* ſanguinis conſecratio *eſſe debeat omnino aliud. Meum animum ſubiit conjectura, quam judicio aliorum libens ſubjicio. Antiquorum Ritualium teſtimonio exploratum eſt, plures in uno Sacrificio adhiberi olim Calices conſueviſſe, unum, ex quo Sacerdos, & Miniſtri, alios multo grandiores dictos* miniſteriales, *ex quibus fideles Chriſti ſanguinem ebibebant. Porro vinum a fidelibus oblatum Calici majori Diaconos infudiſſe, Ordo Romanus teſtatur. Denique Sacerdotes, alioſque Altaris miniſtros ex puro ſanguine, reliquos fideles ex ſanguine vino infuſo potaſſe: ejuſque conſuetudinis cauſſam præcipuam fuiſſe communicantium multitudinem, cui conſecrati vini non parva quantitas vix ſufficere potuiſſet, ex Ordine Romano, & Conſuetudinibus S. Benigni Divionenſis docet*

Mar-

Conſt. lib. 2. *c.* 31., & 32., ac *lib.* 3. *c.* 19., Concil. Carth. IV. *can.* 43. Dabant autem eleemoſynas Epiſcopo auctore, *d. c.* 31. De peccatis populi ad Epiſcopos referebant. Auctor *Conſt. lib.* 2. *c.* 44. Denique Epiſcopis in publicum procedentibus præibant. Pallad. in *vit. Chryſoſt. c.* 2. Diaconi primum inſtituti numero ſeptem. *Act.* 6. *v.* 1. Eundem numerum Eccleſiæ primum ſervarunt. In Eccleſia Romana is diu ſtetit. Certe ſtabat ſæc. IV., & vero etiam quinto. Sozomen. *lib.* 7. *c.* 19., Auctor (*a*) *Comm. in* 1. *ad Timoth.* 3. Alibi eum ſuo tempore varium fuiſſe, Sozomenus addit, uti varius ubique hoc tempore eſt. Presbyteri latine *ſeniores*; magis tamen ſapientiæ, quam ætatis gratia *Presbyteri* dicti, quod Hieronymus monet *in Iſai.* 3., quemadmodum *Senatores* Romæ, & *γέροντες* apud Græcos. A ſacris, quibus operantur, dicti etiam *Sacerdotes*. Var. *lib.* 4. *de L. L.* Sed & Presbyteri, & Sacerdotis nomen fuit olim Epiſcopo quoque commune. Cyprian. *ep.* 33., Chryſoſt. *hom.* 1. *in Philipp.* 1. V. Cotelor. in *Ignat. ep. ad Magneſ. n.* 1., & Fabrot. in *Parat. Cujacii lib.* 1. *C. tit.* 3. Sæpe, ne æquivocandi occaſio daretur, Epiſcopi aut *ſummi Sacerdotes*, aut *Sacerdotes primi ordinis*: Presbyteri autem *ſecundi ordinis Sacerdotes*, vel *Sacerdotes ſecundi* appellati ſunt. Tertull. *de Bapt. c.* 17., Ambroſ., ſive potius Hilar. in *ep. ad Eph. c.* 4., Theodoſ. & Valentin. *Append. Cod. Theod. n.* 20. Quam late pateat Presbyterorum poteſtas, intellige ex Epiphanio *hær.* 75. *n.* 5., ubi Aërium Presbyteros Epiſcopis æquantem hoc uno argumento rejecit, *Ordo Epiſcoporum ad gignendos*, h. e. ordinandos *Patres præcipue pertinet*. Spectat huc illud Hieronymi *ad Evagr.*, *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Quibus locis Epiphanius, & Hieronymus cum Presbytero Epiſcopum conferunt ſpectata

Martene de antiq. Eccl. rit. lib. 1. *c.* 4. *art.* 10. *n.* 11. *Fortaſſe igitur Diaconi, uti vinum e ſcyphis offerentium calici majori infundebant, ſic partem vini conſecrati de minore Sacerdotis calice in miniſterialem, ac majorem non conſecrato vino plenum derivantes*, conſecrare ſanguinem *dicebantur*. *Ita aliquando nonnullis viſum, immiſſa in vinum hoſtiæ particula vinum conſecrari, ſicque in Eccleſiis quibuſdam receptum, demonſtrat poſt Mabillonium Martene ibid.*

(a) *Auctor Commentariorum in Epiſtolas S. Pauli creditus olim Ambroſius; vere tamen eſt Hilarius Sardus Eccleſiæ Romanæ Diaconus, qui IV. ſæc. vixit. Petavius de Eccl. Hier. c.* 12. *opus illud Hilario abjudicat; ſed Petavii argumenta rejicit N. Alexander in ſæc. IV. art.* 14.

ſtata ſolum poteſtate, quam dicunt ordinis; namque hæc ſola utrique communis eſt, & *ordinatione excepta*, quæ propria ſemper Epiſcopi fuit, qua de re late *lib.* 2.; eadem in Presbytero eſt, quæ in Epiſcopo, ſi id unum addas, de quo mox, Epiſcopum liberam, Presbyterum obnoxiam poteſtatem exercere. Ecce, Presbyteri communem cum Epiſcopis habent ligandi, & ſolvendi poteſtatem. Hieronym. in *Matth.* 16. II. Ii *in confectione Divini corporis, & ſanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt*. Concil. Aquisgr. II. *c.* 8. III. Eis, *ſicut Epiſcopis, diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt*, *d. c.* 8. IV. Communis eorum, atque Epiſcoporum cura *in doctrina populorum, & in officio prædicandi*, *d. c.* 8. Verum honos ſummo Sacerdotio debitus fecit, ut Presbyteri ab iis nulla in re non penderent. *Presbyteri, & Diaconi* (ait Canon Apoſtolicus 40.) *præter Epiſcopum nihil agere pertentent*. Et vero præter Epiſcopi ſententiam non baptizabant. Tertull. *de Bapt. c.* 17. Sacras conciones ad populum habere niſi aut abſente, aut mandante Epiſcopo non poterant, unde ut ſæpe juſſi concionabantur, ita interdum id facere pro ejus arbitratu vetabantur. In Oriente inde uſque ab antiquis temporibus verbum Dei Presbyteros prædicaſſe mandatu Epiſcoporum, ex eo patet, quod eſt apud Socratem *lib.* 5. *c.* 22., & Sozomenum *lib.* 7. *c.* 17., quo tempore *Arius Eccleſiam perturbavit*, Presbyteris ſacra prædicatione Alexandriæ interdictum. In Occidente primus omnium Auguſtinus Presbyter ab Epiſcopo Valerio concionandi poteſtatem accepit, præſente etiam ipſo Valerio, *contra conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum*, uti Poſſidius inquit in *vit. Aug. c.* 5. Et quamquam nonnulli Epiſcopi obloquerentur; tamen Valerius objecta Orientalium Eccleſiarum diſciplina factum tuebatur ſuum: quod mox non pauci ſuo quoque facto probarunt. Poſſid. *ibid.* Denique eis non licebat *ſine Epiſcopo*, h. e. injuſſu Epiſcopi, *miſſas celebrare*. S. Ignat. *ep. ad Smyrn.* De Presbyterorum jure circa Pœnitentiæ Sacramentum, dicam *lib.* 2. Quemadmodum autem nihil a Presbyteris actum ſine Epiſcoporum auctoritate, ita prope nihil ab Epiſcopis actum niſi ex conſilio Presbyterorum. Id multis dabo, quum de Ordinationibus, & Judiciis Eccleſiaſticis agam. Nunc, quoniam Presbyteri nomen Epiſcopo etiam commune fuit, uti jam præmonui, placet quædam de Epiſcopis addere pro poteſtate, quam habent, ordinis; nam de eorum officio, ac juriſdictione redibit ſermo *tit. ſeq.* Ad poteſtatem ordinis maxime pertinet Ordinatio, quam Epiphanius, & Hieronymus laudatis locis ſic propriam faciunt Epiſcoporum, ut ea una Presbyteris præſtent. Atque hoc uno nomine Epiſcopatum eſſe Sacramentum a Presbyteratu diſtinctum, ſaniores Theologi con-

Digitized by Google

tendunt. Ad eandem poteſtatem quædam alia referuntur Ordinationi proxima, puta, Eccleſiaſticarum ædium, atque Altarium conſecratio, Eccleſiarum pollutarum reconciliatio, Chriſmatis confectio, Confirmatio, Benedictiones nonnullæ, & conſecratio Virginum, ac Viduarum: quorum quinque priora *lib.* 2., poſtremum exponam hoc loco. Sacras Deo Virgines ante Monaſteriorum inſtitutionem, ac vel ab ipſis Eccleſiæ primordiis fuiſſe, teſtes ſunt Tertullianus *lib.* 1. *ad uxor.*, & Cyprianus *de habit. virgin.* Earum vita intra domeſticos parietes eadem, quæ proceſſu temporis Monialium fuit. Hieronym. *ad Euſtoch. de cuſt. Virgin.* Porro earum duplex genus; aliæ enim aut ipſæ ſe pulla, ac vili veſte induentes, aut hanc accipientes a parentibus nullo adhibito ſolenni ritu ſe ſe ſacrabant Deo: de quibus Hieronym. *ad Marcellam de laudib. Aſellæ*: aliæ celebriore aliquo die feſto ab Epiſcopis intra Miſſarum ſolennia ſacro flammeo, quod Optatus *mitram* dixit *lib.* 2. *c.* 7., velabantur: de quibus Ambroſius *exhortat. ad Virgin.*, & *ad Virgin. lapſam c.* 5. (*a*), ubi ritum ejus conſecrationis deſcribit. Viduæ, quarum hic mentionem injeci, ſunt quas dixere *Diaconiſſas*. Earum inſtitutores Apoſtoli. Paulus *ep. ad Rom. ult. v.* 1. cujuſdam *Phœbes* meminit, quam vocat *διάκονον*, *miniſtram*: quo etiam nomine latine appellatas, Plinius tradit *lib.* 10. *ep.* 97. Viduæ ut plurimum, quæ unum erant virum paſſæ, eligebantur. Paulus 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 1. Quandoque etiam *perpetuæ virgines*. Epiphan. *expoſit. Fid. n.* 21. Nonniſi emenſis ſexaginta annis eligebantur. Paul. *ibid.*, Tertullian. *de vel. virg. c.* 9., Theodoſius *l.* 27. *C. Th. de Epiſc. & Cl.* (*b*) Tum Chalcedonenſe Concilium Diaconiſſas quadrageſimo anno non minores admiſit *can.* 14. al. 15.: quam ætatem Juſtinianus expreſſit *Nov.* 123. *cap.* 13. Idem Juſtinianus *Nov.* 6. *c.* 6. de Diaconiſſis ait, *Circa quinquaginta annos agentes*. Contra Olympiam Diaconiſſam multo quadragenariis juniorem ſub Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo memorat Sozom. *lib.* 8. *c.* 9.; ut hinc liceat colligere, circa Diaconiſſarum ætatem aliquid fuiſſe Epiſcoporum arbitrio datum. Diaconiſſarum officia intra Eccleſiam erant portas ſervare, per quas feminæ Eccleſiam intrabant: feminis locum in Eccleſia dare: feminas, per id tempus, quo baptiſmus per immerſionem dabatur,

---

(a) *Nihil cauſſæ eſſe, cur* Tractatus ad Virginem lapſam *Ambroſio abjudicetur, quod a Bellarmino, ac Poſſevino factum, contendit* N. *Alexander in ſæc.* IV. *art.* 27.

(b) *Theodoſii Conſtitutio extat etiam in C. Juſt., eſtque l.* 9. *eod., ubi tamen pro* LX. annis, *eſt* L. *Forte Tribon., ut ſuo tempori ſerviret, ſcripſit* XL., *ad Chalced. Concilium ſpectans*.

Digitized by Google

tur; ſacro oleo (qui proprius Græcæ Eccleſiæ mos fuit) ante baptiſmum inungere, & baptizatas ſuſcipere, atque abſtergere. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 28., Auctor *ep. ad Antioch. n.* 12., rurſus Auctor *Conſt. lib.* 3. *c.* 15., & Epiphan. *expoſ. Fid. n.* 21. Extra Eccleſiam erant Epiſcoporum mandata ad mulieres adferre: eas ægrotantes inviſere, eiſque pietatis officia præſtare: ac demum Confeſſoribus carcere detentis, ad quos Clericis tempore perſequutionum facilis aditus non patebat, miniſtrare. Auctor *Conſt. lib.* 3. *c.* 15., Epiphan. *hær.* 79. *n.* 3., Hieronym. *ep.* 2. *ad Nepot.*, Coteler. in *Conſt. lib.* 3. *c.* 15., Gothofred. in *l.* 27. *C. Th. de Ep. & Cl.* Græci diutius, quam Latini Diaconiſſas habuere; ſed non uno tempore in Oriente, aut Occidente univerſo deſierunt. Tempore Balſamonis, qui ſæc. XII. vixit, erant Diaconiſſæ in Eccleſia Conſtantinopolitana; at in aliis Græcis Eccleſiis deſierant. Balſamon *Reſp. ad interrog. Marci c.* 35. apud Leunclav. *Jur. Græc. Rom. tom.* 1. In Occidente de abrogandis Diaconiſſis ſæpe in Conciliis actum, uti habes ex *can.* 26. Concilii Arauſic. I., *can.* 21. Epaonenſ., *can.* 18. Aurelianenſ. II. Nihilominus earum mentio eſt apud Venantium Fortunatum, & in Wormatienſi Concilio, ut mox. Sed tandem ſæc. X., aut XI. Diaconiſſarum uſus omnino videtur intercidiſſe. Bona *rer. liturg. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 15. De Diaconiſſarum conſecratione, cujus gratia hæc de Diaconiſſis tractatio ſuſcepta eſt, non idem omnibus. Eas Baronius ad *an.* 34. *n.* 283. nullam accepiſſe manuum impoſitionem ſcribit. Movetur *can.* 19. Concilii Nicæni, in cujus fine hæc verba ſunt, *Diaconiſſarum meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter laicos ipſa connumerentur*. Verum non de Diaconiſſis in univerſum agitur eo Canone, ſed de iis, quæ habitum ſine ulla manuum impoſitione inter Paulianiſtas ſumſerunt. Quod ſi quis integrum Canonem per partes expendet, is deprehendet ſane, Diaconiſſas in Eccleſia Catholica per impoſitionem manuum conſecratas. V. Albaſpin., & Lup. in *d. can.*, & Fabrot. *not. ad Balſam. Collect. Conſtit. p.* 1417. Ut ita Nicænum Canonem accipiamus, faciunt Auctor *Conſt. lib.* 8. *c.* 19., Patres Concilii Chalced. *can.* 15., Trullani *can.* 14., Wormatienſis *can.* 73., & Fortunatus in *vita Radegundis* apud Sur. *Auguſt.* 13., qui de Diaconiſſis agentes impoſitionis manuum meminere. Erat ea manuum impoſitio non *Sacramentalis*, quæ characterem imprimit, ſternitque viam ad Sacerdotium, ſed *ceremonialis*, qua mulieres illæ certo muneri in Eccleſia obeundo addicebantur: idque erat *conſecrari*. Manus imponebat Epiſcopus. Auctor *Conſt. d. c.* 19., & Fortunat. *ibid.*

TI-

TITULUS VI.

DE CLERICIS, QUI OFFICIO, AC DIGNITATE DISTINGUUNTUR INTER SE.

JAm ſeptem Eccleſiæ ordines percurrimus. Sed quoniam præter ea, quæ cujuſque ordinis propria ſunt, alia etiam munia aut Chriſtiana caritas, aut recta regiminis ratio expoſcebat, ea inter minores, majoreſque Clericos diviſa ſunt, atque ad ea munia, quæ ordinum erant, tanquam cumulus, acceſſerunt. De his officiis nunc inſtituenda oratio eſt. Clerici officiis, ac dignitate diſtincti inter ſe ſunt *Copiatæ*, *Parabolani*, *Catechiſtæ*, *Pſalmiſtæ*, *Paramonarii*, *Oeconomi*, *Defenſores*, *Interpretes*, *Notarii*, *Apocriſarii*, *Archidiaconi*, *Archipresbyteri*, *Canonici*, *Epiſcopi*, *Chorepiſcopi*, *Vicarii*, *Coadjutores*, *Metropolitani*, *Patriarchæ*, *Cardinales*, *Papa*.

Copiatæ a Græco κόπος, *labor*, Latinis ſunt *Laborantes*. Eorum partes erant defunctorum corpora geſtare, ac tumulis inferre: hinc a Juſtiniano *Nov.* 43., ac Theodoreto *ep.* 110. *Lecticarii* dicti a *lectis* Eccleſiæ, quibus mortuorum corpora efferebantur, *d. Nov.*, & *Foſſarii* ab Auctore Libri *de ſeptem ord. Eccleſ.*, qui ſub Hieronymi nomine circumfertur, quod corporibus condendis terram foderent. Eos rectiſſime dicas *Libitinarios*, *Pollinctores*, *Veſpillones*. Id munus olim Clericos exercuiſſe, teſtatiſſimum faciunt Epiphanius *expoſ. Fid. n.* 21., Auctor *ep. ad Antioch. n.* 12., & Hieronymus *ep.* 49. *edit. Francof.* Hinc Copiatis utpote Clericis facta luſtralis collationis gratia *l.* 1. *C. Th. de luſtral. collat.*

Parabolani (quæ vox, uti omnium rectiſſime (*a*) Duarenus *de Benef. lib.* 1. *c.* 19. ex eo facta, quod παράβολον ἔργον, rem periculi plenam tractarent) Parabolani, inquam, *ad curanda debilium ægra corpora deputabantur*, *l.* 43. *C. Th. de Epiſc.*, quæ eſt *l.* 18. *C. Juſtin. eod. tit.* Eos fuiſſe Clericos, habes ex *l.* 42. *C. Th. eod.*: & vero proxima eſt opinio Baronii ad *an.* 416., minoribus Clericis id muneris datum.

Catechiſtæ erudiendis catechumenis vacabant. Id quandoque ab Epiſcopis, aut Presbyteris, Diaconisve, quandoque etiam a Le-

---

(a) *Accurſii*, & *Alciati originationes rejicit Jac. Gothofredus in l.* 42. *C. Th. de Epiſc.*

Lectoribus factum. De Epiſcopo Ambroſ. *ep.* 33.: de Presbytero Chryſoſt. *Hom.* 21. *ad Popul. Antioch.*: de Diacono Aug. *de catech* ɔ. *rudib. c.* 1., ac de Lectore Cyprian. *ep.* 24. al. 29., ubi Catechiſtam *Doctorem audientium* appellat. Quoniam vero interdum erat cum Philoſophis, ac reliquæ profanæ literaturæ peritiſſimis viris agendum, hinc factum quandoque, ut ſi quis laicus ſapere ſupra Clericos videretur, eum Epiſcopus potiorem haberet. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 38. Ita ab Origene adhuc laico, ſed ſuæ ætatis facile doctiſſimo, inſtitutos Alexandriæ Catechumenos, ferunt. Ab Apoſtolis, atque Apoſtolicis viris plerumque in foro, ac plateis habitas Catecheſes, Apoſtolorum Acta, & Vitæ Sanctorum commonſtrant. V. Sancti Ottonis Epiſcopi vitam apud Surium *die* 2. *Julii*. Habitas etiam quandoque in privatis Catechiſtarum ædibus, non obſcure intelliges ex Epiſtola Demetrii Epiſcopi Alexandrini ad Alexandrum Hieroſolymitanum Epiſcopum, ac Theoctiſtum Cæſareenſem. His Epiſcopos accuſat Demetrius, quod Origeni non dum Presbytero publice in Eccleſia coram Epiſcopo concionandi poteſtatem feciſſent. Quoniam autem erat Origenes Catechiſtæ officio functus Alexandriæ ſub Demetrio ipſo, ſi id præſtitiſſet non in privato auditorio, ſed in Eccleſia, defuiſſet certe Demetrio ejus epiſtolæ ſcribendæ cauſſa, uti ſubtiliter, ac vere Valeſius in *Euſeb. lib.* 6. *c.* 9. Idem præclare confirmat, quod de Diaconiſſis apud Auctorem *Comm. in Rom.* 16. *v.* 1. qui vulgo dicitur Hieronymus, & in *can.* 2. Concil. Carth. IV. ſcriptum eſt, ab eis fuiſſe in Orientalibus, atque Africanis Eccleſiis Catechumenos Chriſtianam Religionem edoctos: quod quum fieri in Eccleſia non potuerit; namque id ab Apoſtolo interdictum protrito eo verbo, *Docere mulieri non permitto*, Patrum ſententia eſt; omnino debuit in privatis ædibus fieri. Denique in Exedris Eccleſiæ Catecheſes habitas, ex epiſtola Johannis Hieroſolymitani ad Theophilum Alexandrinum oſtendit Valeſius *cit. loc.* In eandem ſententiam laudari poteſt Ambroſii locus ex *ep.* 20. *ad Marcellinam nov. edit.*, ubi ſe competentibus *in Baptiſterio* ſymbolum enarraſſe, ait. V. quoque *Nov.* 73. Imp. Leonis.

Pſalmiſtæ, ſeu *Pſaltæ* Latinis ſunt *Cantores*. Pſalmos, atque Hymnos temporibus Apoſtolorum fuiſſe in Eccleſia cantatos, Pauli Apoſtoli teſtimonio liquet *ep. ad Epheſ. c.* 5. *v.* 1. Cantaſſe Clerum, ac populum univerſum, docent Chryſoſtomus *Hom.* 36. in 1. *ad Cor.*, & Hieronymus *præf. l.* 2. *Comm. in ep. ad Galat.*, ut proinde quod fuit *can.* 15. Laodicenæ Synodi cautum, *Non oportet, præter canonicos Cantores, qui ſuggeſtum adſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia*, id aut

non

non fuiſſe ubique receptum, ut Card. Bona *rer. liturg. lib.* 1. *c.* 25. *n.* 19., aut ad tempus cautum dicas, neceſſe ſit, nempe, ut Binghamus *Orig. lib.* 3. *c.* 6. §. 2., quouſque Pſalmodia dignitati priſtinæ, quæ defecerat, redderetur. Et ſane facile erat in populi cantum cacophoniam, atque immodeſtiam irrepere: quod ſuo tempore factum queritur Chryſ. *Hom.* 1. de verbis Iſai., *vidi Dominum*. Reſtituendæ Pſalmodiæ ſæpe adlaboratum, ut fideles cantus dulcedine detinerentur, & ſacra Scripturarum ſenſa in eorum animos ſuavius influerent. Maxime omnium de Eccleſiaſtico cantu ſollicitus fuit S. Gregorius, quem cantus Eccleſiaſtici libros redegiſſe in compendium, & cantorum ſcholam conſtituiſſe, ex eaque cantores in Occidentem univerſum emiſſos, Joh. Diaconus tradit in ejus *vit. lib.* 2. *c.* 6. 7., & 8. De Scholis Cantorum videndus Bona *d. cap.* 25. §. 20. Procedente tempore cantatum in Eccleſia ab Eunuchis, qui ordinis Eccleſiaſtici expertes erant. Balſam. in *can.* 4. Syn. VI. in Trullo.

Paramonarios, quorum Chalced. Concilium meminit *can.* 2., & Juſtinianus *l.* 46. §. 3. *C. de Ep. & Cl.*, Dionyſius Exiguus in *d. can.* 2. latine dicit *manſionarios*: quæ vox occurrit etiam apud Gregorium M. *Dial. lib.* 3. *c.* 25. Hi ultimi manebant in Eccleſia, unde *manſionariorum* nomen. S. Gregorius *loc. cit.* Abundium quendam primum *Eccleſiæ manſionarium*, tum *Eccleſiæ cuſtodem* appellat. Idem *lib.* 1. *c.* 5. Conſtantio cuidam manſionario tribuit *accendendarum lampadum* munus. Certe & oleum lampadibus infundere, & lampades accendere, atque extinguere, & Eccleſiam cuſtodire temporibus Gregorii Manſionariorum partes erant. V. Voſſ. *lib.* 3. *de vitiis ſerm.* At *Paramonarios* proprie eſſe *villicos*, ſeu *actores poſſeſſionum* ex eorum genere, qui res Eccleſiaſticas adminiſtrant, docent Cujacius, Gothofredus, Voſſius, aliique græce docti viri. Et Juſtinianus quidem eos *d.* §. 3. inter piarum actionum, rerumque Eccleſiaſticarum adminiſtratores recenſet, eoſque eo genere comprehendi ait. Forte *Manſionarius*, ac *Paramonarius* duo diverſa inter ſe Officia erant.

Oeconomos definit Concilium Tolet. *c.* 43., qui *vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tractant*. Eos Leo, & Anthemius *diſpenſatores pauperum* dicunt *l.* 33. §. 4. *C. de Ep. & Cl.*, quod *propria pauperum ſunt Eccleſiæ bona*. Iſid. Peluſiot. *lib.* 1. *ep.* 269. Rectiſſime a Toletanis Patribus dictum, *vice Epiſcoporum*. Olim Epiſcopi res Eccleſiarum curabant, ſibique adminiſtros ut plurimum adſciſcebant Archidiaconos ſuos. Deinde ſæc. IV. fidelium numero, & bonorum Eccleſiaſticorum, itemque negotiorum, quibus Epiſcopi, atque Archidiaconi diſtinebantur, copia in dies creſcente, Oeconomi inſtituti ſunt. Acceſſit

& ea

Digitized by Google

& ea cauſſa, quod Epiſcopi res Eccleſiaſticas ſine Oeconomis tractantes malam de ſe ingererent opinionem, unde Sacerdotio univerſo labes adſpergebatur. Id in cauſſa fuit, cur Chalcedonenſis Conc. Patres caverint ad hunc modum *can.* 26., *Placuit, omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem ex proprio Clero œconomum habere, ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ adminiſtratio* &c. Ex proprio cujuſque Eccleſiæ Clero deligebantur, *d. can.* 26., & plerumque ex ordine Presbyterorum. Concil. Epheſin. *act.* 1. *in Concil. Chalc.*, Liberat. *Breviar. c.* 16.

Eccleſiæ Defenſores eoſdem eſſe cum *Defenſoribus pauperum*, opinio eſt nonnullorum. At magis eſt, ut omnino alii ſint. Hi pauperes, viduas, orphanos, *quorum moleſtiis* ipſa *fatigabatur Eccleſia, adverſus potentias divitum* apud Magiſtratus, aut Imperatores tuebantur, uti eſt in Concilio Carth. V. *c.* 9., & apud S. Ambroſ. *lib.* 2. *de off. cap.* 29., & *ep.* 27.: illi jura Eccleſiæ, aut Clerici alicujus, ſi quando contra Clerici, aut Eccleſiæ jura factum diceretur, uti eſt in Conc. Carth. I. *c.* 9., & apud Poſſid. *vit. S. Aug. c.* 12. Ut ut ſit, certe exemplo *Defenſorum Civitatum*, de quibus preſtat titulus in Codice, *pauperum*, & *Eccleſiæ Defenſores* inſtituti ſunt. Defenſores fuiſſe laicos, Petavius ſcribit *in Epiph. hær.* 62. *n.* 10. Ex adverſo Morin. *de ordinat. Exerc.* 16. *c.* 6. *n.* 16. eos fuiſſe Clericos contendit. Satius duco inter Orientalem, atque Occidentalem Eccleſiam diſtinguere. In Oriente Defenſores ex Clero adſciti, ac plerumque ex Presbyteris. Concil. Epheſin. *act.* 5. Conſtantinop. ſub Flaviano *act.* 2., & Conſtantinop. ſub Menna *act.* 1. In Occidente etiam Clerici primum fuerunt: tum, quod minus decere videretur, Clericos in foro agere, cœpere Epiſcopi *Scholaſticos*, hoc eſt, Advocatos, qui laici erant, ad id munus ab Imperatoribus exorare. Conc. Carth. V. *c.* 9., & Milevit. *c.* 16. Ex his Africanis Canonibus conſtare Thomaſinus inquit *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 97. *n.* 6., Defenſores in Occidente primum laicos fuiſſe; at vero ex iis liquere videtur mihi, initio, id eſt, ante eos Canones Clericos in Occidente Defenſores egiſſe. Id mire illuſtrat Honorii Conſtitutio, quam Patrum Africanorum preces impetrarunt, in *l.* 38. *C. Th. de Ep. & Cl. Hoc ipſis* (Eccleſiis, & Clericis) *præcipuum, ac ſingulare deferimus, ut quæcumque ad Eccleſiam tantum pertinentia ſpecialiter fuerint impetrata, non per Coronatos* (puta, per Clericos, ut antea) *ſed ab Advocatis, eorum arbitratu & judicibus innoteſcant, & ſortiantur effectum*. Africanæ Eccleſiæ diſciplina mox Romæ recepta. Zoſim. *ep.* 1. *c.* 3. Sed rurſus in Occidente ea res ad Clericos rediit: quod S. Gregorii Epiſtolæ commonſtrant, maxime *ep.* 25. *lib.* 4., *ep.* 17. *lib.* 7., *ep.* 33. *lib.* 9.: unde & illud compertum ſit, in Eccleſia Latina minores

Clericos id munus geſſiſſe. Tandem Africanos Canones de Defenſoribus laicis Capitularia Caroli M. reſtituerunt. V. *lib.* 5. *c.* 31., & *lib.* 7. *c.* 308.

Interpretes, quos in cenſu Miniſtrorum Eccleſiæ poſuit Epiphanius *expoſ. Fid. n.* 21., ſicubi populus non una, eademque lingua utebatur, ad ea, quæ fuerant in Eccleſia ſive a Lectoribus recitata, ſive a concionatoribus tractata, alio idiomate explicanda adhibebantur. Iſtiuſmodi Interpretibus affines ſunt, quos ab Epiſcopis, in quorum Diœceſibus *permixti ſunt populi diverſarum linguarum*, conſtitui *ad Divina eis officia celebranda*, *ſacramenta miniſtranda*, eoſque *inſtruendos*, jubet Innoc. III. in *cap.* 14. *de off. jud. ord.*

Notarii Martyrum ſive geſta, ſive dicta per notas, ſeu compendia vocum deſcribebant. Septem Subdiaconos, qui totidem Notariis præeſſent, ut acta Martyrum ſcripto fideliter conſignarentur, a Fabiano P. inſtitutos, eſt in vetuſtiſſimo Romanorum Pontificum Catalogo. V. Pearſon. *de ſucceſſ. Epiſc. Rom. diſſ.* 1. *c.* 4. *n.* 3. Quod Subdiaconos Notariis præpoſuerit Fabianus, id tibi argumento eſſe poteſt, Notarios ex minoribus Clericis fuiſſe. Proceſſu temporis Conciliorum acta per Notarios deſcripta, ex Euſeb. *lib.* 7. *c.* 30., Socrate *lib.* 2. *c.* 30., & ex ipſis Conciliorum actis apparet. Ad id Diaconi adhibebantur. Concil. Epheſin. *act.* 1. in *act.* 1. *Chalced.* Notariorum principes, *primicerii Notariorum* dicti, quandoque Presbyteri, *d. act.* 1.

Apocriſarii, ſeu *Reſponſales* Eccleſiarum, vel Epiſcoporum cauſſas in aula Imperatoris procurabant. De iis Juſtinianus *Nov.* 6. *c.* 2. Eos Clericorum numero fuiſſe, habes ex Liberato Diacono *Breviar. c.* 12., & Evagrio *lib.* 4. *c.* 38. Plerumque Diaconi Apocriſarios agebant. S. Gregor. *lib.* 4. *ep.* 38., *lib.* 6. *ep.* 30., *lib.* 9. *ep.* 2., *lib.* 11. *ep.* 45. Conſtantino M. antiquiores non ſunt, ſub quo primum liber potuit Clericis aditus ad aulam patere: & a Conſtantino quidem eorum originem accerſit Hincmarus *to.* 2. *p.* 206. Sed primum omnium Leo I. poſt Chalcedonenſe Concilium cum Marciano egit, ut ordinaria ac perpetua eſſet Romanæ Eccleſiæ legatio apud Imperatorem, ut ex ejus *ep.* 56. 57., & 58., quum antea nonniſi ad certas cauſſas, certumque tempus decerneretur. Mittendorum autem ad Imperatorem Apocriſariorum Romano tantum Pontifici, ac Patriarchis jus fuit, præterea nemini, *d. Nov.* 6. *c.* 3. Ab id genus Apocriſariis longe alii erant *Apocriſarii cujuſque Eccleſiæ*, de quibus in *Nov.* 123. *c.* 25.; namque hi ab Epiſcopis ad ſuos Metropolitas, & Patriarchas delegabantur. Proxime ad illos accedere videntur hoc tempore Nuntii Pontificii, qui Roma ad Chriſtianos Reges mittuntur. De Pontificiis Nuntiis v. Thomaſſin. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 117. ad libri finem.

Pa-

Digitized by Google

Parochi ſunt Presbyteri certarum cujuſque Diœceſis portionem proprii ſive in Urbe, ſive in pagis. Parochos nullos per tria ferme priora Eccleſiæ ſæcula Patres meminere; namque in *Epiſtolis* Ignatii, ac Cypriani, in *epiſtola* Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Soterem P., atque in ea, quam Cornelius P. ad Fabium Antiochenum Epiſcopum dedit, apud Euſeb. *lib.* 4. *Hiſt. c.* 23., & *l.* 6. *c.* 43., itemque in Canonibus Apoſtolicis de ſolis maximarum Urbium Eccleſiis mentio eſt; ac ſi quando *Parochiæ* vox occurrit, ea Diœceſis univerſa ſignificatur. Una in primaria Diœceſis urbe Eccleſia erat, altare unum, ubi Epiſcopus, aut, jubente vel abſente Epiſcopo, Presbyter offerebat: in eumque locum fideles, ſive *in urbibus*, ſive *in agris* degerent, *die ſolis*, h. e. Dominico conveniebant, & præſentibus quidem diſtribuebatur Euchariſtia, ad abſentes per Diaconos mittebatur. Juſtin. *Apol.* 2. Huc ſpectat *can.* inter Apoſtolicos 32., depoſitionis pœna Presbytero inflicta, qui ſeorſim ab Epiſcopo *alterum altare* feciſſet. Tandem aucto fidelium numero, & Eccleſia a perſequutionum metu reſpirante Parochiæ inſtitutæ ſunt. Eas inſtituiſſe Dionyſium P., qui *an.* 258. Romanus Epiſcopus creatus eſt, ſatis multi tradidere ex ejus *ep.* apud Gratian. *can.* 1. *cauſ.* 13. *q.* 1. Sed eam epiſtolam ab Iſidoro Mercatore confictam, doctiſſimorum virorum judicium eſt. Habebant tamen Athanaſii ævo *ſinguli* Alexandrini Epiſcopatus *pagi Presbyteros ſuos*, hoc eſt, Parochos. Athan. *Apol.* 2. V. late de hac re differentem Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 22. *Jure Divino* Parochorum partes proprias eſſe, docet Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *de ref. c.* 1. *oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, bonorum omnium operum exemplo paſcere*. Addit Synodus *ſeſſ.* 5. *c.* 2., debere eos populum ſibi creditum *diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolennibus* edocere, quæ ad erudiendas mentes animoſque ad juſtitiam componendos ſunt opus. Demum hæc eos præſtare *per ſe*, aut per alios idoneos, ſi *legitime impediti fuerint*, jubet *d. c.* 2. De Parochorum juriſdictione *lib.* 4. *tit. ult.*

Archipresbyteros, ſeu *Protopresbyteros*, uti Socrates loquitur *lib.* 6. *c.* 9., ac fere ſemper Græci (namque *Archipresbyterorum* nomen, licet græcum, perraro (a) uſurparunt Græci) *Archi-presby-*

F 2

(a) *Thomaſino ajenti p.* 1. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 1., *quem Latini Archipresbyterum dixere, a Græcis Protopresbyterum tantum appellari, Sozomenum oppono lib.* 8. *n.* 12. *ubi* Archipresbyteri *vox occurrit*.

Digitized by Google

presbyteros, inquam, puta, principes Presbyterorum, forte primus inter Latinos Hieronymus meminit *ep. 4. ad Ruſtic.* Antiquiores ordinatione Archipresbyteri conſtituebantur apud Latinos. Leo I. *ep.* 57. 58. Apud Græcos interdum ætas virtuti ceſſit. Thomaſin. ex Nazianzeno *p. 1. lib. 2. c. 3. n. 3.* Forte apud Latinos etiam quandoque ceſſit, nam Proterium a Dioſcoro *Archipresbyterum factum*, narrat Liberatus *Breviar. c.* 14. Singulas Cathedrales Eccleſias ſingulos habuiſſe Archipresbyteros, ut Archidiaconos, teſtis eſt Hieronym. *ibid.* Sed aucto fidelium numero, plures conſtitui Archipresbyteros, recta regiminis ratio popoſcit. Archipresbyteri aut *urbani*, aut *rurales*. De urbanis eſt *cap. 1. 2.*, & 3. in *Decretal. de off. Archipresb.*: de ruralibus eſt *cap. 4.* Urbanorum eſt in Eccleſia Epiſcopi præſentis curam levare, abſentis vicem ſupplere in iis omnibus, quæ Sacerdotalis officii ſunt. Ruralium eſt, *imperiti vulgi ſollicitudinem gerere*, & *Presbyterorum*, *qui per minores titulos*, hoc eſt, Eccleſias, *habitant*, puta, Parochorum, *vitam jugi circumſpectione cuſtodire*, *& qua unuſquiſque induſtria. Divinum opus exerceat*, *Epiſcopo renunciare*, *d. cap.* 4. Igitur & fidelis populi, ut Parochi, curam gerunt, & ipſis Parochis præſunt. Hi *a plebibus* dicti etiam *plebani*. Plebes Gonzalez in *d. c.* 4. *Parochias* interpretatur: rectius Thomaſinus *p. 1. lib. 2. c. 5. n. 8.*, & *c. 6. n. 1.*, quod in *d. cap. minores tituli plebibus* opponantur, liquere ait, has plurium Parochiarum tractum, illos Parochias eſſe. Sane quum baptiſmus in urbe, ac ruri in certis tantum Eccleſiis conferretur, quod perſequar *lib. 2.*, iſtis maxime baptiſmalibus Eccleſiis præponebantur Archipresbyteri, unde & plebibus, & Parochis eorum curæ commendatis invigilabant.

Archidiaconi ex ordine Diaconorum erant, ſed principes eorum. Hieronym. *ep. 85. ad Evagr.*, Prudent. *hymn. de S. Laur.* Non is, qui ordinationis tempore prior erat, Archidiaconus dicebatur, uti Salmaſio viſum *de Primat. Papæ*; namque Athanaſius Diaconus ut ut junior, princeps ordinis Theodoreto dicitur *lib. 1. c. 26.*; ſed quem Diaconi de ſe eligebant, quod *induſtrium* noſſent, uti Hieronym. *ibid.* Electum a Diaconis Archidiaconum, tradere videtur Hieronymus. At vero Laurentium Xiſtus, & Serapionem Chryſoſtomus Archidiaconum conſtituit. Ambroſ. *lib. 1. de off. c. 41.*, Sozom. *lib. 8. c. 9.* Bene Thomaſinus *p. 1. lib. 2. c. 17. n. 4.* Hieronymum inquit non affirmare, ſed fingere, ac ſupponere rem, quam profert ad comparationem. Et primum quidem ait is, Alexandrinos Presbyteros de ſe unum eligere ſolitos, qui Epiſcopus conſtitueretur: tum ſubdit, *Quomodo ſi exercitus faciat Imperatorem, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaco-*

num

num vocent. Τὸ *ſi* ſuppoſitionis, non veræ narrationis eſt nota. At Archidiaconum gradu movere, niſi cauſſa cognita, Epiſcopus non poterat. Hinc Ætius Archidiaconus ab Anatolio Patriarcha ſine cauſſa dejectus Archidiaconatu, Leonis juſſu fuit in integrum reſtitutus. V. Leonis *ep.* 71., ac Thomaſ. *d.c.*17.*n.*5. In Eccleſia, & ea quidem Cathedrali unus Archidiaconus. Hieronym. *ep.* 4. *ad Ruſt.*, Concil. Emerit. *can.* 10. Tum plures conſtituti. Intra Eccleſiam Archidiaconus vice Epiſcopi officia inter Diaconos, ac minores Clericos dividebat *cap.* 2. *de off. Archid.* Juniores Clericos, quæ ſcire ſingulos oportebat, ſive ad mentes inſtruendas, ſive ad formandos mores, ea domi ſuæ edocebat omnia. Concil. Carth. IV. *can.* 9., Greg. Turon. *hiſt. lib.* 6. *c.*36., & *Mirac. lib.* 1. *c.* 78., Beda *lib.* 5. *c.*20. Quum minores Clerici ab Epiſcopo ordinabantur, ſacra inſtrumenta cujuſque ordinationis propria Archidiaconus porrigebat. Conc. Carth. IV. *can.* 5. 6., & 9. In ordinandis vel ipſis Presbyteris, atque Epiſcopis Archidiaconi teſtimonium plurimi erat: quod ad eum de moribus ordinandorum a laicis, & Clero mos eſſet referri. Conc. Chalc. *act.* 10. Hieronym. *ep. ad Evagr.* Tractu temporis juriſdictio etiam Archidiacono acceſſit. Primum ab Epiſcopo mandatam in minores Clericos exercuit juriſdictionem. *Clerici*, *qui comam nutriunt* (verba ſunt Concilii Agath. *can.* 20.) *ab Archidiacono inviti detondeantur*. Quin juriſdictio omnis quum voluntaria, tum contentioſa in univerſam Diœceſim mandata Archidiacono fuit in Occidente æque, atque in Oriente, ut omnino eſſet Epiſcopi Vicarius generalis: qua de re abunde Thomaſinus *c.* 17. 18., & 19. In Oriente citius Archidiaconi juriſdictio defecit: cæpitque Archidiaconatus multo ante annum Chriſti milleſimum officium eſſe, quod intra ſolius Eccleſiæ fines ſe ſe continebat, quum Divina officia, ac ſacra ſolennia peragebantur. Thomaſin. *d. c.* 19. *n.* 11. At in Occidente ſtabat poteſtas eadem temporibus Decretalium, namque in *cap.* 1. *de off. Archid.* ſcriptum eſt, *Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat, ſe Vicarium ejus eſſe in omnibus*: ac tam late fuſa Archidiaconi poteſtas mox in *cap.* 7. explicatur. Alicubi conſuetudo juriſdictionem ejus ordinariam fecit, *cap.*54.*de elect.* Ita Archidiaconi licet ordine Archipresbyteris inferiores, juriſdictioni tamen potiores erant, *can.* 1. *diſt.* 25., *cap.* 1. *de off. Archipresb.* Hinc factum, ut ordine ſcripturæ præponerentur, *cap.* 1. *de ætat. qual.*, *& ord. Præf.*, ac Sacerdotii acceſſione injuriam ſibi fieri putarent. Hieronym. *in Ezech. c.* 18., Petrus Bleſenſ. *ep.* 123. Quod vero poſt annum Chriſti milleſimum ſic agere cœpiſſent, ut ſuo magis, quam vicario jure agere viderentur, haud eſſe ferendum eſt viſum, non Presbyteros Presbyteris præ-

eſſe, eiſque neceſſitas impoſita Presbyteratus: unde Hincmari Remenſis Epiſtolæ ad *Archidiaconos Presbyteros*. Tandem Archidiaconorum in exercenda juriſdictione avaritia, & contumacia in Epiſcopos fecere, ut hi paulatim juriſdictionem repeterent ſuam, quam Vicariis generalibus pro arbitrio amobilibus demandarunt, ut mox. Novo etiam Tridentini Concilii jure aliqua in cauſſis Eccleſiaſticis Archidiacono reliqua eſt juriſdictio; ſed *matrimoniales*, & *criminales* cauſſæ exceptæ ſunt *ſeſſ. 24. de reform. c.* 20.: quo Tridentini loco *Beneficiales* quoque, & in univerſum majores cauſſæ omnes, quæ altioris indaginis dicuntur, æque excipi arbitrantur. V. Barboſ. in *Collect. n.* 6.

Vicariorum ſpecies multæ. Alios Parochi, atque inferiores etiam Beneficiarii conſtituunt vice ſua ſive in perpetuum, ſive ad tempus: de quibus in tit. Decretal. *de officio Vicarii*: alios ipſi Romani Pontifices Urbe abfuturi: de quibus in *cap.* 5. *eod.*: alios Epiſcopi mandata eis generaliter juriſdictione, unde *Vicarii generales* vulgo appellati. Horum imago quidem haud obſcura in antiquis Occidentalis, atque Orientalis Eccleſiæ monumentis elucet, quam vide apud Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 7.: vere tamen qui proprie *Vicarii generales* dicuntur, libro Decretalium recentiores ſunt, quod tempore Gregorii IX. Epiſcoporum Vicarii Archidiaconi eſſent, uti jam dixi. At vero de iis agitur *eod. tit. in Sexto*. Sæculo igitur XIII. jam erat ſuus cuique Epiſcopo Vicarius generalis, uti ſuus cuique fuit olim Archidiaconus. Non teneri Epiſcopum, ſi is oneri ſuo par ſit, Vicarium conſtituere, res ipſa loquitur, & præclare probat hiſtoria eorum temporum, quibus Epiſcopi ipſi per ſe ſoli Epiſcopatum geſſere: teneri vero, ſi impar ſit, ipſa Epiſcopalis officii ratio dictat, puta, neceſſitas ei Divino jure impoſita quam optime proſpiciendi Populo Chriſtiano. Ita paucis expediri videtur poſſe vetus controverſia, in qua definienda plerique Canoniſtæ, ac Theologi ingenio, ac tempore abuſi ſunt. In eo etiam ferme totus eſt Thomaſin. *c.* 9., ut demonſtret, poſſe Epiſcopum, qui jam ſibi Vicarium conſtituit, per ſe judicia agitare, ac lites finire: idque multis collatis Conciliorum teſtimoniis confirmat. Sed nihil eſt, cur de hac re multo ſermone laboremus. In eam ſententiam utar hoc uno argumento: Qui poteſt non conſtituere Vicarium, & conſtitutum pro arbitrio amovere, eum quis neget jure poſſe per ſe judicare?

Mandatur Vicario generali formula juriſdictio in univerſam Diœceſim. Quoniam autem regula juris eſt, *in generali conceſſione non venire ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus*, *cap.* 81. *de reg. jur. in VI.*; conſectaneum eſt, Vicarium

rium ex generali juriſdictionis mandato ; quod ei ab Epiſcopo datur, non omnia omnino poſſe. At quæ ſint, quæ non poſſit, vix eſt, ut certa queat regula definiri. Quæ in diſputatione ſunt poſita, omitto: quæ certo ſunt jure cauta, proponam. Generali mandato non comprehenduntur cognitio de criminali cauſſa, *cap. 2. de off. vic. in VI.*: Beneficiorum collatio ea ratione, quod nequeat *regulariter donare is, cui bonorum adminiſtratio etiam libera eſt conceſſa*, *cap. 3. eod.*: quæ ratio pleriſque argumento eſt, id verum quidem eſſe de *libera collatione*, quæ donationis ſpeciem habet, non de *inſtitutione*, quæ in præſentato jus petendi ſupponit: item dimiſſoriarum literarum datio, niſi Epiſcopo *in remotis* agente, *cap. 3. de temp. ord. in VI.*: porro abſolutio in caſibus Epiſcopo reſervatis *arg. cap. 2. de pœnit. & remiſ. in VI.*; diſpenſatio ab irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, quarum poteſtatem Epiſcopis facit Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. de ref. c. 6.*; nam poſſe Epiſcopos abſolvere Synodus ait per *ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum*: ac Diœceſis luſtrandæ jus; nam debere Epiſcopum per ſe, niſi id juſta vetet cauſſa, Diœceſim luſtrare, nec niſi *ubi ei a jure permittitur*, id jure poſſe alii mandare, habes in *cap. 6. de off. ordin. in VI.* Quoniam autem Vicario mandata eſt juriſdictio, conſectaneum eſt, unum idemque eſſe Vicarii, atque Epiſcopi auditorium, atque a Vicario non Epiſcopum provocari, ſed qui provocaretur ab eo, qui mandavit juriſdictionem, *cap. 3. de appell. in VI.* Adi *lib. 4. tit. 2.*

Coadjutores ſunt, qui Epiſcopis, quos aut ſenium, aut mala valetudo, aut inſania, aut aliqua alia juſta cauſſa ſuum exequi munus prohibet, in ſubſidium accedunt. Primum Coadjutorum Epiſcoporum exemplum in Hieroſolymitana Eccleſia eluxiſſe, ſcribit Valeſius in *Euſeb. lib. 6. c. 11.*; Narciſſo enim Hieroſolymitano Epiſcopo annos nato 120. Coadjutor datus Alexander. Euſeb. *loc. cit.*, Hieronym. *de ſcriptor. Eccleſ. in Alexandro*. Exinde Coadjutorum exempla frequentari in Eccleſia cœperunt. Illuſtre eſt exemplum Auguſtini, qui Valerio Epiſcopo Hipponenſi male affectæ valetudinis, ac ſenii cauſſa Coadjutor acceſſit, teſte Poſſidio in ejus *vit. cap. 8.* Fuit autem Auguſtinus Valerio adhuc vivo Epiſcopus ordinatus: quo nomine dein ſcrupulus ei animo inſedit. *Hic adhuc*, ait is *ep. 110.*, *in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.* Spectat Auguſtinus ad Nicænum Canonem 8., ubi cautum, ne in una urbe duo ſimul Epiſcopi ſint: unde Conſtantio Imperatori, qui velle ſe Liberium ac Felicem ſedis Epiſcopalis ſocios eſſe, Ro-

Digitized by Google

mano Populo ſignificavit, id repoſitum apud Theodoretum *lib.* *2. c.* 14., *Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus*. Scrupulum illum nunquam ſibi ex animo exemiſſe videtur Auguſtinus, namque Eradium collegam adſcivit, at Epiſcopum non ordinavit. *Quod reprehenſum eſt in me*, inquit *loc. cit.*, *nolo reprehendi in filio meo. Erit Presbyter, ut eſt, quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus*. At duorum in urbe una Epiſcoporum exempla non deſunt. Seligam unum, cujus teſtem do Euſebium *lib.* 7. *c.* 32., ubi, *Huic* (Anatolio) *Theotecnus Caſareæ Palæſtinæ Epiſcopus . . Epiſcopum ordinavit, ſucceſſorem illum Eccleſia ſuæ deſpondens. Ambo certe aliquantiſper eamdem Eccleſiam ſimul rexerunt*. Ad hæc Africanos Epiſcopos Catholicos hanc Donatiſtis conditionem obtuliſſe, in *Collatione Carthag. I.* *c.* 16. ſcriptum eſt, ut ſervato Epiſcopatus honore ſe ſe Catholicis collegas adjungerent: ut proinde in ea ſententia fuiſſe Eccleſiæ Patres videantur, ſi aut regendæ Eccleſiæ neceſſitas, aut pax Eccleſiæ duos repoſceret in una Urbe Epiſcopos, Nicæno Canoni locum non eſſe. Jam Coadjutorum genus duplex, alterum eorum, qui ſine futuræ ſucceſſionis jure: alterum eorum, qui cum futuræ ſucceſſionis jure conſtituuntur. Quod vero futuræ ſucceſſionis jus votum continet captandæ mortis, poſterius Coadjutorum genus Tridentina Synodus averſatur: neque alias cum futura ſucceſſione Coadjutorem dari permittit, quam cauſſa a Romano Pontifice diligenter cognita, & probata *ſeſſ.* 25. *de ref. c.* 7. Quæ de Coadjutoribus Epiſcoporum, eadem dicta de cæterorum Rectorum Coadjutoribus puta.

Chorepiſcopi ſunt Epiſcopi τῆς χώρας, *ruris*. Quod ſæpe paganis fidem Chriſti ſuſcipientibus Epiſcopales Diœceſes multo latius paterent, quam ut iis regendis ſoli ſufficere Epiſcopi viderentur; in majoribus vicis, certiſve Parochiarum Epiſcopalium regionibus Chorepiſcopos ſibi Epiſcopi rurales Vicarios conſtituerunt. Eorum antiquior in Oriente mentio, quam in Occidente. Eos in Oriente meminit Ancyrana Synodus *an.* 314. *can.* 13.: in Occidente primum Synodus Regienſis in Gallia *an.* 439. Num Presbyteri fuerint, an Epiſcopi, vetus quæſtio eſt. Poſterius viſum Hammondo *Diſſ.* 3. *contra Blondel. c.* 8., Beveregio *Pand. to.* 2. *in d. can.* 13. *Concil. Ancyr.*, & noviſſime Binghamo *Orig. lib.* 2. *c.* 14. §. 4.: prius viſum Ant. Auguſtino *epit.* *lib.* 6. *tit.* 1. *c.* 8. 11. 13., ac Thomaſino *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 1., cum quibus ſentio his argumentis ductus. Primum Nicæni Patres *can.* 8., ſi quis ex Novatianis ad Catholicam Eccleſiam redeuntibus Epiſcopi gradum obtinebat, eum Presbyteri honorem habere jubent, *niſi utique Epiſcopo placeat ipſi nominis illius honorem impertiri. Si autem hoc illi non placeat, vel Presbyteri,*

vel

Digitized by Google

vel Chorepiſcopi locum ei dari, *ut in Clero prorſus eſſe videantur, nec in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*. Si Chorepiſcopi locus Novatiano Epiſcopo redeunti ad Eccleſiam datur, ne duo in civitate una Epiſcopi ſint, quis eſt, qui non videat, Chorepiſcopum certe Epiſcopum non eſſe? Deinde Antiochena Synodus *can.* 10. hæc habet, *Si qui ſunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem, manuumve impoſitionem acceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant*. Ex iis verbis, *etiamſi Epiſcopi* &c. haud obſcure patet, conſtitutos aliquando Chorepiſcopos, qui jam Epiſcopi erant, & aliqua juſta de cauſſa gerere non poterant Epiſcopatum; at Chorepiſcoporum tamen gradum infra ordinem Epiſcoporum fuiſſe. Accedit, quod Chorepiſcopi *in vicis* eſſe, vel *in pagis* dicantur eo *can.*; at Epiſcopos in vicis, ac minoribus oppidis conſtitui non debere, ne eorum nomen viloſcat, regula eſt ab Apoſtolicis temporibus per manus tradita. S. Athan. *Apol.* 2., Concil. Tolet. XII. *can.* 8., Gratian. *tot. diſt.* 80., *cap.* 1. *de privileg.* Poſtremo quum temporibus Caroli M. gravis de hac ipſa eadem re, de qua nunc quærimus, ſuborta eſſet controverſia, ejuſque finiendæ cauſſa Salisburgenſis Archiepiſcopus a Carolo ad Leonem III. fuiſſet delegatus, Chorepiſcopos haud eſſe Epiſcoporum jure cenſendos, reſponſum eſt, maxime quod non a tribus, ſed ab uno Epiſcopo ordinentur: quod jam tradiderant Antiocheni Patres *d. can.* 10.: proindeque ſi Presbyteros, vel Diaconos, Subdiaconosve ordinaverint, ſi Chriſma confecerint, vel confirmaverint, ſi demum Virgines, Eccleſias, vel Altaria conſecraverint, nihil actum intelligi. Secundum hanc Romani Pontificis ſententiam Synodi Ratiſponenſis Patres pronunciarunt. V. *Conc. Gall.* 2. *tom.* 2. *p.* 239., & *ſeq.* Argumentum, quod in contrariam ſententiam ſuppeditat locus ille Athanaſii *Apol.* 2., *Mareotes regio eſt Alexandrina, in qua nunquam Epiſcopus fuit, aut Chorepiſcopus .... Presbyteri autem ſinguli ſuos vicos habent* &c., eſt meo judicio leviſſimum. Aperte quidem Athanaſius inter Chorepiſcopos, & Presbyteros diſtinguit; at quid cauſſæ eſt, cur non pro officio potius, ac juriſdictione, quam pro ordine diſtinctum ab Athanaſio inter Chorepiſcopos, & Presbyteros dicas? Nicolai I. ad Rodolphum Archiepiſcopum Bituricenſem Epiſtolam *an.* 864., ubi & Diſcipulos LXX. vere Epiſcopos fuiſſe, & ſucceſſores eorum Chorepiſcopos Epiſcopalia obire munia recte poſſe, ſcriptum eſt; certæ fidei non eſſe, jam evicere Critici ex Concilio Metenſi, quod *an.* 888. habitum eſt; nam *can.* 8. Chorepiſcopos eſſe Presbyteros docet, ac ſi quid proprium ordinis Epiſcopalis adtrectaverint, id *vacuum atque*

inane pronunciat juxta Decreta Damaſi P. (a), *Innocentii*, *&* *Leonis*. Nicolaum contra deceſſorum ſuorum Decreta ſcripſiſſe, & Metenſe Concilium recentiſſimam Nicolai epiſtolam ignoraſſe, veri ſpeciem non habet. Chorepiſcopis multo plus, quam Parochiarum Presbyteris datum. Minores ordines conferebant. Baſilius quidem *ep.* 181. nonniſi ex ſua ſententia in ſingulas vices ordinari a Chorepiſcopis minores Clericos paſſus eſt: quæ vetus Eccleſiæ diſciplina fuit; at Concilii Antjocheni Patres *can.* 10. veniæ in ſingulas ſpecies petendæ neceſſitatem remiſere, generalem delegationem ſatis eſſe rati. Literas, quas dicunt *pacificas*, ſeu *formatas* (b), Clericis ruralibus in aliam Diœceſim abeuntibus dabant: Concil. Antioch. *can* 8 Non unam, ut Parochi, ſed plures ſinguli Eccleſias curabant, quas *regionis* nomine comprehendit Antiochenus Canon 10., eaſque luſtrabant; unde eos περιοδευτὰς, h. e. *circuitores*, ſeu *viſitatores* appellat Laodicena Synodus *can.* 57.: & a vero aberrare videtur mihi Binghamus, qui quum *act.* 4. & 10. Chalcedonenſis Concilii περιοδευτὰς iſtos dici Presbyteros animadvertiſſet, ne id ſuam de Chorepiſcoporum Epiſcopatu opinionem convelleret, περιοδευτὰς Chorepiſcopis a Laodiceno Concilio ſubſtitutos ad Chorepiſcoporum poteſtatem infringendam, ſed a Chorepiſcopis fuiſſe alios nullo idoneo teſtimonio tradit §. 12. (c) Falſum in ea re eum eſſe, probari ex eo facile poteſt; quod diu poſt Concilium Laodicenum & Chorepiſcoporum nomen, & vetus ſteterit in Eccleſia poteſtas. Ad rurales Archipresbyteros proxime videntur acceſſiſſe Chorepiſcopi, quibus ipſi Archipresbyteri ſucceſſerunt.

Tan-

(a) Decretum Damaſi, *quod Metenſe Concilium laudat, eſt Damaſi Epiſtola 4. de Chorepiſcopis, quæ extat in can.* 5. *diſt.* 68. *Verum ea Epiſtola Damaſi non eſt; data eſt enim ad Epiſcopos Africæ, quam nullos habuiſſe Chorepiſcopos, Africana Concilia ſatis probant.*

(b) *De Literis formatis bene multa lib.* 4.

(c) Chorepiſcopi, *&* Periodevtæ *non omnino unum: quod viſum nonnullis, ac nominatim Salmaſio de Primat. c.* 1., *ubi in ſuam ſententiam laudat l.* 42. §. 9. *C. de Ep. & Cler. At vero Juſtinianus d.* §. 9. *Chorepiſcopos diſerte ſeparat a Periodevtis. Sic habe. Omnes Chorepiſcopi Periodevtæ, non omnes Periodevtæ Chorepiſcopi erant, uti rectiſſime de Roye Inſt. jur. Can. lib.* 1. *tit.* 15. *At quod Binghamus contendit, Periodevtas Chorepiſcopis ſubſtitutos, id vix eſt, ut homini ſano probetur. De Periodevtis v. Fabrot. in Cujac. ad d. tit. C.*

Digitized by Google

Tandem quod cœpiſſent jura Epiſcoporum invadere, eorum uſum in Occidente ſuſtulit Leo III. in *Capitular.* Caroli M. *lib.* 6. *c.* 119.; ſed vel uſque ad XI. ſæculum videntur in quibuſdam Occidentalibus Eccleſiis ſtetiſſe: qua de re videſis Thomaſin. *c.* 2.: in Oriente ætate Balſamonis jam omnino exoleverant: cujus rei teſtis eſt idem Balſamon *in can.* 13. *Ancyran.*

Nunc de *Canonicis*. Initio Eccleſiæ fideles non Clericos ſolum, ſed & laicos communem vitam vixiſſe, ex Actis Apoſtolorum jam liquet: cujus communis vitæ rationem explicat Thomaſinus *p.* 1. *lib.* 3. *c.* 2. *n.* 3. Nullos fuiſſe per tria priora Eccleſiæ ſæcula Clericorum in commune viventium conventus, & Patrum per id tempus ſilentio probatur, & eo etiam argumento, quod illi per perſequutores non licuiſſent. Primus Auguſtinus Epiſcopus factus in domo, quam *Epiſcopi domum* dicebant, inſtituit *monaſterium*, ut ipſe loquitur, *Clericorum*, quibus non licebat *aliquid proprium habere* (a), *ſerm.* 49. *de diver.* In monaſterium, ſeu ſeminarium illud ſuum ſolos Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos admittebat Auguſtinus, præterea neminem, *ſerm.* 50. Auguſtini exemplo ſodalitia Clericorum in Africa percrebuiſſe, auctor eſt Poſſidius in ejus *vita*: at in plerisque aliis orbis Chriſtiani Eccleſiis ejus exempli nulla vis fuit: ac vitæ communis inſtitutum intra Monachorum cœnobia ſtetit. Sed communem Clericorum vitam reſtaurarunt in Hiſpania S. Iſidorus Hiſpalenſis, in Anglia S. Egbertus Eboracenſis; in Gallia Crodogangus Metenſis, cujus regula in Concilio Aquiſgranenſi a Ludovico Pio propoſita eſt, itemque Ivo Carnotenſis, & in Italia Petrus Damianus. Verum Aquiſgranenſis Concilii *cap.* 115. aliquid habere proprium Canonicis dabatur: quod urgente Petro Damiano duo Romana Concilia vetuere. At ex eo *cap.* 115. occaſio arrepta eſt, ut vitæ communis diſciplina magis magiſque ſe ſe remitteret in dies, donec *refrigeſcente caritate*, uti Ivo Carnotenſis ſæc. XII. ſcriptor inquit *ep.* 60., *in omnibus Eccleſiis pene defecit*. Omnino autem videtur defeciſſe ſæc. XII. Stephanus Tornac. *ep.* 118. 160., & 172. Cœpit ſubinde inter res Epiſcoporum, & res Canonicorum diſtingui. Hinc illa, *menſa Epiſcopi*, & *Capituli menſa*, *ſeſſ.* 5., Trident. *cap.* 1., hoc eſt, Epiſcopi, & Capituli ſubſtantia: quo ſenſu ea vox eſt apud Gregor. Turon. *lib.* 11. *c.* 3., & in *Concordia regular. cap.* 65. §. 2. Suas igitur ſinguli Canonici portiones ferebant de Capituli bonis, vivebantque inter ſu-

(a) *Euſebii Vercellenſis Epiſcopi, aliorumque inſtituta longe alia ab inſtituto Auguſtini fuiſſe, multis docet Thomaſin. c.* 4.

ſæculares; uti & nunc; unde *Canonicorum ſæcularium* nomen, qui *Canonicis Regularibus* opponuntur in Concilio Trident. *ſeſſ. 7. de Ref. c.* 14.; quod hi a ſæculo ſecreti tribus votis emiſſis monaſticam regulam profiteantur, de qua ad calcem hujus libri. Sunt autem Canonici ſæculares aut in Cathedralibus, ſeu Epiſcopalibus Eccleſiis, aut etiam in minoribus, quas vocitant Collegiatas. Quoniam vero in Crodogangi, & Concilii Aquiſgranenſis regula de ſolis Cathedralium Eccleſiarum Canonicis agitur, nonnullorum opinio fert, Collegiatas Eccleſias initio Canonicorum Regularium Abbatias fuiſſe, quæ tandem circa ſæc.X. in Collegiatas abiere. Sed Collegiatarum eo ſæc. antiquiorum, quæ Abbatiæ non fuerant, exempla profert de Roye *lib.1.c.*19. V. Thomaſ. *p* 1.*l.*3.*c.*9. Canonicorum præcipuæ partes ſunt Divinum Officium perſolvere, de quo in Concil. Aquiſgran. *cap.* 131., & Trident. *ſeſſ.* 24. *de Ref. c.* 12. Quem ſibi finem in Divino Officio perſolvendo propoſitum habere debeant, in ipſa Canonicorum regula expreſſum eſt, *Ut laudes Deo in communi perſolventes, pro ſuis, populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Deum exorent*. Id autem exequi eos debere *per ſe, & non per ſubſtitutos*, inquit Synodus Tridentina *loc. cit.* Ne Canonicis impune eſſet in Divino Officio perſolvendo negligenter agere, *Diſtributiones quotidianæ* inſtitutæ ſunt, quas *acciperent aſſidui, amitterent tardi*, uti ſuis ad Paſchalem P. literis Ivo Carnotenſis inquit. Eundem ob finem Tridentina Synodus juſſit *ſeſſ.* 21. *de Ref. c.*3., *tertiam fructuum, quorucumque proventuum, & obventionum tam Dignitatuum, quam Canonicatuum, Perſonatuum, portionum, & officiorum ſeparari, & in diſtributiones quotidianas converti*. Conſequitur hinc, quod Tridentina Synodus tradit *d. c.*3., & *ſeſſ.* 24. *c.* 12., debere Canonicos reſidere, hoc eſt, Eccleſiæ in Divinis inſervire: quod ſic accipiendum, ut eis liceat ternis menſibus in annos ſingulos ab Eccleſiis abeſſe, quod eodem *cap.* 12. expreſſum eſt; ſi qua tamen honeſta ſit abſentiæ cauſſa; non enim facile credendum, voluiſſe Concilium genio Canonicorum indulgere. Sed niſi legitimum tempus excurrat, Superioris venia non eſt opus. Sunt juſtæ nonnullæ cauſſæ, quæ Canonicorum abſentiam excuſant, eoſque percipere fructus patiuntur; quarum duæ præcipuæ ſunt, altera ſi neceſſarium, vel utile Epiſcopi tamquam Rectoris Eccleſiæ negotium curaturi abſint, *cap.*7., & 15. *de cleric. non reſid.*, quod ad *duos* tantum Canonicos paſſim reſtringunt Canoniſtæ ex *cit. cap.* 15.: altera ſi abſint in aliquo probato Gymnaſio Sacræ Theologiæ, ac Sacris Canonibus operam daturi, *cap.* 12. *eod.*, *cap. ult. de magiſtr.*, *ſeſſ.* 5. Concilii Trident. *c.* 1. *de Ref.*: in quam rem neceſſaria eſt jure communi expreſſa Epiſcopi venia,

Digitized by Google

nia, *d.c.* 12.; namque Epiſcopi eſt videre, num bonæ ſpei ſit, qui ſtudiorum cauſſa animo ſtatuit abeſſe: quod de Magiſtris etiam eſt cautum *d.c.ult.*, & *d.c.*1. Verum longe alia eſt ratio diſtributionum quotidianarum, quarum id eſt ingenium, ut eas recipiant, *qui ſtatis horis interfuerunt*, inquit Tridentinum *cit. c.* 12., *reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod S. Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus*. Bonifacii Decretum eſt in *cap. un. de cler. non reſid. in VI.*, ubi quod addit Bonifacius, *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſant*, ita velim accipias, ſi ſic ferat peculiaris Eccleſiæ conſuetudo. Bonifacius conſuetudinem, quæ abſentibus ſine juſta cauſſa diſtributiones indulget, omnino reprobat: quæ vero non reſidentibus juſtis ex cauſſis, quas recenſet, concedit, eam ſolum conſuetudinem probat: quod ſi deſit conſuetudo, his etiam denegat: quam interpretationem contextus ipſe legis confirmat. Sunt ſpecies quædam particularium Synodorum Canonibus exceptæ, de quibus Van Eſpen *jur. Eccl. p.* 1. *tit.* 7. *c.* 9. Jam quæ diſtributiones abſentibus denegantur, in pios uſus arbitratu Epiſcopi convertantur. Trident. *ſeſſ.* 22. *de Ref. c.* 3. Quæ Canonicis in commune viventibus *Monaſteria*, abjecta communi vita *Capitula* dicta ſunt: quemque Eccleſiæ *Senatum* conſtituebant olim Epiſcopus, Presbyteri, Diaconi, qua de re *lib.* 4., eum ſucceſſu temporis mire aucto Clericorum numero Epiſcopus, & ſelecti quidam ex Clero conſtituerunt, pura, Canonici Cathedrales. Trident. *ſeſſ.*24.*c.*12. Ad hæc dum ſtetit communis Canonicorum vita, prope omnia in veteri illo Eccleſiæ Senatu expediebantur; ac ubi Clerici a priſca illa vitæ communione deſciverunt, triplex rerum agendarum ratio inſtituta eſt; nam nonnulla ſolus Epiſcopus inſcio etiam Capitulo facit *tot. tit. de iis, quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſ. capit.*: nonnulla Capitulum ſolum, de quibus paſſim in *tit. de Conſtit.*: alia Epiſcopus & Capitulum ſimul faciunt, *cap.* 1. *de iis, quæ fiunt* &c. De Capitulo ſede vacante dicam inferius.

De *Epiſcopis* pro eorum officio ac juriſdictione nunc redit oratio. Qui nunc Epiſcopi, initio *Apoſtoli* dicebantur, Theodoreto teſte in 1. *ad Timot.* 3.: tum Apoſtolis vita defunctis, quod morum ſanctitate, ac teſtimonio miraculorum ſe Apoſtolis haud eſſe pares cognoſcerent, nomen abjecerunt Apoſtolorum, dictique *Epiſcopi*, uti Amalarius tradit *de off. Eccl. lib.* 2. *c.* 13., hoc eſt, *inſpectores*, ac *ſpeculatores*: quod veluti ſpeculatores majoribus Eccleſiis præpoſiti ſint. Epiſcoporum tum quantum ad ordinem, tum quantum ad juriſdictionem inſtitu-

tio

tio omnino Divina, *Act.* 20., Cypr. *lib.* 3. *ep.* 9., & *l.* 4. *ep.* 9. Quæ Diaconos, Presbyteros, Archipresbyteros, Archidiaconos, Chorepiſcopos, & Vicarios Epiſcopis delegantibus exequutos dixi, ea propria Epiſcoporum officia ſunt. Præcipuum eorum eſſe munus prædicationis, ait Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *c.* 4.: quod *ipſos per ſe, aut ſi legitime impediti fuerint*, per idoneos viros jubet exercere. Id munus adeo proprium eſt Epiſcoporum, ut alii Clerici, ſive ſæculares, ſive Regulares ſine eorum venia prædicare non poſſint, uti Trident. *ibid.* Tenentur quoque Epiſcopi per ſe ipſi, aut per alios, ſi juſta eos cauſſa excuſet, Diæceſim luſtrare, Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3., ac porro Sacrificium pro populo ſuo offerre, Sacramenta adminiſtrare, exemplo juvare, pauperum, aliarumve miſerabilium perſonarum curam paternam gerere: quæ de omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, tradit Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. Quod vero his officiis fungi non poſſint Epiſcopi, niſi in Epiſcopali Eccleſia reſideant, conſectaneum eſt, eos omnino reſidere in Epiſcopatu debere. Hinc Tridentinum *ſeſſ.* 6. *de ref. cap.* 1. Epiſcopos, qui per ſex perpetuos menſes ſua Diæceſi abſuerint, quarta fructuum unius anni parte in Fabricam Eccleſiæ, alendosve pauperes expendenda mulctat: perſeverantes autem per alios ſex menſes in eadem abſentia, alia quarta parte: creſcente vero contumacia ſeveriori Canonum cenſuræ ſubjicit. Hoc plus eos mortalis peccati reos pronunciat *ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 1. Idem Concilium *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. licet expreſſe non definiat, Epiſcoporum reſidentiam juris Divini eſſe; ad jus tamen illud non obſcure videtur ſpectare his verbis, *Quum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere &c. quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut Divinorum præceptorum memores, paſcant, & regant.* Quod ſi quis velit aliquantulum abſcedere, indulget Synodus aliquod ſpatium ſingulis annis ſive continuum, ſive interruptum, quod duos, ad ſummam tres menſes non excedat. Sed debet id æqua ex cauſſa fieri, & ſine ullo gregis detrimento. Si quis autem contra Tridentini Decreti ſententiam abſuerit, fructus beneficii ſui pro eo tempore, quo abſuit, ſuos non facit: quæ omnia de aliis etiam Curatis in univerſum Tridentina Synodus ſtatuit. Jam vero juſtæ cauſſæ, quæ Paſtores Eccleſiæ a perſonali reſidentia excuſant, hæ ſunt ex ejuſdem Synodi præſcripto *Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reip. utilitas.* Id quæritur, num liceat Epiſcopo fugere ab Eccleſia ſua, ſi qua urgeat per-

ſe-

ſequutio. Aut perſequutio in ſolum Epiſcopum, aut in univerſum populum deſævit: ſi prius, licet: ſi poſterius, non licet; nam priore caſu Epiſcopi periculum populo ſuo malo cedit: poſteriore in bonum redundat; nam fidelium animos præſentia ſua confirmat: quod facere tenetur, etiamſi vitam ſuam in ſummum diſcrimen adducat. V. S. Auguſt. *ep.* 128. *ad Honorat.* Epiſcopi in univerſam Diœceſim jurisdictio eſt adeo ut qui cum Epiſcopo non eſt, in Eccleſia non eſſe dicatur Cypriano *ep.* 69. *ad Papian.* Clerici, Monachi, laici omnes cujuſcumque dignitatis ſub cura ac diſciplina ſunt Epiſcopi ſui. Concil. Chalc. *can.* 4., & 8., Juſtin. *Nov.* 5. *cap.* 9. Concil. Arelat. I. *can.* 7. Monachi, qui primum ac diu laici fuere, prioribus Eccleſiæ ſæculis ſpirituali Epiſcoporum poteſtati æque ac laici ſubfuerunt. Primum in Chalced. Concilio *can.* 4. expreſſum eſt, Monachos jure quodam peculiari *Epiſcopo ſubjectos eſſe*, proindeque nec poſſe Monaſterium, vel oratoriam domum ſibi conſtituere præter ſententiam Epiſcopi Civitatis, nec niſi jubente Epiſcopo ſeſe Eccleſiaſticis, aut ſæcularibus negotiis immiſcere: quod jam ſuggeſſerat Imp. Marcianus *act.* 4. Secundum hanc diſciplinam poſteriorum temporum Leges, & Canones ſcripti ſunt. V. *l.* 40. *C. de Ep. & Cl.*, Juſtiniani *Nov.* 67., & 123. *cap.* 21., Concilium Aurelianenſe I. *can.* 7., & 21., Epaonenſe *can.* 8. & 19., Aurelianenſe II. *can.* 21., & Arelatenſe V. *can.* 2. Succeſſu temporis cœpere Monaſteria jurisdictione Epiſcoporum eximi: quod non ante ſæc. XI. factum probat Van Eſpen *jur. Eccl. p.* 3. *tit.* 12. *c.* 4.: & probabile eſt, circa ſæc. XIII. exemtorum Monaſteriorum exemplo induci exemtiones Capitulorum cœpiſſe. V. *Journal. des Audiences tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 31.: demum re in deterius data ſingulares etiam perſonæ quum Regulares, tum ſæculares exemplo Monaſteriorum, & Capitulorum exemtiones ſibi impetrarunt, de quibus Trident. *ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 11. Late fuit in Concilio Tridentino de Exemtionum jure diſputatum: fuitque tandem nimis effuſa exemtorum licentia intra certum modum coercita. V. *ſeſſ.* 6. *cap.* 3. & 4., *ſeſſ.* 7. *c.* 14., *ſeſſ.* 14. *c.* 4., *ſeſſ.* 21. *c.* 8., *ſeſſ.* 25. *c.* 4. 11. 12. & 14., ac Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 3. *c.* 40., & 41.

Metropolitani ſunt Archiepiſcopi, quorum prima mentio in Concilio Nicæno facta eſt. Sed ex ejuſdem Concilii *can.* 4. 6., & 7. manifeſtum eſt, inſtitutionem Metropolitanorum ipſo Concilio antiquiorem. Metropolis eſt *urbs mater*, h. e. urbs Provinciæ princeps. Sequuta eſt autem initio Eccleſia Metropoleon Civilium partitionem e re Eccleſiaſtica futurum rata, ibi Metropolitanos eſſe, quo *concurrunt omnes, qui habent negotia*: quod optimum Eccleſiæ conſilium expreſſit Synodus Antioche-

an

na *can.* 9. Sed deinde, ut Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas poſtulare viſa eſt, præter civilem illam partitionem Eccleſiaſticæ Metropoles inſtitutæ ſunt. Metropolitani juriſdictionem acceperunt per Pallii traditionem, quod ſumere dicuntur *de corpore B. Petri c.4. de elect.* Metropolitanum ante Pallii receptionem nihil poſſe juriſdictionis exercere ſcribit Innocentius III. in *c.28. de elect.*: atque hoc eſt quod dicitur in *cap.3. de uſu, & auctorit. Pallii*, contineri in Pallio *plenitudinem Pontificalis officii*. Quemadmodum autem traditio Pallii eſt poteſtatis collatio, ita ejus ademtio fuit olim depoſitionis argumentum. Paulum Alexandrinum Patriarcham per Pallii ademtionem depoſitum fuiſſe, ſcribit Liberatus in *Breviar. cap.* 21. De Pallii origine nihil certi. Decretum Donationis Conſtantini Imperat., & Liber Pontificalis Damaſi P. Pallii uſum meminere; at vero utriuſque operis ſuſpecta fides. Certe Pallii uſus apud Græcos primum invaluit: in Eccleſiam Latinam non ante ſæc. VI. inlatus eſt: qua de re vide P. de Marca *lib.6. de Concord. c.6.*, ac Thomaſ. *p.2. lib.* 1. *c.24.*, & *ſeqq.* Crucis etiam privilegium, quod primum Legatis Apoſtolicis, tum Patriarchis datum fuiſſe, oſtendit Thomaſinus *p.4. lib.* 1. *cap.* 39., concedi Metropolitanis cæpit. Et quamquam initio certis quibuſdam Apoſtolicæ Sedis beneficio daretur, tandem omnibus conceſſum eſt: quod ſupponit textus in *Clementina* 2. *de privileg.* Magna olim fuit Metropolitanorum auctoritas; nam ſuffraganei Epiſcopi accuſari apud eos debebant *can.* 1. Conc. Carthagin. III., imo ab eis excommunicabantur, uti conſtat ex Honorio III. in *cap.* 3. *de ſent. excom.* Sed Tridentina Synodus judicialem Metropolitanorum poteſtatem imminuit, nam *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *de ref.* criminales Epiſcoporum cauſſas ad Romanum Pontificem detulit: idque plenius explicavit *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. his verbis, *Cauſſæ criminales graviores contra Epiſcopos, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Pontifice dignoſcantur, & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſſa, quæ neceſſario extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Summi Pontificis ſignata, nec unquam plus tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant; reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva . . . . Minores vero criminales cauſſæ Epiſcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoſcantur, & terminentur, vel deputandis per Concilium Provinciale.* Hæc de criminalibus cauſſis ſcripta ſunt. Et quoniam de cauſſis civilibus nihil eſt diſerte cautum, patet, ſtare adhuc jus anti-

quum

quum, hoc eſt, Metropolitanos eſſe ſuffraganeorum Ordinarios Judices. Poterant quoque olim Metropolitani Diœceſes ſuffraganeorum luſtrare, *cap.* 1. *de cenſibus in VI.* At Synodus Tridentina id eis, nonniſi cauſſa in Provinciali Concilio cognita, & probata, demum conceſſit, *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de ref.* Habere Metropolitanus Provincialem Synodum debet. Concil. Nicæn. *can.* 5., Antiochen. *can.* 20., Lateranenſe in *cap.* 25. *de accuſat.*, ac Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de ref.* Sine Metropolitani conſenſu haberi Synodus non poteſt, *d. can.* 20. Si qua juſta cauſſa Metropolitanum impediat, antiquior Coepiſcopus Synodum indicit. Trident. *ibid.* Quod ſi Metropolitana ſedes vacet, idem jus eſſe, Fagnanus docet in *d. cap.* 25. *n.* 17. Vetus quidem diſciplina ſic ferebat, ut binæ in ſingulos annos Synodi fierent, una *ante Quadrageſimam, ut omnibus animi ſordibus ſublatis purum munus Deo offeratur*: altera *autumni tempore*, *d. can.* 5.: quam diſciplinam Chalcedonenſe Concilium reſtituit *can.* 19. Quod vero plena difficultatis res eſſet bis quolibet anno totius Provinciæ Epiſcopos convenire, atque hinc Eccleſiaſtica labaſceret diſciplina, Juſtinianus eo nomine, quo Principes diſciplinam tuentur, ſaltem ſingulas annis ſingulis haberi Synodos juſſit *Nov.* 137. *c.* 4. Poſterioribus temporibus veteri diſciplinæ reſtaurandæ adlaboratum eſt in Oriente; ſi tamen difficile eſſet, Provinciæ Patres bis in unum coire, ſemel omnino coire juſſi ſunt *can.* .. Concilii Trullani, & *can.* 6. Synodi VII.: novamque iſtam diſciplinam mox Latina Eccleſia recepit. Concil. Toletan. III. *can.* 18., S. Gregor. *lib.* 7. *ep.* 3., Concil. Pariſienſe VI. *cap.* 26. Verum quum paſſim Metropolitani magis magiſque in dies ceſſarent, a nova etiam diſciplina deſciſcere neceſſum fuit, ac Baſilienſis Concilii Patres tempori ſervientes unam *ad minus* quolibet triennio Provincialem Synodum decreverunt: quod idem in Lateranenſi Leonis X. Synodo, ac tandem in Tridentina cautum eſt *cit. loc.*

Patriarchæ, quos *ſummos Patrum*, & *Patrum Principes* interpretatur Iſid. *can.* 1. *diſt.* 21., ſunt primarii poſt Pontificem Romanum Antiſtites, qui pluribus Provinciis, ac Metropolitanis præſunt. Primum *Archiepiſcopi*, quod nomen patebat latius, tum Patriarchæ dicti ſunt. V. Concil. Chalced. *act.* 1., Juſtinian. *Nov.* 11., & Liberat. *Breviar. c.* 17. Dicti quoque Ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *Exarchi Diœceſis*. Concil. Antioch. *act.* 14., Concil. Conſt. VI. *act.* 18. Diœceſis plures Provincias continebat: qua de re Briſſon. *de V. S.* Hinc intellige, quod *can.* 9. & 17. Chalcedonenſis Synodi ſcriptum eſt, a Metropolitano ad Exarchum Diœceſis recte provocari. Patriarcharum prima mentio in Conc. Chalced. *act.* 2.

Digitized by Google

Quos ante ejus Concilii tempora meminit Socrates *lib. 5. c. 8.*, num veri, & ordinarii Patriarchæ ſint, ut vulgo ajunt, an extraordinarii quidam Legati in ſingulis Diœceſibus ad ſtabiliendam Fidem a Concilio conſtituti, uti viſum Valeſio *in Socrat.*, & quibuſdam aliis, non conſtat: quem autem Patriarcham memorat Epiſtola Hadriani apud Vopiſcum *in Saturnino*, eum non fuiſſe Chriſtianum, ut male Salmaſius *de Primat. cap.* 4., ſed certe Judaicum, ex ipſis Epiſtolæ verbis noviſſime collegit Joſephus Binghamus *Orig. Eccl. lib.* 2. *c.* 17. §. 3. Quantum ad Patriarchici juris originem, in diverſa abeunt viri docti. Alii illud ab ipſis Apoſtolis manaſſe tradunt: alii Apoſtolorum ævo recentius, ſed Concilio Nicæno antiquius faciunt. Nonnulli a Nicænis Patribus *can.* 6. inſtitutum contendunt. Denique Launojus *de rect. interpret. can.* 6. *Concilii Nicæni*, & quidam pauci exiſtimant, primum de eo actum in Eccleſia circa *an.* 381., quo ſecundum generale Concilium Conſtantinopoli habitum eſt. Prima opinio nullo idoneo adſtruitur argumento: tertiam, & quartam ipſe Canon 6. refellit. Verba Canonis ſunt: *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua privilegia, ac ſuæ dignitates, & auctoritates Eccleſiis ſerventur.* Verba, *antiqui mores ſerventur*, tertiæ opinioni maxime obſtant. Quæ ſequuntur, Patriarchicum jus Epiſcoporum Romani, Alexandrini, atque Antiocheni apertiſſime ſupponunt: ut qui poſſit quarta opinio conſiſtere, non videam: ac ne ullus ſit reliquus dubitationi locus, facit Epiphanius *Hær.* 69. *n.* 3., ubi Meletium in Ægypto Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum memorat ſubjectum Alexandro Alexandrino Archiepiſcopo, hoc eſt, Patriarchæ, qui Nicænæ Synodo interfuit. Secundam igitur opinionem habe potiorem, quam τὸ *antiqui mores* Nicæni Canonis præclare confirmat. Patriarchatuum antiquiſſimi fuere Romanus, Alexandrinus, Antiochenus. Ideo autem primi Eccleſiæ Patres in primariis Romani Imperii urbibus Patriarchas inſtituerunt, quia Reipublicæ Chriſtianæ intereſſe judicarunt, ibi Patriarchas eſſe, ubi Primates gentium, & Archiflamines erant, poteſtatemque judiciariam exercebant. Vide Gonzalez in *cap.* 9. *de off. judicis ordinarii num.* 7. At non omnium Patriarcharum eadem fuit poteſtas, nam Romanus Patriarchatus latiſſime omnium patebat: ſecundum locum poſt Romanum obtinebat Alexandrinus, tertium Antiochenus. Tres hi Patriarchatus confirmati ſunt a Nicænis PP. *can.* 6., in quem v. Cabaſſut. Quum vero Byzantium, quæ urbs a Conſtantino Conſtantinopolis dicta, Imperii Romani

Digitized by Google

mani ſedes translata fuiſſet, ejus urbis Epiſcopum Concilii Conſtantinopolitani Patres dignitate Patriarchatus ornarunt *can.* 3., quem Canonem, utpote Nicæno Concilio refragantem, omnes Pontifices uſque ad Innocentium rejecerunt. Sed rurſus *can.* 28. Chalcedonenſis Concilii Patriarchatus dignitas Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reddita fuit. Sed eum Canonem Leo M., & nonnulli alii ſucceſſores ejus repulere; ſed tandem receperunt alii precibus Imperatorum adjuti. Succeſſit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchatus. Hieroſolymitana quidem Eccleſia per quatuor priora ſæcula Epiſcopatus dignitatem obtinuit, eique ſuper omnes alios Epiſcopatus maximus honor habebatur in generalium Conciliorum conſeſſu. Sane in Concilio Nicæno Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus digniorem tenuit locum, quam Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis, & Metropolita: idemque contigit in Concilio Chalcedonenſi. At quum Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quam tanto honore Romana ſedes dignabatur, a Theodoſio Juniore Patriarchatus dignitatem exoraſſet, reſcripſit Imperatoris, ut juriſdictionem in trium Paleſtinarum, & utriuſque Phœniciæ, & Arabiæ Metropolitanos exerceret. Conqueſtus ea de re Antiochenus Patriarcha contrario ejuſdem Imperatoris reſcripto fuit juri priſtino reſtitutus. Suborta inde lis inter Antiochenum, & Hieroſolymitanum Epiſcopum ea lege in Chalcedonenſi Concilio compoſita eſt, ut utraque Phœnicia, & Arabia Patriarchæ Antiocheno: prima autem Paleſtina Hieroſolymitano Epiſcopo, tanquam Metropolitano, aliæ duæ tanquam Patriarchæ ſubjacerent. Tractu temporis Patriarchatus alii inſtituti ſunt; ſed de majoribus dixiſſe ſit ſatis. Patriarchæ latius patet juriſdictio, quam Metropolitani. Epiſcopus Diœceſi, Metropolitanus Provinciæ, Patriarcha multis Provinciis præeſt, Leo IX. *ep.* 4. Patriarcharum jura ſunt hæc. Metropolitanos ordinabant. Concil. Chalc. *can.* 28., Juſtin. *Nov.* 7. *cap.* 1., & *Nov.* 131. *cap.* 3. Sibi ſubjectos Epiſcopos vocabant ad Synodum, cui ipſi præerant. Theodoret. *ep.* 81. In gravioribus cauſſis a Metropolitanis conſulebantur. Concil. Chalc. *act.* 4: Metropolitanos, & vero etiam ipſos Metropolitanorum ſuffraganeos, ſi Metropolitani ceſſarent, Eccleſiaſticis cenſuris ſubjiciebant. Juſtin. *Nov.* 137. *cap.* 5., Sozom. *lib.* 8. *cap.* 6. Denique contra Metropolitanorum ſententias appellabantur. Concil. Chalc. *can.* 9., & 17.

Num Primas idem cum Metropolitano, an cum Patriarcha? Num magis eſt, ut ſit alius ab utroque? Res hæc diu me ſollicitum habuit: & eſt quidem, cur Canoniſtarum ſuper hac re negligentiam accuſes. Qui eundem cum Metropolitano Primatem faciunt, moventur præcipue ex eo, quod Carthaginenſem

Digitized by Google

Epiſcopum Poſſidius in *vit. Aug. c.* 8. *Primatem*, Petrus Presbyter, ac Notariorum Primicerius *act.* 1. Epheſini Concilii *Metropolitanum* appellet: itemque ex eo, quod Africani Primates etiam Metropolitani dicerentur: qua de re Lupus *Diſſert.* 2. *de Afric. Eccl. Romanis appellat. c.* 2.: ac demum ex eo, quod ex Concilio Africano deſcriptum eſt in *cap.* 2. *de for. comp.*, ſuborta inter Epiſcopos diverſarum Provinciarum lite, dari judices a Primate, in cujus Provincia eſt locus, de quo contenditur: ubi, quum Epiſcoporum proprius judex ſit Metropolitanus, certe *Primas* Metropolitanus eſt. Qui Primatem faciunt eundem cum Patriarcha, verba laudant Innocentii III. apud Boſquetum in ejus *Geſtis p.* 60., *Apud hæc duo nomina Primas, & Patriarcha pene penitus idem ſonant, quum Patriarchæ, & Primates teneant unam formam, licet eorum nomina ſint diverſa*: quæ Innocentii verba videntur deſcripta ex *ep.* 2. Anacleti *ad Epiſcopos Italiæ* apud Gratianum *can.* 1. *diſt.* 99., *In majoribus civitatibus Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diverſa ſint nomina, leges Divinæ, & Eccleſiaſticæ poni, & eſſe juſſerunt*. Laudant quoque nonnullas Clementis, Aniceti, ac Lucii epiſtolas apud eundem Gratianum *diſt.* 80. *can.* 1., & 2., & *d. diſt.* 99. *can.* 2., quibus locis *Patriarcha*, & *Primas* idem ſonant. Demum qui Primatem a Patriarcha, & Metropolitano alium ſtatuunt, in ſuam ſententiam expendunt *can.* 6. Concilii Chalcedonenſis, *Si quiſpiam a ſuo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetur*. Qui ſe a Metropolitano læſum ſentit, liberum ei eſt, ſive apud Exarchum Diœceſis, ſive apud Conſtantinopolitanum Epiſcopum agere. Uterque igitur Metropolitano ſuperior. At Conſtantinopolitanus Epiſcopus certe erat Patriarcha. Primas ergo medius inter Metropolitanum, ac Patriarcham erat, puta, qui pluribus Metropolitis præerat, ſuberat tamen Patriarchæ. Ego rem explicatius enarrabo. Vox *Primas* e re Civili ad Eccleſiaſticam traducta eſt. Occurrunt in legibus *Primates Civitatum*, & *Officii*, de quibus Briſſon. *de V. S.* Quum primum Eccleſia vocabulum *Primatus* adhibuit, eo Metropolitanorum prærogativam explicavit. Epiſcopis Arelatenſi, ac Viennenſi de primatus honore contendentibus, Taurinenſe Concilium *an.* 397. *can.* 2. ita definivit, *Qui ex iis comprobaverit, ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem primatus obtineat*. Porro Africani Primates, quorum ſæpiſſime Africana Concilia, & Auguſtinus meminere, erant omnino ii, quos reliquus orbis Chriſtianus dixit Metropolitanos, *can.* 19., & 28. *Collect. African. Conciliorum*. Hoc diſtabat ab aliis Eccleſia Africana, quod Pri-

ma-

matûs non Civitati, ſed perſonæ daretur, Carthaginenſi Eccleſia excepta. Qui igitur comprovinciales Epiſcopos tempore ordinationis præibat, is erat Primas; unde paſſim *Senex* dictus. P. de Marca *Diſſ. de Primat. n.* 3., & Lupus *d.cap.* 2. Tum media Eccleſiæ ſæcula, uti Lupus inquit, Primates appellarunt Epiſcopos pluribus Metropolitis ac Provinciis præfectos, quales ſunt Patriarchæ. Primatis vox novo hoc ſenſu uſurpari primum cœpit in falſis Clementis, Anacleti, Aniceti, Lucii, aliorumque Siricio antiquiorum Epiſtolis, quæ in Collectione Iſidoriana proſtant: & forte iſtarum Epiſtolarum auctor eam vocem in novum ſenſum detorſit ex non bene intellectis *can.* 9., & *can.* 17. Concilii Chalcedonenſis. Epiſcopos, & Clericos queri de Metropolitano poſſe *apud Primatem Diœceſeos*, iis locis ſcriptum eſt. At a Primate Provinciæ longe alius eſt Primas Diœceſis. Hic Patriarcha, ille ſive Provinciæ Primas, ſive Primas ſine adjuncto dicatur, Metropolitanus eſt. Nunc intelligis, cur apud Burchardum, Ivonem, Gratianum, & in libris Decretalium Primates ſint Patriarchæ. Neque eſt, cur mireris, quod in *d. cap.* 2. *de for. comp.* Metropolitanus vocetur *Primas*; deſumtum eſt enim id caput ex Concilio Africano, quod apocryphis illis Decretalibus antiquius eſt. Quod vero Chalcedonenſe Concilium *d. can.* 9. actori poteſtatem facit actionis ſive apud Exarchum Diœceſis, ſive apud Patriarcham intendendæ adverſus Metropolitanum; id argumento eſſe non debet, Exarchum infra Patriarcham fuiſſe; fuit enim id jure peculiari, & extra ordinem Conſtantinopolitano Epiſcopo indultum, ut de cauſſis Metropolitanorum non ſuæ Diœceſis primo judicio decerneret per Orientem. Patet id exemplo Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem in cauſſa Ibæ Metropolitæ Edeſſeni Orientalis Diœceſis, quam Antiochenus Patriarcha propriam habebat, judices dediſſe, ſcriptum eſt *act.* 10. Concilii Chalcedonenſis. Igitur in eo *can.* Primas Diœceſis Patriarcha eſt. Sed iſtud tamen privilegium tandem extinctum eſt, uti ex Juſtiniani *Nov.* 123. *c.* 22. ſatis luculenter apparet. Nunc Primates ſunt minores quidam Patriarchæ, de quibus Marca *d. Diſſ.*, & Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 30., & *ſeqq.*

Patriarchis dignitate præſtant hoc tempore Romanæ Eccleſiæ Cardinales. In antiquis monumentis, & maxime in Epiſtolis Gregorii Papæ, non rara eſt mentio Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium. Cardinales dicebantur a *Cardinibus*, quod fixi, & immobiles eſſent tanquam cardines: hinc verbum *incardinari* apud Eccleſiaſticos Scriptores, hoc eſt, *addici*. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, qui certæ Eccleſiæ erant addicti, Cardinales dicebantur. Ita apud Gelaſium Papam in

*can.*4.

Digitized by Google

can. 4. *diſt.* 24. *Pontifex*, hoc eſt, Epiſcopus *Cardinalis* opponitur *Pontifici Viſitatori*, qui ad tempus alicui Eccleſiæ tanquam Viſitator invigilat. Leo quoque *Sacerdotum Cardinalium* meminit, puta, Parochorum, in *cap.* 2. *de off. Archipresb.*: quam Decretalem ſi Leoni IX. attribuas, cui eam ex veterum librorum fide adſcribit A. Auguſtinus, jam habes, medio etiam ſæc. XI. Parochos dici *Sacerdotes Cardinales* conſueviſſe. Dignitas Cardinalium nomine recentior: ſuntque hoc tempore Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales: quarum appellationum origines hæ ſunt. Erant olim Romæ Domus quædam veluti hoſpitales, quibus excipiebantur, atque alebantur pauperes, viduæ, pupilli, ac ſenes. His miniſtrabant Diaconi, qui, quod iis locis erant addicti, Diaconi Cardinales dicebantur: unde factum *Diaconiarum* nomen. Erant & in his Domibus Oratoria, ſeu Sacella: erantque Domus iſtæ hoſpitales in ſingulis Urbis Romæ Regionibus, quæ quatuordecim erant, unde *Diaconorum Regionariorum* appellatio. Tandem Domus iſtæ hoſpitales exoleverunt, & ſola Sacella Diaconiarum nomen retinuere. Quatuordecim hiſce Diaconis Cardinalibus additi ſunt alii quatuor, qui Eccleſiæ Lateranenſi, aut Summo Pontifici in ea Eccleſia celebranti miniſtrabant. Denique novus titulus, hoc eſt, titulus S. Onuphrii in Vaticano ſub Leone X. acceſſit. Quod pertinet ad Presbyteros Cardinales, horum tituli fuere XXVIII., qui numerus uſque ad Honorium II. ſtetit, & poſt an. 1125. mutatus eſt. Poſtremo quod ad Epiſcopos Cardinales, initio Romæ unus fuit, nempe, Romanus, qui unus Romanæ Eccleſiæ proprius Epiſcopus eſt. Tum acceſſere ſeptem Epiſcopi Cardinales circa ſæc. XI. & XII.; nam ſeptem Epiſcopi ex vicinis Civitatibus ſelecti Eccleſiæ Lateranenſi addicti ſunt ea lege, ut ſinguli certis diebus in ea Eccleſia apud Romanum Pontificem ſacra myſteria peragerent, vel Summo Pontifici in ea Eccleſia ſacris operanti miniſtrarent. Omnes igitur ſive Diaconi, ſive Presbyteri, ſive Epiſcopi ante ſæc. XII. fuere LIII. At ſub initium ejus ſæc. minui cœpit, & incertus eſſe, quouſque Concilii Baſilienſis Patres caverunt, ne plures eſſent quam XXIV. Nihilo tamen minus Xiſtus Papa IV., & Alexander VI. eum numerum exceſſerunt, ita tamen ut veteri numero quinquaginta trium pauciores eſſent. At Leo X. numerum adauxit ad Cardinales ferme LXV.; Paulus IV. uſque ad LXX., quem numerum probavit Xiſtus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Poſtquam verum*; quod ita Cardinales LXX. Senioribus a Moſe in adjutorium aſſumtis, & ſeptuaginta Diſcipulis reſponderent. Hodie Cardinales Epiſcopi ſunt ſex; nam duæ Epiſcopales Eccleſiæ, ſeu tituli duo in unum coaluerunt. Hæc omnia ex Panvinii

lib. de

Digitized by Google

lib. de Epiſcopat., *titul.*, *& Diaconis Cardinalium*. Principio Romanæ Eccleſiæ Cardinales erant R. Eccleſiæ Clerus, qui conſtabat ex Presbyteris, & Diaconis, quemque Epiſcopus Romanus in conſilium adhibebat: Id quod in aliis quoque Eccleſiis factum, ut fuſe *lib.* 4: nec Presbyter, aut Diaconus Cardinalis Eccleſiæ Romanæ Presbytero, aut Diacono alterius Eccleſiæ potior habebatur, niſi ordinatione prior eſſet: quod idem de ſeptem illis Epiſcopis Cardinalibus Panvinius docet. Cardinalium Eccleſiæ Romanæ dignitas Romani Pontificis dignitatem ſequuta eſt, cumque hac ſenſim crevit. At vero Romani Pontificis dignitas mire crevit ſub Alexandro III., qui Fridericum Imperatorem devicit, pacemque petere coegit. Ab eo tempore cœpiſſe Epiſcopos fieri Cardinales, ſcribit Panvinius. Circa an. 1244. ab Innocentio IV. primum datus rubeus pileus Cardinalibus, quibus Terræ Eccleſiæ regendæ dabantur, ac tractu temporis omnibus. Barboſa *lib.* 1. *jur. Eccl. c.* 3. *n.* 8. Tum Paulus II. ſub initium Pontificatus rubrum pannum Cardinalibus dedit, quo equitantes ſternerent equos: & mox publice decrevit, ne quis alius præter Cardinales *Birretam Coccineam* geſtaret. Ciaconius in *ejus vita*. Quumque hæc iis tantum Cardinalibus indulſiſſent Pontifices, qui de Clero ſæculari fuerant aſſumti, Regularibus etiam conceſſere Gregorius XIV., aliique. Demum ab Urbano VIII. *Eminentiæ* titulus Cardinalibus datus eſt, qui antea *Illuſtriſſimi* dicebantur, cautumque, ne quis alius præter Cardinales, & Electores Imperii Eccleſiaſticos eum titulum uſurparet. Nunc Cardinales Conſilium Romani Pontificis conſtituunt, uti olim Romanus Clerus. Hinc eos Bernardus ad Eugen. III. *Collaterales*, & *coadjutores* Pontificis appellat: eoſque ait *orbem judicare*: & *ep.* 89. ſcribit, eos cum Pontifice *Regnum Dei*, hoc eſt, Eccleſiam curare. Huc ſpectant Cardinalium Congregationes ſive ſtatæ, ſive repentinæ, de quibus noviſſime Van Eſpen *jur. Eccl. p.* 1. *tit.* 22.

Summus Pontifex dicitur *Papa* a Græco πάππας, *pater*. Papæ vox antiquiſſima. Ejus meminit Tertullianus *lib. de pudic. c.* 13. Initio proprius Romani Pontificis titulus non fuit. Epiſcopi omnes *Papæ* appellabantur. S. Cyprianum Clerus Romanus, S. Alexandrum Epiſcopum ſuum Presbyteri, & Diaconi Alexandrini apud S. Athanaſium *lib. de Synod. Arim. & Seleuc.*, Hieronymus Auguſtinum, Auguſtinus Aurelium, Avitum Vienneнſem Epiſcopum Patres Concilii Turonenſis II. *can.* 20. & 21. *Papas* dixere. Quin Græcorum Euchologion, & Novellæ poſterorum Principum Græcorum minores Clericos nuncupant *parvos*, ſeu *ſimplices Papas*: quo ſpectare videtur illud Walfridii Strabonis *de reb. Eccl. cap.* 7., *Papa cujuſdam paternitatis nomen eſt*,

[illegible] *num congruit dignitati*. Tandem is titulus Romano Pontifici attributus est, qui vere *pater Ecclesiæ*, & *pater* [illegible], quibus eum [illegible] Patres appellarunt. Id tamen plerique putant temporibus Gregorii VII., in cujus *Dictatu* [illegible] *can.* 11., *Quod Papa eſt unicum nomen in Mundo*. Sed Dictatum iſtum poſterior ſcriptor neſcio quis Gregorio VII. affinxit. Id quum ex eo, quod nemo Gregorio æqualis [illegible] ejus meminerit, tum ex eo, quod habeat ſane multa a Gregorii ingenio, atque ætate aliena, jam demonſtravit Launojus *ep. ad Magiſtrum Anton. Faurum*, & N. Alexander in ſæc. XI. *diſſ.* 3. *art. un.* Cœpit quidem poſt tempora Gregorii VII. nomen *Papæ* Romano tantum Epiſcopo tribui, præterita nemini; ſed jam inde a ſæculo V. Romanum Epiſcopum [illegible] quandam dignitatem *Papam* nullo alio addito dictum, ex Concilio Toletano I., & Chalcedonenſi oſtendit Thomaſinus *p.* 1. *lib.* 1. *c.* 50. *n.* 14. In eodem Dictatu *can.* 3. ſcriptum eſt, *Quod ſolus Romanus Pontifex jure dicatur univerſalis*. Verum hic titulus magnas in Eccleſia turbas excitavit. Hunc S. Leoni *per Chalcedonenſem Synodum*, hoc eſt, per Alexandrinos Clericos in ea Synodo oblatum, atque a Leone rejectum, ſcribit S. Gregorius *lib.* 4. *ep.* 16. *ad Eulog.*, additque, deceſſores ſuos exemplum Leonis ſequutos *profanum* illud *vocabulum* refugiſſe. At Græci tamen eo titulo Conſtantinopolitanis adulabantur Epiſcopis, ac vel ipſe Juſtinianus, uti conſtat ex inſcriptionibus Novellarum 3. 5. 16., & 42.: eoque res tandem venit, ut quem titulum alii ſibi oblatum haud quidem gravate acceperant, eum Johannes IV. P. Conſtantinopolitanus cognomento *Jejunator* ipſe ſibi ſumſerit in Synodo Conſtantinopolitana: quo nomine illum acerbe carpunt Pelagius II. *ep.* 8., & Gregorius M. *lib.* 4. *ep.* 58. Johanni favit Mauritius Auguſtus, Gregorio S. Eulogius P. Alexandrinus, qui Romano tantum Epiſcopo eum convenire titulum ajebat, tribuitque Gregorio, ſed [illegible] in poſterum eo vocabulo abſtineret, Gregorius reſcripſit: quin ut quæ literis docuerat, facto probaret, is omnium primus ſe *ſervum ſervorum Dei* in principio Epiſtolarum ſuarum inſcripſit, teſte Joh. Diacono in ejus *vita lib.* 4. *c.* 58. Controverſiam, quæ Gregorium inter, & Johannem Jejunatorem fuit, diligenter enarrat Lupus in *d. Dictat.*, Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 1. *c.* 11., ac N. Alex. in *ſæc. VI. art.* 23. Romanum Pontificem *in univerſum orbem tenere primatum, & ſucceſſorem eſſe B. Petri, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac Doctorem, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*, definivit Concilium Florentinum: quam Catholicæ Eccleſiæ fidem latiſ-

latiſſime adſtruunt Catholici adverſus heterodoxos. V. Nat. Alex. in *ſæc.* 1. *diſſ.* 4., & Juenin. *de Sacram. diſſ.* 9. *c.* 8. *art.* 1. Primatus hic facit, ut is œcumenica Concilia ſuo jure indicat, qua de re jam actum, ac ſi qui Epiſcopi nulla juſta detenti cauſſa iis adeſſe detrectent, in eos animadvertat: cujus rei teſtes locupletiſſimi ſunt Eccleſiaſtici Annales: ut rite poſſit de Fide, ac moribus ita ſtatuere, ut ejus Decreta univerſam ſpectent Eccleſiam: ut generales de Eccleſiaſtica diſciplina leges condat: ut Eccleſiaſticas leges ſapienter relaxet: ut ab omnibus Chriſtiani Orbis Epiſcopis ſuper maxima quaque re conſulatur. Sunt hæc potiſſima Primatus conſectanea, quæ Theologi, & Canoniſtæ uberrime pertractarunt.

TITULUS IX.

DE ELECTIONE.

Epiſcopos proprie *eligi*, Presbyteros proprie *ordinari*, ait Balſamon in *can.* 3. Concilii Nicæni. Epiſcoporum *ordinationes* apud S. Cyprianum *ep.* 68. *edit. Rigalt.* electiones ſunt; ſed ibi eſt abuſio nominis. Olim Epiſcopos Epiſcopi comprovinciales in unum convenientes adſtantibus, ac teſtimonium dicentibus Clero, & plebe eligebant: quod egregie confirmat Thomaſſinus *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. & *ſeqq.* Veterem diſciplinam deſcribit Nicæna Synodus *can.* 4., *Epiſcopum convenit ab omnibus, qui ſunt in Provincia, conſtitui. Si autem ſit hoc difficile vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem; tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri.* Eodem ritu Epiſcopi Provinciarum conventu habito ſuos ſibi Archiepiſcopos, & Patriarchas eligebant: cujus ritus teſtimonia ſunt apud Thomaſin. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. Ipſos etiam Romanos Pontifices ſuffragiis Cleri Romani, plebiſque olim electos, Cyprianus non uno loco, & Eccleſiaſtica paſſim docet hiſtoria. Laici teſtes aderant, non judices. *Epiſcopus eligatur*, verba ſunt Cypriani, *plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit.* Judices erant Epiſcopi ſoli. Synodus Antiochena *can.* 23. *oportere*, inquit, *non aliter fieri* Epiſcopi electionem, *niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habeant eum, qui dignus extiterit, promovere.* Synodus Nicæna II. *can.* 3. *oportere*, ait, *eum, qui eſt promovendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi.* Quod vero de electione D. Martini Severus inquit in ejus *vita c.* 7., *incredibilem multitudinem ad ferendu ſuf-*

na *can.* 9. Sed deinde, ut Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas poſtulare viſa eſt, præter civilem illam partitionem Eccleſiaſticæ Metropoles inſtitutæ ſunt. Metropolitani juriſdictionem accipiunt per Pallii traditionem, quod ſumere dicuntur *de corpore B. Petri* *c. 4. de elect.* Metropolitanum ante Pallii receptionem nihil poſſe juriſdictionis exercere ſcribit Innocentius III. in *c. 28. de elect.*: atque hoc eſt quod dicitur in *cap. 3. de uſu, & auctorit. Pallii*, contineri in Pallio *plenitudinem Pontificalis officii*. Quemadmodum autem traditio Pallii eſt poteſtatis collatio, ita ejus ademtio fuit olim depoſitionis argumentum. Paulum Alexandrinum Patriarcham per Pallii ademtionem depoſitum fuiſſe, ſcribit Liberatus in *Breviar. cap.* 21. De Pallii origine nihil certi. Decretum Donationis Conſtantini Imperat., & Liber Pontificalis Damaſi P. Pallii uſum meminere; at vero utriuſque operis ſuſpecta fides. Certe Pallii uſus apud Græcos primum invaluit: in Eccleſiam Latinam non ante ſæc. VI. inlatus eſt: qua de re vide P. de Marca *lib. 6. de Concord. c. 6.*, ac Thomaſ. *p. 2. lib. 1. c. 24.*, & *ſeqq.* Crucis etiam privilegium, quod primum Legatis Apoſtolicis, tum Patriarchis datum fuiſſe, oſtendit Thomaſinus *p. 4. lib. 1. cap.* 39., concedi Metropolitanis cæpit. Et quamquam initio certis quibuſdam Apoſtolicæ Sedis beneficio daretur, tandem omnibus conceſſum eſt: quod ſupponit textus in *Clementina* 2. *de privileg.* Magna olim fuit Metropolitanorum auctoritas; nam ſuffraganei Epiſcopi accuſari apud eos debebant *can.* 1. Conc. Carthagin. III., imo ab eis excommunicabantur, uti conſtat ex Honorio III. in *cap. 3. de ſent. excom.* Sed Tridentina Synodus judicialem Metropolitanorum poteſtatem imminuit, nam *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *de ref.* criminales Epiſcoporum cauſſas ad Romanum Pontificem detulit: idque plenius explicavit *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. his verbis, *Cauſſæ criminales graviores contra Epiſcopos, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Pontifice dignoſcantur, & terminentur. Quod ſi ejuſmodi ſit cauſſa, quæ neceſſario extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Summi Pontificis ſignata, nec unquam plus tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva . . . . Minores vero criminales cauſſæ Epiſcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoſcantur, & terminentur, vel deputandis per Concilium Provinciale.* Hæc de criminalibus cauſſis ſcripta ſunt. Et quoniam de cauſſis civilibus nihil eſt diſerte cautum, patet, ſtare adhuc jus anti-

quum, hoc eſt, Metropolitanos eſſe ſuffraganeorum Ordinarios Judices. Poterant quoque olim Metropolitani Diœceſes ſuffraganeorum luſtrare, *cap. 1. de cenſibus in VI.* At Synodus Tridentina id eis, nonniſi cauſſa in Provinciali Concilio cognita, & probata, demum conceſſit, *ſeſſ. 24. cap. 3. de ref.* Habere Metropolitanus Provincialem Synodum debet. Concil. Nicæn. *can. 5.*, Antiochen. *can. 20.*, Lateranenſe in *cap. 25. de accuſat.*, ac Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de ref.* Sine Metropolitani conſenſu haberi Synodus non poteſt, *d. can. 20.* Si qua juſta cauſſa Metropolitanum impediat, antiquior Coepiſcopus Synodum indicit. Trident. *ibid.* Quod ſi Metropolitana ſedes vacet, idem jus eſſe, Fagnanus docet in *d. cap. 25. n. 17.* Vetus quidem diſciplina ſic ferebat, ut binæ in ſingulos annos Synodi fierent, una *ante Quadrageſimam, ut omnibus animi ſordibus ſublatis purum munus Deo offeratur*: altera *autumni tempore*, *d. can. 5.*: quam diſciplinam Chalcedonenſe Concilium reſtituit *can. 19.* Quod vero plena difficultatis res eſſet bis quolibet anno totius Provinciæ Epiſcopos convenire, atque hinc Eccleſiaſtica labaſceret diſciplina, Juſtinianus eo nomine, quo Principes diſciplinam tuentur, ſaltem ſingulas annis ſingulis haberi Synodos juſſit *Nov. 137. c. 4.* Poſterioribus temporibus veteri diſciplinæ reſtaurandæ adlaboratum eſt in Oriente; ſi tamen difficile eſſet, Provinciæ Patres bis in unum coire, ſemel omnino coire juſſi ſunt *can.* .. Concilii Trullani, & *can. 6.* Synodi VII.: novamque iſtam diſciplinam mox Latina Eccleſia recepit. Concil. Toletan. III. *can. 18.*, S. Gregor. *lib. 7. ep. 3.*, Concil. Pariſienſe VI. *cap. 26.* Verum quum paſſim Metropolitani magis magiſque in dies ceſſarent, a nova etiam diſciplina deſciſcere neceſſum fuit, ac Baſilienſis Concilii Patres tempori ſervientes unam *ad minus* quolibet triennio Provincialem Synodum decreverunt: quod idem in Lateranenſi Leonis X. Synodo, ac tandem in Tridentina cautum eſt *cit. loc.*

Patriarchæ, quos *ſummos Patrum*, & *Patrum Principes* interpretatur Iſid. *can. 1. diſt. 21.*, ſunt primarii poſt Pontificem Romanum Antiſtites, qui pluribus Provinciis, ac Metropolitanis præſunt. Primum *Archiepiſcopi*, quod nomen patebat latius, tum Patriarchæ dicti ſunt. V. Concil. Chalced. *act. 1.*, Juſtinian. *Nov. 11.*, & Liberat. *Breviar. c. 17.* Dicti quoque Ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως, *Exarchi Diœceſis*. Concil. Antioch. *act. 14.*, Concil. Conſt. VI. *act. 18.* Diœceſis plures Provincias continebat: qua de re Briſſon. *de V. S.* Hinc intellige, quod *can. 9.* & *17.* Chalcedonenſis Synodi ſcriptum eſt, a Metropolitano ad Exarchum Diœceſis recte provocari. Patriarcharum prima mentio in Conc. Chalced. *act. 2.*

Quos ante ejus Concilii tempora meminit Socrates *lib. 5. c. 8.*, num veri, & ordinarii Patriarchæ ſint, ut vulgo ajunt, an extraordinarii quidam Legati in ſingulis Diœceſibus ad ſtabiliendam Fidem a Concilio conſtituti, uti viſum Valeſio *in Socrat.*, & quibuſdam aliis, non conſtat: quem autem Patriarcham memorat Epiſtola Hadriani apud Vopiſcum *in Saturnino*, eum non fuiſſe Chriſtianum, ut male Salmaſius *de Primat. cap.* 4., ſed certe Judaicum, ex ipſis Epiſtolæ verbis noviſſime collegit Joſephus Binghamus *Orig. Eccl. lib.* 2. *c.* 17. §. 3. Quantum ad Patriarchici juris originem, in diverſa abeunt viri docti. Alii illud ab ipſis Apoſtolis manaſſe tradunt: alii Apoſtolorum ævo recentius, ſed Concilio Nicæno antiquius faciunt. Nonnulli a Nicænis Patribus *can.* 6. inſtitutum contendunt. Denique Launojus *de rect. interpret. can.* 6. *Concilii Nicani*, & quidam pauci exiſtimant, primum de eo actum in Eccleſia circa *an.* 381., quo ſecundum generale Concilium Conſtantinopoli habitum eſt. Prima opinio nullo idoneo adſtruitur argumento: tertiam, & quartam ipſe Canon 6. refellit. Verba Canonis ſunt, *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua privilegia, ac ſuæ dignitates, & auctoritates Eccleſiis ſerventur*. Verba, *antiqui mores ſerventur*, tertiæ opinioni maxime obſtant. Quæ ſequuntur, Patriarchicum jus Epiſcoporum Romani, Alexandrini, atque Antiocheni apertiſſime ſupponunt: ut qui poſſit quarta opinio conſiſtere, non videam: ac ne ullus ſit reliquus dubitationi locus, facit Epiphanius *Hær.* 69. *n.* 3., ubi Meletium in Ægypto Archiepiſcopum, ſeu Metropolitanum memorat ſubjectum Alexandro Alexandrino Archiepiſcopo, hoc eſt, Patriarchæ, qui Nicænæ Synodo interfuit. Secundam igitur opinionem habe potiorem, quam τὸ *antiqui mores* Nicæni Canonis præclare confirmat. Patriarchatuum antiquiſſimi fuere Romanus, Alexandrinus, Antiochenus. Ideo autem primi Eccleſiæ Patres in primariis Romani Imperii urbibus Patriarchas inſtituerunt, quia Reipublicæ Chriſtianæ intereſſe judicarunt, ibi Patriarchas eſſe, ubi Primates gentium, & Archiflamines erant, poteſtatemque judiciariam exercebant. Vide Gonzalez in *cap.* 9. *de off. judicis ordinarii num.* 7. At non omnium Patriarcharum eadem fuit poteſtas, nam Romanus Patriarchatus latiſſime omnium patebat: ſecundum locum poſt Romanum obtinebat Alexandrinus, tertium Antiochenus. Tres hi Patriarchatus confirmati ſunt a Nicænis PP. *can.* 6., in quem v. Cabaſſut. Quum vero Byzantium, quæ urbs a Conſtantino Conſtantinopolis dicta, Imperii Romani

Digitized by Google

mani ſedes translata fuiſſet, ejus urbis Epiſcopum Concilii Conſtantinopolitani Patres dignitate Patriarchatus ornarunt *can.* 3., quem Canonem, utpote Nicæno Concilio refragantem, omnes Pontifices uſque ad Innocentium rejecerunt. Sed rurſus *can.* 28. Chalcedonenſis Concilii Patriarchatus dignitas Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reddita fuit. Sed eum Canonem Leo M., & nonnulli alii ſucceſſores ejus repulere; ſed tandem receperunt alii precibus Imperatorum adjuti. Succeſſit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchatus. Hieroſolymitana quidem Eccleſia per quatuor priora ſæcula Epiſcopatus dignitatem obtinuit, eique ſuper omnes alios Epiſcopatus maximus honor habebatur in generalium Conciliorum conſeſſu. Sane in Concilio Nicæno Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus digniorem tenuit locum, quam Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis, & Metropolita: idemque contigit in Concilio Chalcedonenſi. At quum Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, quam tanto honore Romana ſedes dignabatur, a Theodoſio Juniore Patriarchatus dignitatem exoraſſet, reſcripſit Imperatoris, ut juriſdictionem in trium Paleſtinarum, & utriuſque Phœniciæ, & Arabiæ Metropolitanos exerceret. Conqueſtus ea de re Antiochenus Patriarcha contrario ejuſdem Imperatoris reſcripto fuit juri priſtino reſtitutus. Suborta inde lis inter Antiochenum, & Hieroſolymitanum Epiſcopum ea lege in Chalcedonenſi Concilio compoſita eſt, ut utraque Phœnicia, & Arabia Patriarchæ Antiocheno: prima autem Paleſtina Hieroſolymitano Epiſcopo, tanquam Metropolitano, aliæ duæ tanquam Patriarchæ ſubjacerent. Tractu temporis Patriarchatus alii inſtituti ſunt; ſed de majoribus dixiſſe ſit ſatis. Patriarchæ latius patet juriſdictio, quam Metropolitani. Epiſcopus Diœceſi, Metropolitanus Provinciæ, Patriarcha multis Provinciis præeſt, Leo IX. *ep.* 4. Patriarcharum jura ſunt hæc. Metropolitanos ordinabant. Concil. Chalc. *can.* 28., Juſtin. *Nov.* 7. *cap.* 1., & *Nov.* 131. *cap.* 3. Sibi ſubjectos Epiſcopos vocabant ad Synodum, cui ipſi præerant. Theodoret. *ep.* 81. In gravioribus cauſſis a Metropolitanis conſulebantur. Concil. Chalc. *act.* 4. Metropolitanos, & vero etiam ipſos Metropolitanorum ſuffraganeos, ſi Metropolitani ceſſarent, Eccleſiaſticis cenſuris ſubjiciebant. Juſtin. *Nov.* 137. *cap.* 5., Sozom. *lib.* 8. *cap.* 6. Denique contra Metropolitanorum ſententias appellabantur. Concil. Chalc. *can.* 9., & 17.

Num Primas idem cum Metropolitano, an cum Patriarcha? Num magis eſt, ut ſit alius ab utroque? Res hæc diu me ſollicitum habuit: & eſt quidem, cur Canoniſtarum ſuper hac re negligentiam accuſes. Qui eundem cum Metropolitano Primatem faciunt, moventur præcipue ex eo, quod Carthaginenſem

Epiſcopum Poſſidius in *vit. Aug. c.* 8. *Primatem*, Petrus Presbyter, ac Notariorum Primicerius *act.* 1. Epheſini Concilii *Metropolitanum* appellet: itemque ex eo, quod Africani Primates etiam Metropolitani dicerentur: qua de re Lupus *Diſſert.* 2. *de Afric. Eccl. Romanis appellat. c.* 2.: ac demum ex eo, quod ex Concilio Africano deſcriptum eſt in *cap.* 2. *de for. comp.*, ſuborta inter Epiſcopos diverſarum Provinciarum lite, dari judices a Primate, in cujus Provincia eſt locus, de quo contenditur: ubi, quum Epiſcoporum proprius judex ſit Metropolitanus, certe *Primas* Metropolitanus eſt. Qui Primatem faciunt eundem cum Patriarcha, verba laudant Innocentii III. apud Boſquetum in ejus *Geſtis p.* 60., *Apud hæc duo nomina Primas, & Patriarcha pene penitus idem ſonant, quum Patriarcha, & Primates teneant unam formam, licet eorum nomina ſint diverſa*: quæ Innocentii verba videntur deſcripta ex *ep.* 2. Anacleti *ad Epiſcopos Italiæ* apud Gratianum *can.* 1. *diſt.* 99., *In majoribus civitatibus Patriarchas, vel Primates, qui unam formam tenent, licet diverſa ſint nomina, leges Divinæ, & Eccleſiaſticæ poni, & eſſe juſſerunt*. Laudant quoque nonnullas Clementis, Aniceti, ac Lucii epiſtolas apud eundem Gratianum *diſt.* 80. *can.* 1., & 2., & *d. diſt.* 99. *can.* 2., quibus locis *Patriarcha*, & *Primas* idem ſonant. Demum qui Primatem a Patriarcha, & Metropolitano alium ſtatuunt, in ſuam ſententiam expendunt *can.* 6. Concilii Chalcedonenſis, *Si quiſpiam a ſuo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceſeos, aut apud ſanctam Conſtantinopolitanam ſedem judicetur*. Qui ſe a Metropolitano læſum ſentit, liberum ei eſt, ſive apud Exarchum Diœceſis, ſive apud Conſtantinopolitanum Epiſcopum agere. Uterque igitur Metropolitano ſuperior. At Conſtantinopolitanus Epiſcopus certe erat Patriarcha. Primas ergo medius inter Metropolitanum, ac Patriarcham erat, puta, qui pluribus Metropolitis præerat, ſuberat tamen Patriarchæ. Ego rem explicatius enarrabo. Vox *Primas* e re Civili ad Eccleſiaſticam traducta eſt. Occurrunt in legibus *Primates Civitatum*, & *Officii*, de quibus Briſſon. *de V. S.* Quum primum Eccleſia vocabulum *Primatus* adhibuit, eo Metropolitanorum prærogativam explicavit. Epiſcopis Arelatenſi, ac Viennenſi de primatus honore contendentibus, Taurinenſe Concilium *an.* 397. *can.* 2. ita definivit, *Qui ex iis comprobaverit, ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem primatus obtineat*. Porro Africani Primates, quorum ſæpiſſime Africana Concilia, & Auguſtinus meminere, erant omnino ii, quos reliquus orbis Chriſtianus dixit Metropolitanos, *can.* 19., & 28. *Collect. African. Conciliorum*. Hoc diſtabat ab aliis Eccleſia Africana, quod Pri-

ma-

matus non Civitati, ſed perſonæ daretur, Carthaginenſi Eccleſia excepta. Qui igitur comprovinciales Epiſcopos tempore ordinationis præibat, is erat Primas; unde paſſim *Senex* dictus. P. de Marca *Diſſ. de Primat. n.* 3., & Lupus *d. cap.* 2. Tum media Eccleſiæ ſæcula, uti Lupus inquit, Primates appellarunt Epiſcopos pluribus Metropolitis ac Provinciis præfectos, quales ſunt Patriarchæ. Primatis vox novo hoc ſenſu uſurpari primum cœpit in falſis Clementis, Anacleti, Aniceti, Lucii, aliorumque Siricio antiquiorum Epiſtolis, quæ in Collectione Iſidoriana proſtant: & forte iſtarum Epiſtolarum auctor eam vocem in novum ſenſum detorſit ex non bene intellectis *can.* 9., & *can.* 17. Concilii Chalcedonenſis. Epiſcopos, & Clericos queri de Metropolitano poſſe *apud Primatem Diœceſeos*, iis locis ſcriptum eſt. At a Primate Provinciæ longe alius eſt Primas Diœceſis. Hic Patriarcha, ille ſive Provinciæ Primas, ſive Primas ſine adjuncto dicatur, Metropolitanus eſt. Nunc intelligis, cur apud Burchardum, Ivonem, Gratianum, & in libris Decretalium Primates ſint Patriarchæ. Neque eſt, cur mireris, quod in *d. cap.* 2. *de for. comp.* Metropolitanus vocetur *Primas*; deſumtum eſt enim id caput ex Concilio Africano, quod apocryphis illis Decretalibus antiquius eſt. Quod vero Chalcedonenſe Concilium *d. can.* 9. actori poteſtatem facit actionis ſive apud Exarchum Diœceſis, ſive apud Patriarcham intendendæ adverſus Metropolitanum; id argumento eſſe non debet, Exarchum infra Patriarcham fuiſſe; fuit enim id jure peculiari, & extra ordinem Conſtantinopolitano Epiſcopo indultum, ut de cauſſis Metropolitanorum non ſuæ Diœceſis primo judicio decerneret per Orientem. Patet id exemplo Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem in cauſſa Ibæ Metropolitæ Edeſſeni Orientalis Diœceſis, quam Antiochenus Patriarcha propriam habebat, judices dediſſe, ſcriptum eſt *act.* 10. Concilii Chalcedonenſis. Igitur in eo *can.* Primas Diœceſis Patriarcha eſt. Sed iſtud tamen privilegium tandem extinctum eſt, uti ex Juſtiniani *Nov.* 123. *c.* 22. ſatis luculenter apparet. Nunc Primates ſunt minores quidam Patriarchæ, de quibus Marca *d. Diſſ.*, & Thomaſin. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 30., & *ſeqq.*

Patriarchis dignitate præſtant hoc tempore Romanæ Eccleſiæ Cardinales. In antiquis monumentis, & maxime in Epiſtolis Gregorii Papæ, non rara eſt mentio Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium. Cardinales dicebantur a *Cardinibus*, quod fixi, & immobiles eſſent tanquam cardines: hinc verbum *incardinari* apud Eccleſiaſticos Scriptores, hoc eſt, *addici*. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, qui certæ Eccleſiæ erant addicti, Cardinales dicebantur. Ita apud Gelaſium Papam in

*can.*4.

Digitized by Google

can. 4. *diſt.* 24. *Pontifex*, hoc eſt, Epiſcopus *Cardinalis* opponitur *Pontifici Viſitatori*, qui ad tempus alicui Eccleſiæ tanquam Viſitator invigilat. Leo quoque *Sacerdotum Cardinalium* meminit, puta, Parochorum, in *cap.* 2. *de off. Archipresb.*: quam Decretalem ſi Leoni IX. attribuas, cui eam ex veterum librorum fide adſcribit A. Auguſtinus, jam habes, medio etiam ſæc. XI. Parochos dici *Sacerdotes Cardinales* conſueviſſe. Dignitas Cardinalium nomine recentior: ſuntque hoc tempore Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Cardinales: quarum appellationum origines hæ ſunt. Erant olim Romæ Domus quædam veluti hoſpitales, quibus excipiebantur, atque alebantur pauperes, viduæ, pupilli, ac ſenes. His miniſtrabant Diaconi, qui, quod iis locis erant addicti, Diaconi Cardinales dicebantur: unde factum *Diaconiarum* nomen. Erant & in his Domibus Oratoria, ſeu Sacella: erantque Domus iſtæ hoſpitales in ſingulis Urbis Romæ Regionibus, quæ quatuordecim erant, unde *Diaconorum Regionariorum* appellatio. Tandem Domus iſtæ hoſpitales exoleverunt, & ſola Sacella Diaconiarum nomen retinuere. Quatuordecim hiſce Diaconis Cardinalibus additi ſunt alii quatuor, qui Eccleſiæ Lateranenſi, aut Summo Pontifici in ea Eccleſia celebranti miniſtrabant. Denique novus titulus, hoc eſt, titulus S. Onuphrii in Vaticano ſub Leone X. acceſſit. Quod pertinet ad Presbyteros Cardinales, horum tituli fuere XXVIII., qui numerus uſque ad Honorium II. ſtetit, & poſt an. 1125. mutatus eſt. Poſtremo quod ad Epiſcopos Cardinales, initio Romæ unus fuit, nempe, Romanus, qui unus Romanæ Eccleſiæ proprius Epiſcopus eſt. Tum acceſſere ſeptem Epiſcopi Cardinales circa ſæc. XI. & XII.; nam ſeptem Epiſcopi ex vicinis Civitatibus ſelecti Eccleſiæ Lateranenſi addicti ſunt ea lege, ut ſinguli certis diebus in ea Eccleſia apud Romanum Pontificem ſacra myſteria peragerent, vel Summo Pontifici in ea Eccleſia ſacris operanti miniſtrarent. Omnes igitur ſive Diaconi, ſive Presbyteri, ſive Epiſcopi ante ſæc. XII. fuere LIII. At ſub initium ejus ſæc. minui cœpit, & incertus eſſe, quouſque Concilii Baſilienſis Patres caverunt, ne plures eſſent quam XXIV. Nihilo tamen minus Xiſtus Papa IV., & Alexander VI. eum numerum exceſſerunt, ita tamen ut veteri numero quinquaginta trium pauciores eſſent. At Leo X. numerum adauxit ad Cardinales ferme LXV.; Paulus IV. uſque ad LXX., quem numerum probavit Xiſtus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Poſtquam verum*; quod ita Cardinales LXX. Senioribus a Moſe in adjutorium aſſumtis, & ſeptuaginta Diſcipulis reſponderent. Hodie Cardinales Epiſcopi ſunt ſex; nam duæ Epiſcopales Eccleſiæ, ſeu tituli duo in unum coaluerunt. Hæc omnia ex Panvinii

lib. de

Digitized by Google

lib. de Epiſcopat., *titul.*, *&* *Diaconiis Cardinalium*. Primitivo Romanæ Eccleſiæ Cardinales erant R. Eccleſiæ Clerus, qui conſtabat ex Presbyteris, & Diaconis, quemque Epiſcopus Romanus in conſilium adhibebat: id quod in aliis quoque Eccleſiis factum, ut fuſe *lib.* 4.: nec Presbyter, aut Diaconus Cardinalis Eccleſiæ Romanæ Presbytero, aut Diacono alterius Eccleſiæ potior habebatur, niſi ordinatione prior eſſet: quod idem de ſeptem illis Epiſcopis Cardinalibus Panvinius docet. Cardinalium Eccleſiæ Romanæ dignitas Romani Pontificis dignitatem ſequuta eſt, cumque hac ſenſim crevit. At vero Romani Pontificis dignitas mire crevit ſub Alexandro III., qui Fridericum Imperatorem devicit, pacemque petere coegit. Ab eo tempore cœpiſſe Epiſcopos fieri Cardinales, ſcribit Panvinius. Circa an. 1244. ab Innocentio IV. primum datus rubeus pileus Cardinalibus, quibus Terræ Eccleſiæ regendæ dabantur, ac tractu temporis omnibus. Barboſa *lib.* 1. *jur. Eccl. c.* 3. *n.* 8. Tum Paulus II. ſub initium Pontificatus rubrum pannum Cardinalibus dedit, quo equitantes ſternerent equos: & mox publice decrevit, ne quis alius præter Cardinales *Birretam Coccineam* geſtaret. Ciaconius in *ejus vita*. Quumque hæc iis tantum Cardinalibus indulſiſſent Pontifices, qui de Clero ſæculari fuerant adſumti, Regularibus etiam conceſſere Gregorius XIV., aliique. Demum ab Urbano VIII. *Eminentiæ* titulus Cardinalibus datus eſt, qui antea *Illuſtriſſimi* dicebantur, cautumque, ne quis alius præter Cardinales, & Electores Imperii Eccleſiaſticos eum titulum uſurparet. Nunc Cardinales Conſilium Romani Pontificis conſtituunt, uti olim Romanus Clerus. Hinc eos Bernardus ad Eugen. III. *Collaterales*, & *coadjutores* Pontificis appellat: eoſque ait *orbem judicare*: & *ep.* 89. ſcribit, eos cum Pontifice *Regnum Dei*, hoc eſt, Eccleſiam curare. Huc ſpectant Cardinalium Congregationes ſive ſtatæ, ſive repentinæ, de quibus noviſſime Van Eſpen *jur. Eccl. p.* 1. *tit.* 22.

Summus Pontifex dicitur *Papa* a Græco *πάππας*, *pater*. Papæ vox antiquiſſima. Ejus meminit Tertullianus *lib. de pudic. c.* 13. Initio proprius Romani Pontificis titulus non fuit. Epiſcopi omnes *Papæ* appellabantur. S. Cyprianum Clerus Romanus, S. Alexandrum Epiſcopum ſuum Presbyteri, & Diaconi Alexandrini apud S. Athanaſium *lib. de Synod. Arim. & Seleuc.*, Hieronymus Auguſtinum, Auguſtinus Aurelium, Avitum Vienneníem Epiſcopum Patres Concilii Turonenſis II. *can.* 20. & 21. *Papas* dixere. Quin Græcorum Euchologion, & Novellæ poſterorum Principum Græcorum minores Clericos nuncupant *parvos*, ſeu *ſimplices Papas*: quo ſpectare videtur illud Walfridii Strabonis *de reb. Eccl. cap.* 7., *Papa cujuſdam paternitatis nomen eſt*,

latiſſime adſtruunt Catholici adverſus heterodoxos. V. Nat. Alex. in *ſæc.* 1. *diſſ.* 4. & Juenin. *de Sacram. diſſ.* 9. *c.* 8. *art.* 1. Primatus hic facit, ut is œcumenica Concilia ſuo jure indicat, qua de re jam actum, ac ſi qui Epiſcopi nulla juſta detenti cauſſa iis adeſſe detrectent, in eos animadvertat: cujus rei teſtes locupletiſſimi ſunt Eccleſiaſtici Annales: ut rite poſſit de Fide, ac moribus ita ſtatuere, ut ejus Decreta univerſam ſpectent Eccleſiam: ut generales de Eccleſiaſtica diſciplina leges condat: ut Eccleſiaſticas leges ſapienter relaxet: ut ab omnibus Chriſtiani Orbis Epiſcopis ſuper maxima quaque re conſulatur. Sunt hæc potiſſima Primatus conſectanea, quæ Theologi, & Canoniſtæ uberrime pertractarunt.

TITULUS IX.

DE ELECTIONE.

Epiſcopos proprie *eligi*, Presbyteros proprie *ordinari*, ait Balſamon in *can.* 3. Concilii Nicæni. Epiſcoporum *ordinationes* apud S. Cyprianum *ep.* 68. *edit. Rigalt.* electiones ſunt; ſed ibi eſt abuſio nominis. Olim Epiſcopos Epiſcopi comprovinciales in unum convenientes adſtantibus, ac teſtimonium dicentibus Clero, & plebe eligebant: quod egregie confirmat Thomaſſinus *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. & *ſeqq.* Veterem diſciplinam deſcribit Nicæna Synodus *can.* 4. *Epiſcopum convenit ab omnibus, qui ſunt in Provincia, conſtitui. Si autem ſit hoc difficile vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem; tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri.* Eodem ritu Epiſcopi Provinciarum conventu habito ſuos ſibi Archiepiſcopos, & Patriarchas eligebant: cujus ritus teſtimonia ſunt apud Thomaſin. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 5. Ipſos etiam Romanos Pontifices ſuffragiis Cleri Romani, plebiſque olim electos, Cyprianus non uno loco, & Eccleſiaſtica paſſim docet hiſtoria. Laici teſtes aderant, non judices. *Epiſcopus eligatur*, verba ſunt Cypriani, *plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit.* Judices erant Epiſcopi ſoli. Synodus Antiochena *can.* 23. *oportere*, inquit, *non aliter fieri* Epiſcopi electionem, *niſi cum Synodo, & judicio Epiſcoporum, qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent eum, qui dignus extiterit, promovere.* Synodus Nicæna II. *can.* 3. *oportere*, ait, *eum, qui eſt promovendus ad Epiſcopatum, ab Epiſcopis eligi*. Quod vero de electione D. Martini Severus inquit in ejus *vita c.* 7. *incredibilem multitudinem ad ferenda ſuf-*

fragia veniſſe, id non eſt ita accipiendum, quaſi veniſſet populus tanquam judex ſuffragaturus; id enim addit Severus, *Una omnium voluntas, eadem vota, eademque ſententia, Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam Sacerdote*: quod erat certum hominem laudare, atque Epiſcopum poſtulare; ſed hoc idem quandoque dictum *eligere*. Gregor. VII. *lib.* 5. *ep.* 8. Cleri, ac populi, maxime honoratiorum, quandoque enim vilis plebecula ad arcendas turbas excluſa, uti ex Juſtiniani *Nov.* 123. *c.* 1., Cleri, inquam, & populi teſtimonia ac deſideria exquirebantur, ut de moribus ejus, qui eligebatur, conſtaret; atque ut ne Epiſcopus daretur invitis: quod poſterius ne fieret, maxime curabant Eccleſiæ Patres. Cæleſtinus P. I. apud Gratianum *can.* 13. *diſt.* 61. In hunc finem populo ſæpe ceſſiſſe Epiſcopos, innumeris exemplis docemur. Cæterum, ſi quem populus minus idoneum poſtulabat, eum rejicere integrum erat Epiſcopis, quos *docere populum*, *non ſequi* oportere, idem Cæleſtinus ajebat *can.* 2. *diſtin.* 62. Confirmat hæc quod apud S. Gregorium *lib.* 2. *ep.* 19., & Hincmarum Remenſem *ep. ad Hedenulphum Laudunenſem*, & *ep. ad Clerum*, & *plebem Bellovacenſem* memoriæ eſt proditum de Epiſcopo *Viſitatore*. Quum primum Metropolitano de alicujus Epiſcopi morte obnunciabatur, mitti ab eo mos fuit ad viduatam Eccleſiam Epiſcopum *Viſitatorem*, cujus has fuiſſe partes, Gregorius, & Hincmarus tradunt, populum, quid eſſet de eligendis Epiſcopis per Canones cautum, edocere: ejus vota explorare: ac ſi quando is in contraria ſtudia ſcindebatur, quod factum non raro, motus animorum componere. Ita Clerici, Monachi, laici cum Epiſcopo Viſitatore certum hominem laudabant. Re ad Metropolitanum perlata, hic accitis Provinciæ Epiſcopis, ſi nihil erat contra Canones factum, electionem habebat ratam: ſi contra Canones factum erat, ea rejecta, alium eligebat in Epiſcopum, conſecrabatque: quod in poſteriore Hincmari Epiſtola expreſſum eſt. In hunc eundem finem ne eos quidem Clericos, qui Epiſcopis ſunt inferiores, Clero, populoque inconſulto eligere Epiſcopi conſuevere: quod ex Epiſt. Cypriani exploratum eſt. Stetit hæc diſciplina per novem ſæcula apud Græcos, ac defeciſſe viſa eſt poſt *can.* 22. Synodi VIII. ſæculo IX. habitæ: at apud Latinos ſtabat adhuc ſæc. XII. S. Bernard. *ep.* 13. & 27. (a) Eodem ſæculo XII.

(a) *Quandoque ſuos ſibi ſucceſſores deſignabant Epiſcopi: deque ea re ad Clerum, & populum referebant. Ita Auguſtinus Presbyterum Eradium ſibi ſucceſſorem deſignavit Clero, & populo ac cla-*

Digitized by Google

XII. Epiſcopi a Cathedralibus tantum Capitulis eligi cœpere: quod Decretalium Gregorii IX. jus eſſe, Caput *de Electione* abunde demonſtrat. Tandem per Bonifacium VIII., Clementem V., alioſque poſteriorum temporum Pontifices Epiſcoporum Electiones Romanæ Sedi reſervatæ ſunt, uti ex *Sexto* Decretalium libro, ex Clementinis, & Cancellariæ Regulis conſtat: verum noviſſimum id jus non ubique receptum eſt. V. Van Eſpen *p. 1. tit. 13. c. 2.* Quæ fuerint olim in Epiſcoporum Electionibus Imperatorum, aliorumque Principum partes; quidve juris ſit de Regia Nominatione, docent Lupus peculiari *Diſſert.*, Thomaſinus *p. 2. lib. 2. c. 6. 13. & ſeqq.*, Van Eſpen *p. 1. tit. 13. c. 3. & 4.*, aliique ſatis multi. Novum quoque jus de ſummi Pontificis electione conditum eſt. Romana Synodus ſub Stephano IV. an. 769. eligi eum e numero Cardinalium juſſit: qua de re Anaſtaſius Bibliothecarius. Tum prodiit Conſtitutio Romanæ Synodi ſub Nicolao II. habitæ an. 1059. apud Gratianum *can. 1. diſtinct. 23.* Maximæ turbæ, quas in Eccleſia excitaverat Johannes Velitrenſis Epiſcopus, qui potentiorum quorundam gratia fretus, armatoque milite cinctus Romanam Eccleſiam invaſerat, novo juri occaſionem dedit. Cautum eſt igitur in hunc modum, *Obeunte Pontifice in primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſime ſimul de electione tractantes, mox Chriſti Clericos Cardinales adhibeant: ſicque reliquus Clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat.* Non fuit igitur populus omnino excluſus, ſed præcipuæ tamen partes Epiſcopis, & Clero Cardinali datæ ſunt: quum antea nullum inter Cardinalem Clerum, ac reliquum Clerum, populumque diſcrimen eſſet. Addit & illud Nicolaus, *quia Sedes Apoſtolica ſuper ſe Metropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epiſcopos Metropolitani vice fungi*, hoc eſt, eo jure uti, quo Provincialis Synodus in Epiſcoporum electione utebatur. Porro ait Nicolaus, *Salvo debito honore, & reverentia Henrici, qui impræſentiarum Rex Romanorum habetur, & futurus Imperator ſperatur.* De hoc veteri Imperatorum jure in diverſas partes diſputant Lupus *d. diſſert.*, Fleury *hiſt. Eccl. lib. 60. n. 31.*, Van Eſpen in *d. c. 1. diſt. 23.*, & Ev. Otto peculiari *Diſſertatione*, quæ inter ejus Diſſertationes primo

clamante, ut ipſe ſcribit ep. 110. Eam deſignationem Notarii Eccleſiæ excipiebant, d. ep. 110. Similia exempla ſane multa collegit Thomaſinus p. 2. lib. 2. c. 55. & 56. Caverat quidem Antiochena Synodus can. 23., Epiſcopo non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere; *ſed is Canon de non ordinando atque in poſſeſſionem mittendo ſucceſſore acceptus eſt, ne duo ſimul in urbe una eſſent Epiſcopi: quod Eccleſiaſtica vetabat diſciplina. V. Thomaſin. c. 55.*

Digitized by Google

loco poſita eſt. Succeſſit jus Concilii Lateranenſis III. ſub Alexandro III., ut duæ præſentium Cardinalium partes conſentirent in unum *cap. 6. de elect.* Demum uno Conclavi Cardinales concludi, Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. conſtituit *cap. 3. eod. tit. in VI*, quo etiam ſpectat Clementina 2. *eod.* Fuſe hoc argumentum perſequitur Bignonius peculiari Tractatu de ſummi Pontificis electione.

TITULUS X.

DE CONFIRMATIONE, ET CONSECRATIONE.

Electus confirmari debet. Olim confirmandæ electionis jus penes Metropolitanum, & comprovinciales Epiſcopos fuit. Nicænum Concilium *can. 4.*, *Eorum*, inquit, *quæ ſiunt*, *confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri*. Idem habent *can. 5.* & *can. 8. diſt. 64.* Ita etiam Metropolitanus a Primate, atque hic a Patriarcha confirmabatur. V. Joh. Eckium *lib. 3. de Primatu Petri cap. 40.*, & Thomaſinum *p. 2. lib. 2. c. 19.* Stabat id jus temporibus Gregorii IX., uti nonnulla libri Decretalium loca commonſtrant. Quum Clerus, & populus Electionum participes erant, *Canonicum*, uti tunc dici mos erat, electionis *Decretum* a Clericis, Monachis, ac laicis ſubſcriptum offerebatur Metropolitano, qui illud cauſſa cognita confirmabat. Multæ iſtiuſmodi Decretorum formulæ proſtant *tom. 8. Concil.* Ubi ad Capitula tranſiere, Decretum a Canonicis ſignatum, ſubſcriptumque ad Metropolitanum mittebatur. Barboſa *lib. 1. juris Eccl. c. 9. n. 5.* Sed quum primum electiones Epiſcoporum Romano Pontifici reſervatæ ſunt, Confirmationes etiam electionum reſervari Romano Epiſcopo cœperunt; abſurdum eſt enim viſum, judicium ſummi Pontificis judicio Metropolitani ſubeſſe. Quod Eccleſia ex diuturniore viduitate non parum capiat detrimenti, electus intra menſem a die ſcientiæ conſentire in electionem jubetur: ſi ſine legitima cauſſa præſtare conſenſum detrectet, jure ſuo cadit, recteque poteſt alius eligi, *cap. 6. de elect. in VI.* Eodem *cap. 6.* cautum erat, ut electus intra tres a conſenſu præſtito menſes, ſi nulla juſta vetaret cauſſa, Confirmationem peteret electionis ſuæ: eoque tempore exacto omnino irrita electio eſſet: tum, quod interdum loci propinquitas minus, interdum longinquitas plus exigat intervalli, prudentiſſime a Nicolao III. ſancitum in *cap. 16. eod. in VI.*, ut quorum electiones a Romano Pontifice confirmandæ ſunt, intra menſem a conſenſu

ſenſu præſtito ſe ſe dent viæ Romam verſus, & quum primum commode poterunt, ſe præſentes Romæ ſiſtant, aut idoneum dent procuratorem; *cap. 44. de elect.*; licet Romana Sedes vacet, *Clement. 2. §. ult. eod. tit.* Sed nemo niſi cauſſa cognita confirmandus, *cap. 44. pr. de elect.* Non confirmato rerum Eccleſiæ quum ſpiritualium, tum temporalium adminiſtratio ſive œconomatus, ſive quovis alio nomine interdicta eſt: ſi ſe in eam intrudat, jus ſibi per electionem quæſitum deperdit, *c. 9. & 17. de elect.*, & *c. 5. eod. in VI.* Recte autem poteſt confirmatus ea, quæ juriſdictionis ſunt, exercere: ea vero, quæ ordinis ſunt, tum demum, quum conſecratur, *c. 28. §. 2. eod.* Adde Gloſſam in *c. 15. eod. tit.* Sed hoc ita accipiendum eſt, ſi confirmatus Pontificiis Bullis jam ſit inſtructus, namque hæ ſi deſint, populus, cui Epiſcopus datus eſt, illum accipere Epiſcopum non tenetur, *extrav. injunctæ de elect.* inter *com.*

Confirmationem excipit Conſecratio. Ante XI. ſæculum Confirmatio vix, & ne vix quidem ab ipſa Conſecratione, ſeu Ordinatione ſecernebatur; unde χειροτονία *electio*, & χειροθεσία *manuum impoſitio* interdum promiſcue accepta; Metropolitanus enim, & comprovinciales Epiſcopi electos ordinando confirmabant. Quæ igitur in electo confirmando per XII. ſæcula, & amplius Metropolitani præcipuæ partes fuere, eædem fuerunt in conſecrando, *can. 5. 6. & 8. diſt. 64.* Gregor. VII. *lib. 4. ep. 15.* Tres ſaltem Epiſcopos convenire, Nicæna Synodus juſſit *can. 4.*: qui Canon etſi de Electione, & Confirmatione potius, quam de Conſecratione agere videatur, tamen de Conſecratione etiam a Græcis æque ac Latinis acceptus eſt: eoque Canone uſi ſunt paſſim ad adſtruendam veterem diſciplinam, ut, quum de conſecrando Epiſcopo agitur, præter Metropolitanum, aliumve ordinatorem Epiſcopum duo alii præſentes adſint. Sed ab ea diſciplina non raro deſcitum, & interdum a duobus, quandoque etiam ab uno Epiſcopo, ſi qua viſa eſt urgere neceſſitas, Conſecratio expedita eſt. Auctor *Conſt. Apoſt. lib. 3. c. 20.*, Syneſius *ep. 67.*, Anaſtaſius Bibliothecarius in *Pelagio I.* At ſucceſſu temporis quum Epiſcopi non Romanæ ſolum Provinciæ, ſed & Italiæ, & vero etiam Occidentis univerſi Confirmationem petere cœpiſſent a Romano Pontifice, Confirmationem a Conſecratione ſejungi neceſſum fuit, quod Conſecratio in Provinciis, Confirmatio autem Romæ expediretur. Demum uti Confirmatio, ita Conſecratio Pontifici Romano reſervata eſt: cautumque, ut trimeſtre ſpatium Confirmationem inter, & Conſecrationem interponeretur, illud omnino idem, quod inter Electionem, & Confirmationem interjiciebatur, Trident. *ſeſſ. 23. cap. 2. de Ref.* ibi, *Si munus Conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidem*

menſes

menſes poſtea id facere neglexerint, *Eccleſiis ipſo jure ſint privati*. Caverant quidem jamdudum Chalcedonenſis Synodus apud Gratian. *can. 2. diſt. 75.*, Gregorius M. *can. 11. diſt. 56.*, & Pelagius I. *can. 1. diſt. 100.*, ut intra tres menſes Epiſcoporum Ordinationes fierent; at id tamen tempus a die vacationis incipiebat, non a die Confirmationis, unde incipit jure novo.

TITULUS XI.

DE MONACHIS.

INſtituti Monaſtici origines magnas dedere turbas. Qui *Carmelitæ* appellantur, primos laudant auctores Eliam, atque Elizæum. Opinionem hanc ſolide refutarunt Papebrochius, & Cardinalis Capiſucchius *controv.* 16. Ut alia deſint argumenta, id certe unum contra Carmelitas facit maxime, neque Eliam, & Elizæum votis, quæ monaſtica dicuntur, fuiſſe unquam obſtrictos, nec Monaſticum ſtatum iis cognitum, qui veteri lege vixerunt. Baronius ad *an.* 64., aliique Monachatus originem repetunt a *Therapeutis*, quorum duriſſimum vitæ genus deſcribit Philo Judæus S. Marco Evangeliſtæ coævus *lib. de vit. contempl.* Plane eos de civitatum frequentia in agrum, ac ſolitudinem ſecedentes orationibus, aliiſque piis officiis perpetuo vacaſſe, compertum eſt. At vero primum omnino non conſtat, num Therapeutæ iſti Chriſtiani fuerint, quod Euſebio viſum *lib. 2. hiſt. c.* 17., an Judæi, quod viſum Scaligero *lib. 6. de emend. temp.*, ac Valeſio in *Euſebium loc. cit.*; deinde eos uxores *Therapeutrias*, hoc eſt, *cultrices* ſecum habuiſſe, licet uſu matrimonii abſtinerent, Philo tradit: quod convenire cum Monaſticæ vitæ genere haud quaquam poteſt. Therapeutæ igitur Aſcetæ erant, non Monachi. *Aſcetæ* vox eſt generis, cujus ſpecies una Monachi. Aſcetarum origo jam inde a primo nominis Chriſtiani ævo accerſenda eſt: ac plerique eorum in civitatum frequentia verſabantur, nec ſibi ab uxoribus temperabant: quod vero ſeveriorem inſtituebant vitam, *aſcetæ*, ſi mares eſſent, *aſcetriæ*, ſi fœminæ, dicebantur: nonnulli ſecedebant quidem in ſolitudinem, quales Therapeutæ erant; hos enim Chriſtianos fuiſſe, veroſimilius duco; ſed quia uxores habebant, neque ullis obligabantur votis, longe aberant a Monachis. V. Valeſium *ibid.* Merito igitur Lucas Holſtenius *præf. ad reg. vet. Monach.* 1., Papebrochius *com. in acta Pachomii*, Pagius in *Baron. an.* 318. *n.* 12., aliique melioris notæ Scriptores Cœnobiorum, in quibus communem vitam viverent Monachi ſub regimine Abbatis, originem referunt ad æta-

tem

tem Conſtantini M., hoc eſt, ad IV. Eccleſiæ ſæculum. Illuſtre in hanc ſententiam eſt teſtimonium Auctoris vitæ S. Pachomii in Actis Bollandi die 14. Maji. Sic apud eum S. Antonius Sacchæum Pachomii diſcipulum alloquitur, *Quo ego tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat Cœnobium .... poſtea pater veſter* (Pachomius) *tantum bonum Deo adjuvante effecit.* Monachi omnes olim laici. Hinc eorum pœna non ſuſpenſio, aut depoſitio, quæ propriæ Clericorum erant, ſed excommunicatio, quæ propria erat laicorum. Concil. Chalced. *can.* 2., & 8., ac Trullan. *can.* 82. Hinc, teſte S. Leone *ad Ruſticum Narbonenſem c.* 12., ſubjecti publicæ pœnitentiæ, qua Clericos caſtigari præter Canones erat: qua de re *lib.* 2. Hinc demum ſi quos Epiſcopi deeſſe ſibi Clericos arbitrabantur, eos plerumque ex numero Monachorum ordinabant, *l.* 32. *C. Th. de Epiſc.*: quam fuiſſe receptiſſimam in utraque Eccleſia conſuetudinem, præclare demonſtrat Jac. Gothofredus in *d. l.* 32. Igitur aut Monachi Abbate duce ad Parochiales Eccleſias conveniebant, ut Myſteriorum participes fierent, aut penes ſe habebant ſæcularem Presbyterum ad titulum Monaſterii ordinatum, uti ex Chalc. Concilio *can.* 6. & 8. Exemplum tamen aliquod vetus memoria ſuppeditat Monachi Presbyteri. Talis certe fuit Eutyches, uti Liberatus teſtatur *Breviar. c.* 11. Tum Eccleſiæ utilitas induxit, ut ſacros ordines Monachi ſuſciperent: idque *ad ampliationem cultus Divini* certa ac perpetua lege tandem conſtituit Clemens V. *Clement.* 1. ſub finem *de ſtatu Monach.* Regebantur Monachi *Præpoſitorum*, ſeu *Superiorum* arbitrio, quod initio *Regulæ* loco fuit: explicabatur autem arbitrium illud, uti ſe ſe dabat occaſio. S. Benedictus, qui primus, aut certe inter primos, uti Mabillonius loquitur *præf. ad* 1. *part. ſæc. IV. Benedict.*, ſolennis profeſſionis formam modumque præſcripſit, primus videtur inſtituiſſe certæ ac perpetuæ Regulæ profeſſionem. Hæc, niſi Novitiatus præceſſerit, inutilis eſt, *cap.* 8., & 16. *de Regular.* Monaſterium ingreſſi apud Orientales in Novitiatu per triennium erant, *Nov.* 5. Juſtiniani: quod a Pachomio inſtitutum ſcribit Palladius in *Lauſiac. cap.* 38. At S. Benedicti Regula annum præſcripſit: quod Tridentini Concilii jus eſt *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 15. De ætate, qua edenda Profeſſio eſt, varium jus fuit. Romana Synodus ſub Sylveſtro I. *can.* 10. XXV. ætatis annum conſtituit in eam rem: S. Baſilius *cap.* 7. *Regulæ* pubertatem: quam ætatem S. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginib.*, & Alexander III. *d. cap.* 8. probarunt: *ep.* vero *ad Amphiloch. can.* 18. XVI. aut XVII. annum: poſtremo Tridentina Synodus *loc. cit.* annum XVI. exactum. V. Palavicin. *lib.* 24. *cap.* 6. Secundum Benedictinam, qualis nunc extat, formulam tria is, qui Regulam profitetur, diſerte promittit,

loci

loci ſtabilitatem, *morum converſionem*, *obedientiam*. Recentiores quorundam Ordinum formulæ tria expreſſe continent vota, *paupertatis*, *obedientiæ*, *caſtitatis*: quæ tamen omnia Benedictinæ Regulæ tacite ineſſe, docet Van Eſpen *p. 1. tit. 27. c. 3.* Porro de Monachorum tonſura, ac veſte dicendum eſt. Triplex in monumentis Eccleſiaſticis Tonſura, Pœnitentium, Monachorum, Clericorum. Prima omnium antiquiſſima, ejus enim meminit Synodus Agathenſis, *can.* 15. Eam Monaſtica ſequuta eſt: quod Monachorum vita quædam eſt pœnitentiæ profeſſio, uti Zonaras inquit in *can. 2. Pſeudo-Synodi VIII.* Quod apud Hieronymum in *vita Hilarionis* ſcriptum eſt, Hilarionem *ſemel in anno die Paſchæ capillum tondere* conſueviſſe, id argumento eſt, initio nihil cautum de tonſura Monachorum. Id quum Chriſtianis omnibus, tum maxime Monachis interdictum erat, ne comam alerent. S. Aug. *de opere Monach. c.* 31. Procedente tempore tondere caput Monachi cœperunt, atque ut deformitas eos faceret hominibus deſpectiſſimos, partem comæ cædebant ad cutem, partem inæqualiter attondebant. Paulin. *ep.* 7. Demum Clerici Monachos imitati ſunt. Sed Pœnitentium, & Monachorum tonſura longe diſtabat a tonſura Clericorum; namque hæc apud Eccleſiaſticos Scriptores *corona* paſſim dicitur, nunquam illa: quo diſcrimen inter utramque tonſuram perſpicue patet. Clerici detonſo ſuperius capite inferius ſolam relinquebant circuli coronam, uti nos *tit.* 4. hujus Libri, ac Thomaſin. *p. 1. lib. 2. c. 38. n. 3. & 4.*, non item Pœnitentes, aut Monachi; Corona enim, ut Iſidorus tradit *lib. 2. de off. c. 4.*, Regale Chriſti Sacerdotium ſignificabat, quod in Clericis, & maxime in Epiſcopis ſpectatur, unde mos adjurandi Epiſcopos per coronam: quodque Pœnitentes, & Monachos dedecere videbatur. Poſtremo quum cœpiſſent Monachi ſuſcipere Clericatum, illius circuli uſus ad Monachos etiam tranſiit: quod primum in Anglia factum videtur. V. Thomaſin. *c.* 38. ſub finem. Quod facit ad veſtem, initio eos, qui ſub Pachomii diſciplina vivebant, certum geſtaſſe habitum, & eum quidem aſperum, & a communi hominum uſu longe alienum, teſtis eſt Caſſianus *lib. 1. de habitu Monach.* At vero Occidentales Monachi veſtitu gravi quidem, & modeſto, ſed haud tamen diverſo a vulgari conſuetudine uſi ſunt, uti Caſſianus *ibid. cap.* 11. Non fuit is multum abſimilis veteri Clericorum veſti, quam deſcripſi *d. tit.* 4. Id quumprimis cavebant, ne affectato habitu admirationem ſive riſum ciere viderentur. Hieronym. *ep. 22. ad Euſtoch.* Procedente tempore Monachi a laicis, & Clericis, & vero etiam inter ſe habitu diſtingui cœperunt. Ante tempora Concilii Lateranenſis IV. nulla Sedis Apoſtolicæ auctoritate opus erat ad novam Religionis Regulam

lam inſtituendam. Ne id ſine Romani Pontificis adprobatione fieret, primum in *cit.* Lateranenſi Concilio ab Innocentio III. vetitum, docent paſſim Canoniſtæ ex *cap. ult. de relig. dom.*: idque ea ratione cautum, inquit Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 4.*, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas metum omnem diſcutit, ne quid a vera pietate alienum inducatur. Vetitum quoque niſi bona cum venia Epiſcopi novum conſtrui monaſterium, *can. 4.* Chalcedonenſis Concilii: quam diſciplinam Synodus Tridentina reſtituit *ſeſſ. 25. de Regular. c. 3.* Sub idem tempus, quo Monachorum Cœnobia inſtituta ſunt, inſtituta ſunt etiam Monaſteria Monialium, de quibus prope eadem, quæ de Monachis, cauta ſunt. V. de Monialibus Thomaſin. *p. 1. lib. 3. cap. 44. & ſeqq.* Monialibus tempore præeunt Virgines ſacræ, de quibus dictum *tit. 5.*

TITULUS ULTIMUS.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

QUod æquum eſt, gratioſos in civitate eſſe, qui ſunt Divinis miniſteriis addicti, uti & apud ethnicos erant, privilegia quædam fuere Clericis indulta, quæ in *perſonali*, ac *reali* exemtione poſita ſunt. Num Divini, an humani juris ſint, vetus quæſtio eſt, in qua ampliſſimi Cardinales Baronius, Bellarminus, ac plerique quum antiquiorum, tum recentiorum Canoniſtarum magno ſtudio verſati ſunt. Ego id nunc non ago; res eſt enim invidiæ, ac periculi plena. Id tantum in animum induxi Chriſtianorum Principum Conſtitutiones, & Canones ſuper ea re conditos, uti facere hiſtoricum deceret, quambreviſſime recenſere. Perſonalis exemtio eo ſpectat, ut nec publicis muneribus fungi, nec venire ad laicos judices compellantur. Clericos publicis muneribus exemit Conſtantinus M. Conſtitutione ſua ad Anulinum Africæ Proconſ. an. 312. aut 313. edita apud Euſeb. *lib. 10. c. 7.*, *ne a cultu ſummæ Divinitati debito abſtraherentur.* Huc etiam pertinet exemtio ab onere hoſpitii, ſi milites, aliive, per quos publica res agitur, officii cauſſa faciant iter. Huic oneri, quod Romanis *metatum* dicebatur, uti ex *tit. C. Th.*, & *Juſt. de metatis*, Eccleſiaſticos ſubduxit Conſtantius Imp. *l. 8. C. Th. de Ep. & Cl.* De Clericorum in civilibus cauſſis exemtione, quæ facit, ut contra eos apud Epiſcopum neceſſario agendum ſit, primus inter Chriſtianos Principes cavit Juſtinianus rogante Menna P. Conſtantinopolitano *Nov. 83.*, in cujus principio, *Petiti*, inquit, *ſumus a Menna*

reverendiſſimis Clericis hoc dare privilegium : quod idem privilegium jam ante Monialibus, & Monachis indulſerat *Nov.* 79., abrogata Leonis, atque Anthemii Conſtitutione in *l.* 33. *C. eod.* Epaonenſem Canonem 11. Novella Juſtiniani antiquiorem nolo tacitus præterire, ſed nihil in eo momenti poſitum eſt, quod de germana ejus lectione non conſtat. Legunt Crabius, & Binius, *Clerici ſi pulſati fuerint, ſequi ad ſæculare judicium non præſumant* : at legit tamen Sirmondus, *Sequi ad ſæculare judicium non morentur*. Quale eſſe debeat de Epaonenſis Canonis lectione judicium, in medium relinquo. Id exploratiſſimum eſt, privilegium hoc Clericorum ſexcentis juris Canonici locis probari. Egregium in eam ſententiam eſt Innocentii III. reſcriptum in *cap.* 12. *de foro comp.*, quod *lib.* 3. harum Inſtitutionum expendam. De Clericorum in criminalibus cauſſis exemtione *lib.* 4. De exemtione reali multæ extant Chriſtianorum Principum Conſtitutiones, quæ, ut probe intelligantur, de diverſo tributorum genere pauca quædam præfabor. Erat Romæ *cenſus capitum*, quod perſonale tributum erat: erat & *cenſus agrorum*, quod tributum ſoli erat, quodque & *canon* dictum in *Apolog.* 2. Athanaſii, ac utroque Codice, & *capitatio* vel *terrena* vel *humana* & *animalium* in *l.* 6. *C. Th. de conlat. donat.* : quæ vocabula ſcite exponunt Jac. Gothofredus in *Cod. Th.*, & Briſſonius de *V.S.* Porro erat Romæ tributum ordinarium ſive capitum ſive ſoli, quod antiquo atque ordinario jure pendebatur : erat & tributum extraordinarium, ſeu *ſuperindictum*, quod pro peculiari Reip. neceſſitate aut Imperio univerſo, aut cuidam Provinciæ ad certum tempus imponebatur, uti ex *tit.* utriuſque Cod. *tit. de ſuperindicto*. Cenſu capitum fuere Clerici exemti. Ecce tibi Conſtantii Imp. verba in *l.* 10. *C. Th. de Ep. & Cl.*, *Clericis, ac juvenibus præbeatur immunitas*, ubi τὸ *juvenibus* argumento eſt, agi eo loco de cenſu capitum, quo impuberes non fuiſſe obligatos, auctor eſt Ulpianus *l.* 3. *de cenſib.* Cenſu agrorum ſolos *Eccleſiarum* fundos exemit Conſtantinus *l.* 1. *C. Th. de annon* : patrimonia Clericorum non exemit. Forte movit pientiſſimum Principem Eccleſiarum, in quas Tyranni deſævierant, paupertas. Ubi cœperunt Eccleſiæ diteſcere, bonorum Eccleſiaſticorum immunitatem ad extraordinaria onera revocarunt Honorius, ac Theodoſius in *l.* 4. *C. Th. eod. tit.* : in eundemque ſenſum Eccleſiaſticorum bonorum immunitatem confirmavit Imp. Juſtinianus *Nov.* 131. *c.* 5., ubi publicæ utilitatis, ac publicæ ſalutis ergo certa etiam onera excepit ex ſententia Theodoſii Junioris in *l.* 6. *C. Th. de itin. muniend.*, qua abrogata eſt Honorii Conſtitutio in *l.* 40. *C. Th. de Ep. & Cler.* Patrimoniales Clericorum fundos novis, hoc eſt, extraordinariis *collationibus* a Conſtantio ſubdu-
ctus

ctos in *l.* 8. *Cod. Th. de Epiſc. & Cleric.*, opinio eſt Thomaſini *p.* 3. *l.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. Idem Conſtantius ſordidis muneribus, quæ extraordinaria erant, *tit. C. Th. de extraord. & ſord. mun.*, quum perſonalibus, tum patrimonialibus Clericos abſolvit *l.* 10. & 14. *C. Th. eod. tit.* Sordida munera percenſet Jac. Gothofredus in *Cod. Th.* Horum numero fuit *parangariarum præſtatio*, ad quam *non vocari* Clericos, nec *eorumdem facultates atque ſubſtantias*, idem Conſtantius juſſit *d. l.* 14. Et quamquam de nonnullis extraordinariis oneribus non idem ſemper jus fuerit, & extraordinaria dici aliquando ordinaria placuerit, uti ex Valentiniani *Nov.* 21.; tamen Juſtinianus Eccleſiarum & Venerabilium Domorum poſſeſſiones extraordinariis deſcriptionibus immunes fecit *d. Nov.* 131. *c.* 13., & probabile eſt, non aliam fuiſſe patrimonii Clericorom rationem. Thomaſin. *c.* 34 *n.* 6. Varium quoque de hac re jus fuit poſterioribus ſæculis, ejuſque varii juris hiſtoriam contexuit Thomaſinus *cap.* 35. Quantum ad Canones, proſtant horum nonnulli in Decretalibus Gregorii IX. *tit. de immunit. Eccleſ.*, nonnulli apud Thomaſin. *c.* 3. Super his Clericorum privilegiis ſuas quæque Chriſtiana Provincia leges; moreſque habet. Noviſſimum apud nos jus eſt, quod S. P. Benedictus XIV., & Carolus Borbonius Rex noſter tractatu habito conſtituerunt: de quo jure *lib.* 1. *Juris Neap.*

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 2. v. 38.	
Sub finem ſæculi II.	Sub finem ſæculi III.
Pag. 23. v. 26.	
Sexto ſæc. raſum Clericorum caput, atque inferius tenui pilorum ordine veluti corona cinctum, qualis fuit Monaſtica tonſura, unde Clericali occaſio data, habes &c.	Sexto ſæc. raſum Clericorum caput exemplo Monaſticæ tonſuræ, unde Clericali occaſio data, atque inferius tenui pilorum ordine veluti corona cinctum, habes &c.
Pag. 38. v. 15.	
Apocriſarii, Archidiaconi, Archipresbyteri, Canonici, Epiſcopi, Chorepiſcopi, Vicarii, Coadjutores, Metropolitani, Patriarchæ, Cardinales.	*Apocriſarii, Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Vicarii, Coadjutores, Chorepiſcopi, Canonici, Epiſcopi, Metropolitani, Patriarchæ, Primates, Cardinales.*
Pag. 56. v. 17.	
Thomas. *p.* 2. *lib.* 1. *c.* 24. *&* *ſeqq.*	Thomas. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 53. *&* 54.
Eadem pag. v. 20.	
P. 4. *lib.* 1. *c.* 39.	P. 1. *lib.* 2. *c.* 58. *&* 59.
Pag. 59. v. 18.	
Imperatoris, ut.	Imperator, ut is.
Pag. 60. v. 12.	
Apud hæc.	*Apud nos hæc.*
Pag. 65. v. 28.	
Tres omnino eundem in locum congregatos.	*Tribus congregatis.*

Digitized by Google

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER II.

PErſonas excipiunt Res, quo nomine comprehenduntur Sacramenta, Eccleſiæ, Beneficia, Penſiones, aliique reditus Eccleſiaſtici, de quibus omnibus ſingillatim.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS.

SCripturus de Sacramentis, ne cui meo videar officio deeſſe, id moneo atque edico, me iis omnibus controverſiis, quæ ſuper hac ipſa re inde uſque a XII., aut XIII. ſæculo Scholaſticorum ingenia exercent, ultro abſtinere. Meum eſt, quæ ad diſciplinam, ritusque Eccleſiaſticos pertinent, enarrare. Pauca quædam eorum, quæ ablegavi ad Theologos, ut conſuetudini ſerviam, delibabo.

Sacramenti in re quum Civili, tum Eccleſiaſtica multiplex ſignificatio. Hoc loco eſt *ſignum rei ſacræ*. Quicquid ſub ſenſum cadit, *ſignum* dico: gratiam, quam externum illud ſignum deſignat, & confert, *rem ſacram* appello. Definitionem huic ſimillimam ſub nomine Auguſtini proponit Gratianus *can.* 32. *diſt.* 2. *de Conſecr.*, *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma*: quæ definitio expreſſis verbis apud Auguſtinum nuſquam extat: tamen ex Auguſtini verbis in *ep.* 16. collecta eſt: uti in eum locum monent Correctores Romani. Tribus perfici Sacramenta, Concilium Florentinum docet in *Inſtruct. ad Armen.*, *rebus*, *tanquam materia*, *verbis tanquam forma*, *& perſona Miniſtri conferentis Sacramentum*: *quorum ſi aliquod deſit*, *non perficitur Sacramentum*. Voces *materia*, & *forma* ſæculo XII. antiquiores non ſunt. Ante id tempus duo in Sacramentis diſtinguebant, *rem*, hoc eſt, *materiam*, & *verba*, hoc eſt, *formam*: itemque diſtinguebant *ſignum*, & *rem ſacram*, ſeu *rem inviſibilem*: ac denique *Sacramentum*, & *rem Sacramenti*. Signo, Sacramentove materiam, & formam, re ſacra, ſeu inviſibi-

 ſibi-

loco poſita eſt. Succeſſit Jus Concilii Lateranenſis III. ſub Alexandro III., ut duæ præſentium Cardinalium partes conſentirent in unum *cap.* 6. *de elect.* Demum uno Conclavi Cardinales concludi, Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. conſtituit *cap.* 3. *eod. tit. in VI.*, quo etiam ſpectat Clementina 2. *eod.* Fuſe hoc argumentum perſequitur Bignonius peculiari Tractatu de ſummi Pontificis electione.

TITULUS X.

DE CONFIRMATIONE, ET CONSECRATIONE.

Electus confirmari debet. Olim confirmandæ electionis jus penes Metropolitanum, & comprovinciales Epiſcopos fuit. Nicænum Concilium *can.* 4., *Eorum*, inquit, *quæ ſunt, confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri*. Idem habent *can.* 5. & *can.* 8. *diſt.* 64. Ita etiam Metropolitanus a Primate, atque hic a Patriarcha confirmabatur. V. Joh. Eckium *lib.* 3. *de Primatu Petri cap.* 40., & Thomaſinum *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 19. Stabat id jus temporibus Gregorii IX., uti nonnulla libri Decretalium loca commonſtrant. Quum Clerus, & populus Electionum participes erant, *Canonicum*, uti tunc dici mos erat, electionis *Decretum* a Clericis, Monachis, ac laicis ſubſcriptum offerebatur Metropolitano, qui illud cauſſa cognita confirmabat. Multæ iſtiuſmodi Decretorum formulæ proſtant *tom.* 8. *Concil.* Ubi ad Capitula tranſiere, Decretum a Canonicis ſignatum, ſubſcriptumque ad Metropolitanum mittebatur. Barboſa *lib.* 1. *juris Eccl. c.* 9. *n.* 5. Sed quum primum electiones Epiſcoporum Romano Pontifici reſervatæ ſunt, Confirmationes etiam electionum reſervari Romano Epiſcopo cœperunt; abſurdum eſt enim viſum, judicium ſummi Pontificis judicio Metropolitani ſubeſſe. Quod Eccleſia ex diuturniore viduitate non parum capiat detrimenti, electus infra menſem a die ſcientiæ conſentire in electionem jubetur: ſi ſine legitima cauſſa præſtare conſenſum detrectet, jure ſuo cadit, recteque poteſt alius eligi, *cap.* 6. *de elect. in VI.* Eodem *cap.* 6. cautum erat, ut electus intra tres a conſenſu præſtito menſes, ſi nulla juſta vetaret cauſſa, Confirmationem peteret electionis ſuæ: eoque tempore exacto omnino irrita electio eſſet: tum, quod interdum loci propinquitas minus, interdum longinquitas plus exigat intervalli, prudentiſſime a Nicolao III. ſancitum in *cap.* 16. *eod. in VI.*, ut quorum electiones a Romano Pontifice confirmandæ ſunt, intra menſem a conſenſu

ſenſu præſtito ſe ſe dent viæ Romam verſus, & quum primum commode poterunt, ſe præſentes Romæ ſiſtant, aut idoneum dent procuratorem, *cap.* 44. *de elect.*; licet Romana Sedes vacet, *Clement.* 2. §. *ult. eod. tit.* Sed nemo niſi cauſſa cognita confirmandus, *cap.* 44. *pr. de elect.* Non confirmato rerum Eccleſiæ quum ſpiritualium, tum temporalium adminiſtratio ſive œconomatus, ſive quovis alio nomine interdicta eſt: ſi ſe in eam intrudat, jus ſibi per electionem quæſitum deperdit, *c.* 9. & 17. *de elect.*, & *c.* 5. *eod. in VI.* Recte autem poteſt confirmatus ea, quæ juriſdictionis ſunt, exercere: ea vero, quæ ordinis ſunt, tum demum, quum conſecratur, *c.* 28. §. 2. *eod.* Adde Gloſſam in *c.* 15. *eod. tit.* Sed hoc ita accipiendum eſt, ſi confirmatus Pontificiis Bullis jam ſit inſtructus, namque hæ ſi deſint, populus, cui Epiſcopus datus eſt, illum accipere Epiſcopum non tenetur, *extrav. injunctæ de elect.* inter *com.*

Confirmationem excipit Conſecratio. Ante XI. ſæculum Confirmatio vix, & ne vix quidem ab ipſa Conſecratione, ſeu Ordinatione ſecernebatur, unde *χειροτονία electio*, & *χειροθεσία manuum impoſitio* interdum promiſcue accepta; Metropolitanus enim, & comprovinciales Epiſcopi electos ordinando confirmabant. Quæ igitur in electo confirmando per XII. ſæcula, & amplius Metropolitani præcipuæ partes fuere, eædem fuerunt in conſecrando, *can.* 5. 6. & 8. *diſt.* 64. Gregor. VII. *lib.* 4. *ep.* 15. Tres ſaltem Epiſcopos convenire, Nicæna Synodus juſſit *can.* 4.: qui Canon etſi de Electione, & Confirmatione potius, quam de Conſecratione agere videatur, tamen de Conſecratione etiam a Græcis æque ac Latinis acceptus eſt: eoque Canone uſi ſunt paſſim ad adſtruendam veterem diſciplinam, ut, quum de conſecrando Epiſcopo agitur, præter Metropolitanum, aliumve ordinatorem Epiſcopum duo alii præſentes adſint. Sed ab ea diſciplina non raro deſcitum, & interdum a duobus, quandoque etiam ab uno Epiſcopo, ſi qua viſa eſt urgere neceſſitas, Conſecratio expedita eſt. Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 3. *c.* 20., Syneſius *ep.* 67., Anaſtaſius Bibliothecarius in *Pelagio I.* At ſucceſſu temporis quum Epiſcopi non Romanæ ſolum Provinciæ, ſed & Italiæ, & vero etiam Occidentis univerſi Confirmationem petere cœpiſſent a Romano Pontifice, Confirmationem a Conſecratione ſejungi neceſſum fuit, quod Conſecratio in Provinciis, Confirmatio autem Romæ expediretur. Demum uti Confirmatio, ita Conſecratio Pontifici Romano reſervata eſt: cautumque, ut trimeſtre ſpatium Confirmationem inter, & Conſecrationem interponeretur, illud omnino idem, quod inter Electionem, & Confirmationem interjiciebatur, Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *de Ref.* ibi, *Si munus Conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: ſi intra totidem*

menſes

menſes poſtea id facere neglexerint, *Eccleſiis ipſo jure ſint privati*: Caverant quidem jamdudum Chalcedonenſis Synodus apud Gratian. *can.* 2. *diſt.* 75., Gregorius M. *can.* 11. *diſt.* 56., & Pelagius I. *can.* 1. *diſt.* 100., ut intra tres menſes Epiſcoporum Ordinationes fierent; at id tamen tempus a die vacationis incipiebat, non a die Confirmationis, unde incipit jure novo.

TITULUS XI.

DE MONACHIS.

INſtituti Monaſtici origines magnas dedere turbas. Qui *Carmelitæ* appellantur, primos laudant auctores Eliam, atque Elizæum. Opinionem hanc ſolide refutarunt Papebrochius, & Cardinalis Capiſucchius *controv.* 16. Ut alia deſint argumenta, id certe unum contra Carmelitas facit maxime, neque Eliam, & Elizæum votis, quæ monaſtica dicuntur, fuiſſe unquam obſtrictos, nec Monaſticum ſtatum iis cognitum, qui veteri lege vixerunt. Baronius ad *an.* 64., aliique Monachatus originem repetunt a *Therapeutis*, quorum duriſſimum vitæ genus deſcribit Philo Judæus S. Marco Evangeliſtæ coævus *lib. de vit. contempl.* Plane eos de civitatum frequentia in agrum, ac ſolitudinem ſecedentes orationibus, aliiſque piis officiis perpetuo vacaſſe, compertum eſt. At vero primum omnino non conſtat, num Therapeutæ iſti Chriſtiani fuerint, quod Euſebio viſum *lib.* 2. *hiſt. c.* 17., an Judæi, quod viſum Scaligero *lib.* 6. *de emend. temp.*, ac Valeſio in *Euſebium loc. cit.*; deinde eos uxores *Therapeutrias*, hoc eſt, *cultrices* ſecum habuiſſe, licet uſu matrimonii abſtinerent, Philo tradit; quod convenire cum Monaſticæ vitæ genere haud quaquam poteſt. Therapeutæ igitur Aſcetæ erant, non Monachi. *Aſcetæ* vox eſt generis, cujus ſpecies una Monachi. Aſcetarum origo jam inde a primo nominis Chriſtiani ævo accerſenda eſt: ac plerique eorum in civitatum frequentia verſabantur, nec ſibi ab uxoribus temperabant: quod vero ſeveriorem inſtituebant vitam, *aſcetæ*, ſi mares eſſent, *aſcetriæ*, ſi fœminæ, dicebantur: nonnulli ſecedebant quidem in ſolitudinem, quales Therapeutæ erant; hos enim Chriſtianos fuiſſe, veroſimilius duco; ſed quia uxores habebant, neque ullis obligabantur votis, longe aberant a Monachis. V. Valeſium *ibid.* Merito igitur Lucas Holſtenius *præf. ad reg. vet. Monach.* 1., Papebrochius *com. in acta Pachomii*, Pagius in *Baron. an.* 318. *n.* 12., aliique melioris notæ Scriptores Cœnobiorum, in quibus communem vitam viverent Monachi ſub regimine Abbatis, originem referunt ad ætatem

tem Conſtantini M., hoc eſt, ad IV. Eccleſiæ ſæculum. Illuſtre in hanc ſententiam eſt teſtimonium Auctoris vitæ S. Pachomii in Actis Bollandi die 14. Maji. Sic apud eum S. Antonius Sacchæum Pachomii diſcipulum alloquitur, *Quo ego tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat Cœnobium .... poſtea pater veſter* (Pachomius) *tantum bonum Deo adjuvante effecit*. Monachi omnes olim laici. Hinc eorum pœna non ſuſpenſio, aut depoſitio, quæ propriæ Clericorum erant, ſed excommunicatio, quæ propria erat laicorum. Concil. Chalced. *can.* 2., & 8., ac Trullan. *can.* 82. Hinc, teſte S. Leone *ad Ruſticum Narbonenſem c.* 12., ſubjecti publicæ pœnitentiæ, qua Clericos caſtigari præter Canones erat: qua de re *lib.* 2. Hinc demum ſi quos Epiſcopi deeſſe ſibi Clericos arbitrabantur, eos plerumque ex numero Monachorum ordinabant, *l.* 32. *C. Th. de Epiſc.*: quam fuiſſe receptiſſimam in utraque Eccleſia conſuetudinem, præclare demonſtrat Jac. Gothofredus in *d. l.* 32. Igitur aut Monachi Abbate duce ad Parochiales Eccleſias conveniebant, ut Myſteriorum participes fierent, aut penes ſe habebant ſæcularem Presbyterum ad titulum Monaſterii ordinatum, uti ex Chalc. Concilio *can.* 6. & 8. Exemplum tamen aliquod vetus memoria ſuppeditat Monachi Presbyteri. Talis certe fuit Eutyches, uti Liberatus teſtatur *Breviar. c.* 11. Tum Eccleſiæ utilitas induxit, ut ſacros ordines Monachi ſuſciperent: idque *ad ampliationem cultus Divini* certa ac perpetua lege tandem conſtituit Clemens V. *Clement.* 1. ſub finem *de ſtatu Monach.* Regebantur Monachi *Præpoſitorum*, ſeu *Superiorum* arbitrio, quod initio *Regulæ* loco fuit: explicabatur autem arbitrium illud, uti ſe ſe dabat occaſio. S. Benedictus, qui primus, aut certe inter primos, uti Mabillonius loquitur *præf. ad* 1. *part. ſæc. IV. Benedict.*, ſolennis profeſſionis formam modumque præſcripſit, primus videtur inſtituiſſe certæ ac perpetuæ Regulæ profeſſionem. Hæc, niſi Novitiatus præceſſerit, inutilis eſt, *cap.* 8., & 16. *de Regular.* Monaſterium ingreſſi apud Orientales in Novitiatu per triennium erant, *Nov.* 5. Juſtiniani: quod a Pachomio inſtitutum ſcribit Palladius in *Lauſiac. cap.* 38. At S. Benedicti Regula annum præſcripſit: quod Tridentini Concilii jus eſt *ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 15. De ætate, qua edenda Profeſſio eſt, varium jus fuit. Romana Synodus ſub Sylveſtro I. *can.* 10. XXV. ætatis annum conſtituit in eam rem: S. Baſilius *cap.* 7. *Regulæ* pubertatem: quam ætatem S. Ambroſius *lib.* 3. *de Virginib.*, & Alexander III. *d. cap.* 8. probarunt: *ep.* vero *ad Amphiloch. can.* 18. XVI. aut XVII. annum: poſtremo Tridentina Synodus *loc. cit.* annum XVI. exactum; V. Palavicin. *lib.* 24. *cap.* 6. Secundum Benedictinam, qualis nunc extat, formulam tria is, qui Regulam profitetur, diſerte promittit,

loci

loci ſtabilitatem, *morum converſionem*, *obedientiam*. Recentio-
res quorundam Ordinum formulæ tria expreſſe continent vota,
paupertatis, *obedientiæ*, *caſtitatis*: quæ tamen omnia Benedi-
ctinæ Regulæ tacite ineſſe, docet Van Eſpen *p. 1. tit. 27. c. 3.*
Porro de Monachorum tonſura, ac veſte dicendum eſt. Triplex
in monumentis Eccleſiaſticis Tonſura, Pœnitentium, Mona-
chorum, Clericorum. Prima omnium antiquiſſima, ejus enim
meminit Synodus Agathenſis, *can. 15.* Eam Monaſtica ſequuta
eſt: quod Monachorum vita quædam eſt pœnitentiæ profeſſio,
uti Zonaras inquit in *can. 2. Pſeudo-Synodi VIII.* Quod apud Hie-
ronymum in *vita Hilarionis* ſcriptum eſt, Hilarionem *ſemel in
anno die Paſcha capillum tondere* conſueviſſe, id argumento eſt,
initio nihil cautum de tonſura Monachorum. Id quum Chri-
ſtianis omnibus, tum maxime Monachis interdictum erat, ne
comam alerent. S. Aug. *de opere Monach. c. 31.* Procedente tem-
pore tondere caput Monachi cœperunt, atque ut deformitas eos
faceret hominibus deſpectiſſimos, partem comæ cædebant ad cu-
tem, partem inæqualiter attondebant. Paulin. *ep. 7.* Demum
Clerici Monachos imitati ſunt. Sed Pœnitentium, & Monacho-
rum tonſura longe diſtabat a tonſura Clericorum; namque hæc
apud Eccleſiaſticos Scriptores *corona* paſſim dicitur, nunquam
illa: quo diſcrimen inter utramque tonſuram perſpicue patet.
Clerici detonſo ſuperius capite inferius ſolam relinquebant cir-
culi coronam, uti nos *tit. 4.* hujus Libri, ac Thomaſin. *p. 1.
lib. 2. c. 38. n. 3. & 4.*, non item Pœnitentes, aut Monachi;
Corona enim, ut Iſidorus tradit *lib. 2. de off. c. 4.*, Regale Chri-
ſti Sacerdotium ſignificabat, quod in Clericis, & maxime in E-
piſcopis ſpectatur, unde mos adjurandi Epiſcopos per coronam:
quodque Pœnitentes, & Monachos dedecere videbatur. Poſtremo
quum cœpiſſent Monachi ſuſcipere Clericatum, illius circuli uſus
ad Monachos etiam tranſiit: quod primum in Anglia factum
videtur. V. Thomaſſin. *c. 38.* ſub finem. Quod facit ad veſtem,
initio eos, qui ſub Pachomii diſciplina vivebant, certum ge-
ſtaſſe habitum, & eum quidem aſperum, & a communi homi-
num uſu longe alienum, teſtis eſt Caſſianus *lib. 1. de habitu Mo-
nach.* At vero Occidentales Monachi veſtitu gravi quidem, &
modeſto, ſed haud tamen diverſo a vulgari conſuetudine uſi
ſunt, uti Caſſianus *ibid. cap. 11.* Non fuit is multum abſimilis
veteri Clericorum veſti, quam deſcripſi *d. tit. 4.* Id quumprimis
cavebant, ne affectato habitu admirationem ſive riſum ciere vi-
derentur. Hieronym. *ep. 22. ad Euſtoch.* Procedente tempore Mo-
nachi a laicis, & Clericis, & vero etiam inter ſe habitu diſtin-
gui cœperunt. Ante tempora Concilii Lateranenſis IV. nulla Se-
dis Apoſtolicæ auctoritate opus erat ad novam Religionis Regu-
lam

lam inſtituendam. Ne id ſine Romani Pontificis adprobatione fieret, primum in *cit.* Lateranenſi Concilio ab Innocentio III. vetitum, docent paſſim Canoniſtæ ex *cap. ult. de relig. dom.* idque ea ratione cautum, inquit Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 4.*, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas metum omnem diſcutit, ne quid a vera pietate alienum inducatur. Vetitum quoque niſi bona cum venia Epiſcopi novum conſtrui monaſterium, *can. 4.* Chalcedonenſis Concilii: quam diſciplinam Synodus Tridentina reſtituit *ſeſſ. 25. de Regular. c. 3.* Sub idem tempus, quo Monachorum Cœnobia inſtituta ſunt, inſtituta ſunt etiam Monaſteria Monialium, de quibus prope eadem, quæ de Monachis, cauta ſunt. V. de Monialibus Thomaſin. *p. 1. lib. 3. cap. 44. & ſeqq.* Monialibus tempore præeunt Virgines ſacræ, de quibus dictum *tit. 5.*

TITULUS ULTIMUS.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

Quod æquum eſt, gratioſos in civitate eſſe, qui ſunt Divinis miniſteriis addicti, uti & apud ethnicos erant, privilegia quædam fuere Clericis indulta, quæ in *perſonali*, ac *reali* exemtione poſita ſunt. Num Divini, an humani juris ſint, vetus quæſtio eſt, in qua ampliſſimi Cardinales Baronius, Bellarminus, ac plerique quum antiquiorum, tum recentiorum Canoniſtarum magno ſtudio verſati ſunt. Ego id nunc non ago; res eſt enim invidiæ, ac periculi plena. Id tantum in animum induxi Chriſtianorum Principum Conſtitutiones, & Canones ſuper ea re conditos, uti facere hiſtoricum deceret, quambreviſſime recenſere. Perſonalis exemtio eo ſpectat, ut nec publicis muneribus fungi, nec venire ad laicos judices compellantur. Clericos publicis muneribus exemit Conſtantinus M. Conſtitutione ſua ad Anulinum Africæ Proconſ. an. 312. aut 313. edita apud Euſeb. *lib. 10. c. 7.*, *ne a cultu ſummæ Divinitati debito abſtraherentur*. Huc etiam pertinet exemtio ab onere hoſpitii, ſi milites, aliive, per quos publica res agitur, officii cauſſa faciant iter. Huic oneri, quod Romanis *metatum* dicebatur, uti ex *tit. C. Th.*, & *Juſt. de metatis*, Eccleſiaſticos ſubduxit Conſtantius Imp. *l. 8. C. Th. de Ep. & Cl.* De Clericorum in civilibus cauſſis exemtione, quæ facit, ut contra eos apud Epiſcopum neceſſario agendum ſit, primus inter Chriſtianos Principes cavit Juſtinianus rogante Menna P. Conſtantinopolitano *Nov. 83.*, in cujus principio, *Petiti*, inquit, *ſumus a Menna*

reverendiſſimis Clericis hoc dare privilegium: quod idem privilegium jam ante Monialibus, & Monachis indulſerat *Nov.* 79., abrogata Leonis, atque Anthemii Conſtitutione in *l.* 33. *C. eod.* Epaonenſem Canonem 11. Novella Juſtiniani antiquiorem nolo tacitus præterire, ſed nihil in eo momenti poſitum eſt, quod de germana ejus lectione non conſtat. Legunt Crabius, & Binius, *Clerici ſi pulſati fuerint, ſequi ad ſæculare judicium non præſumant*: at legit tamen Sirmondus, *Sequi ad ſæculare judicium non morentur*. Quale eſſe debeat de Epaonenſis Canonis lectione judicium, in medium relinquo. Id exploratiſſimum eſt, privilegium hoc Clericorum ſexcentis juris Canonici locis probari. Egregium in eam ſententiam eſt Innocentii III. reſcriptum in *cap.* 12. *de foro comp.*, quod *lib.* 3. harum Inſtitutionum expendam. De Clericorum in criminalibus cauſſis exemtione *lib.* 4. De exemtione reali multæ extant Chriſtianorum Principum Conſtitutiones, quæ, ut probe intelligantur, de diverſo tributorum genere pauca quædam præfabor. Erat Romæ *cenſus capitum*, quod perſonale tributum erat: erat & *cenſus agrorum*, quod tributum ſoli erat, quodque & *canon* dictum in *Apolog.* 2. Athanaſii, ac utroque Codice, & *capitatio* vel *terrena* vel *humana* & *animalium* in *l.* 6. *C. Th. de conlat. donat.*: quæ vocabula ſcite exponunt Jac. Gothofredus in *Cod. Th.*, & Briſſonius de *V.S.* Porro erat Romæ tributum ordinarium ſive capitum ſive ſoli, quod antiquo atque ordinario jure pendebatur: erat & tributum extraordinarium, ſeu *ſuperindictum*, quod pro peculiari Reip. neceſſitate aut Imperio univerſo, aut cuidam Provinciæ ad certum tempus imponebatur, uti ex *cit.* utriuſque Cod. *tit. de ſuperindicto*. Cenſu capitum fuere Clerici exemti. Ecce tibi Conſtantii Imp. verba in *l.* 10. *C. Th. de Ep. & Cl.*, *Clericis, ac juvenibus præbeatur immunitas*, ubi τὸ *juvenibus* argumento eſt, agi eo loco de cenſu capitum, quo impuberes non fuiſſe obligatos, auctor eſt Ulpianus *l.* 3. *de cenſib.* Cenſu agrorum ſolos *Eccleſiarum* fundos exemit Conſtantinus *l.* 1. *C. Th. de annon*: patrimonia Clericorum non exemit. Forte movit pientiſſimum Principem Eccleſiarum, in quas Tyranni deſævierant, paupertas. Ubi cœperunt Eccleſiæ diteſcere, bonorum Eccleſiaſticorum immunitatem ad extraordinaria onera revocarunt Honorius, ac Theodoſius in *l.* 4. *C. Th. eod. tit.*: in eundemque ſenſum Eccleſiaſticorum bonorum immunitatem confirmavit Imp. Juſtinianus *Nov.* 131. *c.* 5., ubi publicæ utilitatis, ac publicæ ſalutis ergo certa etiam onera excepit ex ſententia Theodoſii Junioris in *l.* 6. *C. Th. de itin. muniend.*, qua abrogata eſt Honorii Conſtitutio in *l.* 40. *C. Th. de Ep. & Cler.* Patrimoniales Clericorum fundos novis, hoc eſt, extraordinariis *collationibus* a Conſtantio ſubdu-

ctos

Digitized by Google

ctos in *l.* 8. *Cod. Th. de Epiſc. & Cleric.*, opinio eſt Thomaſini *p.* 3. *l.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. Idem Conſtantius ſordidis muneribus, quæ extraordinaria erant, *tit. C. Th. de extraord. & ſord. mun.*, quum perſonalibus, tum patrimonialibus Clericos abſolvit *l.* 10. & 14. *C. Th. eod. tit.* Sordida munera percenſet Jac. Gothofredus in *Cod. Th.* Horum numero fuit *parangariarum præſtatio*, ad quam *non vocari* Clericos, nec *eorumdem facultates atque ſubſtantias*, idem Conſtantius juſſit *d. l.* 14. Et quamquam de nonnullis extraordinariis oneribus non idem ſemper jus fuerit, & extraordinaria dici aliquando ordinaria placuerit, uti ex Valentiniani *Nov.* 21.; tamen Juſtinianus Eccleſiarum & Venerabilium Domorum poſſeſſiones extraordinariis deſcriptionibus immunes fecit *d. Nov.* 131. *c.* 13., & probabile eſt, non aliam fuiſſe patrimonii Clericorom rationem. Thomaſin. *c.* 34 *n.* 6. Varium quoque de hac re jus fuit poſterioribus ſæculis, ejuſque varii juris hiſtoriam contexuit Thomaſinus *cap.* 35. Quantum ad Canones, proſtant horum nonnulli in Decretalibus Gregorii IX. *tit. de immunit. Eccleſ.*, nonnulli apud Thomaſin. *c.* 3. Super his Clericorum privilegiis ſuas quæque Chriſtiana Provincia leges; moreſque habet. Noviſſimum apud nos jus eſt, quod S. P. Benedictus XIV., & Carolus Borbonius Rex noſter tractatu habito conſtituerunt; de quo jure *lib.* 1. *Juris Neap.*

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER II.

PErſonas excipiunt Res, quo nomine comprehenduntur Sacramenta, Eccleſiæ, Beneficia, Penſiones, aliique reditus Eccleſiaſtici, de quibus omnibus ſingillatim.

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS.

SCripturus de Sacramentis, ne cui meo videar officio deeſſe, id moneo atque edico, me iis omnibus controverſiis, quæ ſuper hac ipſa re inde uſque a XII., aut XIII. ſæculo Scholaſticorum ingenia exercent, ultro abſtinere. Meum eſt, quæ ad diſciplinam, rituſque Eccleſiaſticos pertinent, enarrare. Pauca quædam eorum, quæ ablegavi ad Theologos, ut conſuetudini ſerviam, delibabo.

Sacramenti in re quum Civili, tum Eccleſiaſtica multiplex ſignificatio. Hoc loco eſt *ſignum rei ſacræ*. Quicquid ſub ſenſum cadit, *ſignum* dico: gratiam, quam externum illud ſignum deſignat, & confert, *rem ſacram* appello. Definitionem huic ſimillimam ſub nomine Auguſtini proponit Gratianus *can.* 32. *diſt.* 2. *de Conſecr.*, *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma*: quæ definitio expreſſis verbis apud Auguſtinum nuſquam extat: tamen ex Auguſtini verbis in *ep.* 16. collecta eſt: uti in eum locum monent Correctores Romani. Tribus perfici Sacramenta, Concilium Florentinum docet in *Inſtruct. ad Armen.*, *rebus*, *tanquam materia*, *verbis tanquam forma*, *&* *perſona Miniſtri conferentis Sacramentum*: *quorum ſi aliquod deſit*, *non perficitur Sacramentum*. Voces *materia*, & *forma* ſæculo XII. antiquiores non ſunt. Ante id tempus duo in Sacramentis diſtinguebant, *rem*, hoc eſt, *materiam*, & *verba*, hoc eſt, *formam*: itemque diſtinguebant *ſignum*, & *rem ſacram*, ſeu *rem inviſibilem*: ac denique *Sacramentum*, & *rem Sacramenti*. Signo, Sacramentove materiam, & formam, re ſacra, ſeu inviſibi-

 ſibi-

Digitized by Google

ſibili, aut re Sacramentij Characterem, & gratiam ſignificabant. At poſtquam ſæc. XII. Peripatetica Philoſophia in Theologiam irrepſit, eas voces *materia*, & *forma* a Peripateticis procuſas arripuerunt Theologi: ac videtur eas primus omnium uſurpaſſe Guilelmus Antiſiodorenſis haud multo poſt an. Chr. 1215., quem mox ſequuti ſunt Alexander de Hales, Albertus M., D. Thomas, ac tandem Eccleſia univerſa. Sed Latini primum, tum Græci ea vocabula adhibuerunt. Morin. *de SS. Ordin. p.* 3. *Exerc.* 1. *cap.* 3. Ex eadem Philoſophia eſt ea materiæ partitio in *remotam*, & *proximam*. Remotam dicunt rem ipſam, quæ eſt ad conferendum Sacramentum adhibenda, qualis eſt aqua, oleum &c.: proximam dicunt ipſum rei uſum, qualis eſt ablutio, unctio &c. Forma eſt aut pura, quam dicunt *abſolutam*, aut conditionalis. Eſt hæc partitio VIII. ſæculo recentior. Quo caſu nunc Sacramenta, quæ non iterantur, conferri ſub conditione ſolent, antea iterabantur. S. Cyprian. *ep.* 76., Leo M. *ep.* 37., S. Gregor. *ep.* 31. Neque id Patres religioni ducebant ſibi; nam non videri iteratum ajebant, quod non certis argumentis rite peractum conſtabat: quam regulam Leo, & Gregorius diſertiſſime proponunt: ea autem regula nullum fuiſſe per id tempus formæ conditionalis uſum ſupponit. Primum in Capitularibus Caroli M. *lib.* 6. *cap.* 181. ea forma præſcripta eſt: tum ſæc. XII. ab Alexandro III., cujus Decretum inſeruit ſæc. XIII. Gregorius IX. in Libros Decretalium: extatque in *cap.* 2. *de Baptiſm.* Sed non ante ſæc. XIII. Latinæ omnes Eccleſiæ ejus formæ uſum receperunt, quod non ante Decretales editas Alexandri III. Decretum innotuit ubique: quo factum, ut Petrus Cantor, qui poſt Alexandrum ſcripſit *de Sacramentis*, eam formam rejecerit. Conditionali formæ locus eſt, ubi de collati Sacramenti vi dubitatur, *d. cap.* 2.: nec niſi in Sacramentis, quæ repeti non poſſunt, eſt locus; namque alia præter ea Sacramenta Eccleſiaſtici Scriptores ab Alexandro ad proxime exactum ſæculum non meminere. Sæculo proxime exacto conditionalem Abſolutionis formam aliquando adhibendam tradidere quidam Theologorum: qua de re v. Juenin. *de Sacram. Diſſ.* 1. *q.* 3. *art.* 2. Miniſtri etiam *intentione*, hoc eſt, voluntate ad perficiendum Sacramentum eſt opus. Debet autem Miniſter ita ſtatuere apud ſe, velle ſe *ſaltem facere*, *quod facit Eccleſia*. Trident. *d. ſeſſ.* 6. *can.* 11.

Sacramenta numero ſeptem, eaque Chriſtus omnia inſtituit: Trident. *ſeſſ.* 6. *de Sacram. in genere c.* 1. Alexander de Hales, & S. Bonaventura Confirmationem ab Eccleſia: Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, aliique nonnulli Theologi Tridentino Concilio antiquiores extremam Unctionem ab Apoſtolo Jacobo inſtitu-

ſtitu-

ſtitutam tradidere . Non erat ante Concilii Tridentini tempora ſatis exploratum , quod poſtea eſſe ratum fixumque apud Catholicos cœpit . Omnium communis effectus *gratia* , quam dicimus *ſanctificantem* . Trident. *d. ſeſſ. c.* 6. Porro Baptiſmi , Confirmationis , atque Ordinis proprius effectus *Character* , ſeu ſpiritualis quædam nota , quæ ſemel animæ impreſſa nunquam deletur : quo fit , ut repeti non poſſint . Trident. *d. ſeſſ.* 7. *can.* 9. Vox *Character* apud antiquos Eccleſiæ Patres nuſquam extat ; extant vero voces aliæ , quibus Tridentini de Charactere ſententiam fuiſſe antiquæ Eccleſiæ perſpectam , ſatis luculenter oſtenditur : qua de re Theologos adi , qui Catholicum dogma de Charactere contra hæreticos tuentur . Id moneo , a ſæculo XIII. cœpiſſe Theologos uberius ſubtiliuſque naturam , rationeſque characteris pertractare ; ſed longæ eorum diſputationes huc tandem videntur redire , characterem eſſe ſpecialem quandam hominis Divino cultui addictionem : qua veluti nota ab aliis diſtinguitur : id autem Baptiſmo , Confirmatione , Ordine fieri , cuivis facile eſt intelligere .

TITULUS II.

DE BAPTISMO.

Baptiſmus eſt a Græco βαπτίζειν , quod proprie redditur *mergere* , uti vetuſtiores Gloſſæ habent , per metalepſin *abluere* : quæ ſignificatio huc pertinet . Igitur Baptiſmus *ablutio* eſt . Remota Baptiſmi materia eſt aqua naturalis : quod ex Divinis libris , & perpetua Eccleſiæ traditione docent Tridentinum *ſeſſ.* 7. *c.* 2., ac Theologi paſſim . Stephani III. reſcriptum apud Sirmundum *tom.* 2. *Conciliorum Galliæ* , quo Baptiſmus periclitanti puero in vino , quod aqua deeſſet , datus probatur , omnino apocryphum habe , primum quia a veri ſpecie longiſſime abeſt , ſummum Pontificem in re protrita turpiſſime lapſum : deinde quia de ejus reſcripti auctore non conſtat , illudque duo MSS. Codices Stephano II. , tertius Siricio adſcribit : demum quia non uno in iis omnibus MSS. modo res ipſa enarratur . Quid , quod nullus Patrum ejus reſcripti meminerit ad hunc diem ? Id , ſi de reſcripto non ambigas , quo pacto veriſimile eſſe , probes , non video . Adi A. Auguſtin. *de emend. Gratiani p.* 200. , & Baluz. in *A. Aug. p.* 431. Aquam benedici , vetus diſciplina Eccleſiæ eſt . Baſilius *de Sp. S. cap.* 27. , Cyrill. Hieroſolym. *Cath.* 3. Hæc aquæ benedictio eſt , quam Patres aquæ *ſanctificationem* , & *conſecrationem* dixere . Tertul. *de Bapt. c.* 4., Baſil. *ibid.* Certæ preces

ces ab Eccleſia inſtitutæ ad ſanctificandam aquam adhibitæ, quas habes in *Conſt. Apoſt. lib.* 7. *c.* 43. Hinc *deprecari ſuper aquam Baptiſmi* apud Aug. *de Bapt. lib.* 5. *c.* 20. Signo etiam Crucis aquam ſignari, teſtes ſunt Auctor *Libr. de Eccl. Hierarch.*, Auguſt. *Hom.*27. ex 50. *tom.* 10., aliique. Si aqua ſatis ad abluendam multitudinem non erat, nova per canales in Baptiſterium infundebatur. V. Ennodii *epigr.* 149. de fonte Baptiſterii S.Stephani. Materia proxima eſt ipſa ablutio. Ablutionis modus triplex, *Adſperſio*, *Effuſio*, *Immmerſio*. De Baptiſmo per adſperſionem, aut effuſionem dato a veteribus dubitatum. Cornel. P. *ep. ad Fabium Antiochen.* apud Euſeb. *lib.* 6. *Hiſt. c.* 43., S. Cyprian. *lib.* 4. *ep.* 7.: at jamdiu certi juris eſſe cœpit, Baptiſmum valere: quam ſententiam Cyprianus habuit potiorem. Et ſane adſperſio, effuſio, immerſio diverſi quidem ablutionis modi ſunt; re tamen ipſa nihil diſtant. Veterum dubitatio de Baptiſmo per adſperſionem, aut effuſionem collato luculentiſſimo argumento eſt, prioribus Eccleſiæ ſæculis conferri Baptiſmum immerſione conſueviſſe: & certe hunc ritum per XII. priora ſæcula ſervavit Eccleſia: ſæculo XIII. ineunte adhiberi effuſio in quibuſdam Latinis Eccleſiis cœpit, teſte D. Thoma *p.*3. *q.* 66. *art.* 7.; ſed ſub exitum ejus ſæculi immerſionem deſueſcere, ac frequentari effuſionem cœpiſſe, Rituales Libri demonſtrant. Trina erat immerſio, Tertullian. *de Coron. milit. c.* 3., Canon Apoſtolic. 50., Auctor *Libr. de Eccleſiaſt. hierarch.* Ambroſ., ſeu quiſquis alius eſt auctor *Librorum de Sacramentis*, S. Gregor. in *Sacramentar.* Qui non ter mergebat, præcepti Eccleſiaſtici violati pœnas dabat, *d. can. Apoſt.* At neque ad vim Sacramenti, neque ad Divinum ullum præceptum trinus ille merſionum numerus pertinebat; quum enim Hiſpani nonnulli, ne Arianos, qui trina merſione triplicem in Trinitate ſubſtantiam deſignabant, imitari viderentur, ſemel mergerent; eorum factum Gregorius M. probavit *lib.* 1. *ep.* 41. *ad Leandr. Epiſcopum Hiſpalenſem*. Quum infantes, tum adulti, & fœminæ æque ac maſes omnino nudi, ac ne levi quidem faſciola cincti toto corpore mergebantur. S. Ambroſ. *ſerm.* 20., Chryſoſt. *ep.* 1. *ad Innocent.*, Auguſtin. *Hom.* 3. *ad Neophytos*, Gregor. M. in *Sacramentario*. Ut autem ſexus pudori conſuleretur, fœminæ a maribus alicubi Baptiſterio, cujus duo plerumque conclavia erant, uti ſuo loco oſtendam, alicubi tempore diſtinguebantur. Auguſtin. *de Civ. Dei lib.* 22. *c.* 8., Gregor. in *Sacram.*, Albinus Flaccus *de Divin. Off.* apud Voſſ. *de Bapt. diſp.* 1. Conſulebatur etiam muliebri verecundiæ per Diaconiſſas, de quibus jam dictum.

Baptiſmi forma apud Latinos hæc eſt, *Ego te baptizo in no-*

mine

Digitized by Google

mine Patris, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. Eugen. IV. in *Decret. Armen.*, & Rituale Roman. Pauli V. Multorum, ac maxime Petri Cantoris, & Præpoſitivi opinio fuit, ſalvo Sacramento omitti poſſe verba, *Ego te baptizo*, hoc argumento, quod in iis Chriſti verbis *Matth.*20. *Baptizantes eos in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, τὸ *baptizantes* factum ipſum Miniſtri deſignet. V. Morin. *de Pœnit. lib.* 8. *c.* 16. At contra Alexander III. reſcripſit in *cap.*1. *de Baptiſm.* Sed Alexandri reſcriptum Petrum Cantorem, Præpoſitivum, alioſque Theologos Alexandro recentiores omnino latuit; neque ante Decretalium Libros ſub Gregorio IX. editos Eccleſiæ videtur innotuiſſe. Græcorum forma hæc eſt, *Baptizetur ſervus*, *vel ſerva Dei N. in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. Joh. Moſchus in *Prato Spirit. cap.* 176., Arcudius, & Græcorum Euchologia apud Goarium habent *Baptizatur*: quæ germana lectio D. Thomam, alioſque ſcholaſticos fugit. At ſive hoc, ſive illo modo formula efferatur, vis Sacramenti conſtabit. Eugenius IV. in *Decreto*. Vetus eſt hæc formula apud Græcos in eum finem, quod multi putant, adhibita, ut ſuboleſcenti errori occurreretur; namque illud Miniſtri verbum, *Ego te Baptizo*, occaſionem opinandi dedit, vim Sacramenti ex perſona Miniſtri æſtimandam: quo referunt nonnulli Corinthiorum diſſidium, de quo Paulus 1. *ad Cor.* 1., *Unuſquiſque veſtrum dicit*, *Ego ſum Pauli*, *Ego Cephæ*, *Ego Chriſti*... *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis*, *aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Certe videntur Græci Patres eam formulam uſurpaſſe, ne quis verbum, *Ego te baptizo*, torqueret in ſententiam Novatianorum, quorum hæreſis late manaverat in Oriente, ad vim Sacramenti fide Miniſtri opus eſſe. Sed Græci tamen in pejus delapſi Baptiſmum formula Latinorum datum nihili eſſe rati ſunt, ac proinde a Latinis baptizatos rebaptizabant: quo nomine Græcos acerbe carpit Innocentius III. in *cap. ult. h. t.*

Baptiſmi ſolennis, puta ejus, qui adhibitis cæremoniis conferebatur, ordinarius Miniſter fuit olim Epiſcopus, aut Preſbiter *non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem*, *quo ſalvo ſalva pax eſt*, inquit Tertullianus *de Bapt. c.* 17. V. quoque Hieronym. *Dial. adverſ. Luciferian.*, & Aug. *lib.*22. *de Civ. Dei c.* 8. Poſt ſæculum V. proprius Presbyter etiam ſine Epiſcopi venia ſolennem conferre Baptiſmum cœpit. S. Gregor. in *Sacrament.* Sæculo VII. Epiſcopus fere nunquam baptizabat. Extra ordinem ipſe Diaconus baptizabat juſſu Epiſcopi. Hieronym. *ibid.* Quod ſi qua neceſſitas urgeat, laici omnes recte baptizant. Tertullian., & Hieronym. *cit. loc.* Recte, inquam, hoc eſt, ſine culpa; cæterum etiamſi nulla neceſſitas ſit, vale-

re

re Baptiſmum a laicis datum, perpetua traditione docemur; at næ illi tamen contra diſciplinam Eccleſiæ peccant. Appoſite Auguſtinus *lib.* 2. *contra ep. Parmen. c.* 13., *Nulla neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt*. De Baptiſmo ab hæreticis collato Stephanus P., atque Africani Patres magnis animis diſputarunt. Primus Agrippinus Cartaginenſis Epiſcopus ſub finem ſæculi II. hæreticorum baptiſma nullum pronunciavit. Auguſtin. *lib.*2. *de Bapt. cont. Donatiſt.*, Vincent. Lirinenſ. *Commonit.* 1. *c.* 9. Sæculo III. Agrippini ſententiam Cyprianus, aliique Africani Epiſcopi tribus in eam rem habitis Conciliis confirmarunt: neque aliud Firmiliano Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo, aliiſque non paucis Aſianis Epiſcopis de ea re viſum. Adi N. Alexandr. *in ſæc.* 3. *tot. artic.* 5. Unus contra omnes Stephanus hæreticorum baptiſmum, ſi præſcripta a Chriſto formula conferretur, habuit ratum. Cyprian. *ep. ad Pompejum Epiſcopum Sabratenſem*, Firmilian. *Ep. ad Cyprian.* Stephani judicium Eccleſia univerſa ſequuta eſt, teſte Auguſtino *lib.* 2. *de Bapt. c.* 4. ubi ſecundum eum in *plenario*, id eſt, œcumenico Concilio pronunciatum, inquit: idque Concilium poſt Cypriani martyrium, ſe tamen nondum nato habitum addit *cap.* 9.: quod argumento eſt, Auguſtinum ſpectaſſe ad Nicænam Synodum, quæ uti Hieronymus loquitur *ibid.*, *omnes hæreticos ſuſcipit* (puta *can.*8.) *exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis*, de quibus *can.* 19. namque uſitatam in Catholica Eccleſia formulam non ſervabant. Ex ſententia Stephani noviſſime definivit Trident. *ſeſſ.* 7. *can.*4. Idem de Baptiſmo Judæorum jus eſt. Aug. *lib.* 5. *de Bapt. c.*20., & *lib.* 2. *contra Parmen. c.*13. Quod ſi quis non baptizatus ritum Eccleſiæ ſervet, ſicque animo propoſitum habeat, velle ſe ſecundum Eccleſiæ mentem agere, Baptiſmum valere, non ambigitur. Contra quidem ſenſere Patres, qui valere Baptiſmum hæreticorum negabant: Auguſtino in hac re aqua hæſit, nec quidquam temere affirmandum *ſine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficit*, *lib.* 2. *contr. ep. Parmen. c.* 13. ſcripſit. At Baptiſmum valere Nicolaus P. reſcripſit ſæc. IX. *ad conſulta Bulgarorum in can.* 24. *de Conſecr. diſt.* 4.

Infantibus, atque adultis datur Baptiſmus. Baptiſmum parvulorum nihili eſſe, hæreticorum quorundam opinio fuit. Tertullianus ipſe *lib. de Baptiſm.* ſatius habuit Baptiſmum differendum, qui erant baptizandi, Chriſtum noſſent. At recte infantes in fide Eccleſiæ baptizari, Catholica Fides docet. Trident. *ſeſſ.* 7. *de Bapt. can.* 13. Quod parvulorum Baptiſmum nulla præiret catecheſis, ſponſores adſumti, qui conceptis verbis reſponderent, de quibus mox. Adulti antequam Baptiſmum ſuſciperent, rudimenta fidei edocebantur: unde nomen *Catechume-*

vorum à Græco *κατηχεῖν*, *docere*, *erudire*. Hinc Tertulliano *Novitioli de Pœnit. c.* 6., Auguſtino *Tirones Dei de Symbol. fid. ad Catech. lib.* 2. *c.* 1., ac paſſim Latinis Patribus *Audientes*, & *Auditores* dicti. Quandoque *Chriſtiani* etiam appellati. Concil. Illiberit. *can.* 39., & Conſtantinop. I. *can.* 7.: quo factum, ut interdum *facere Chriſtianum* perinde eſſet, ac *facere catechumenum*, ut in *vit. S. Martini Dialog.* 2. *c.* 5. Vere Catechumeni inter Ethnicos, & Fideles medii habebantur; ſed is gradus non ſine manuum impoſitione, & recitatione precum obtinebatur. V. *vit. S. Mart. loc. cit.*, Valeſium in *Euſeb. de vit. Conſt. lib.* 4. *c.* 61., & Coteler. in *Conſt. Apoſt. lib.* 7. *c.* 39. Ex hoc ritu explicandi ſunt *can.* 39. Concilii Illiberitani, & *can.* 6. Arelatenſis I. Hinc etiam lux affulget *d. canoni* 7. Conſtantinop. I., & *can.* 95. Concil. Trullani., quibus locis *Chriſtianum facere* perinde eſt, atque aliquem impoſitis manibus, recitatiſque ſolennibus precibus in imo Catechumenorum gradu collocare. Manuum impoſitioni accedebat quoque ſignum Crucis, quo ſignabantur: de quo ritu apud Auguſtin. *de peccat. merit. lib.* 2. *cap.* 26., & *lib.* 1. *Confeſſion. cap.* 11., & in *vita Porphyrii* Eccleſiæ Gazenſis Epiſcopi apud Baron. *ad an.* 401. De tempore Catechumenatus non idem ſemper, & ubique jus fuit. Apoſtolorum ævo nullum prope temporis ſpatium inter primam hominum converſionem, & Baptiſmum videtur interjectum. *Act. Apoſt. c.* 8. *v.* 38., *c.* 9. *v.* 18., *c.* 10. *v.* 47., *c.* 11. *v.* 41., *c.* 15. *v.* 33. Tum, quod experimento compertum eſſet, ab hominibus ſine periculo ad Baptiſmum admiſſis jure eſſe Chriſtianæ Reip. metuendum, intra certum tempus Catechumenatum Eccleſia concluſit. Synodus Illiberitana *can.* 42., & Juſtinus *Nov.* 144. biennium: Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 38., & Nicæni Patres *can.* 14. triennium: Synodus Agathenſis *can.* 34. menſes octo Judæis, Illiberitana *can.* 4. annos tres Flaminibus præſcribit. Si quis in Cathecumenatu peccaret, legitimum tempus producebatur, iſque de ſuperiore ad inferiorem gradum dejiciebatur: ſi in imo ordine erat, e Catechumenis omnino extrudebatur. Concil. Neocæſarienſe *can.* 5. Contra interdum aut multitudo confluentium ad Baptiſmum, aut periculoſus certi hominis morbus fecit, ut tempus contraheretur. Socrates *lib.* 7. *cap.* 30. Synodus Agathenſ. *can.* 34. Duos Catechumenorum ordines, ſeu gradus fecere Græci canonum interpretes Zonaras, Ariſtinus, Balſamon in *can* 5. Concilii Neocæſarienſis: unum eorum, quos *ἀτελεστέρους imperfectiores*, alterum eorum, quos *τελειοτέρους perfectiores* appellant. Duos etiam fecere gradus Catechumenorum Bevereg. in *can.* 14. Concilii Nicæni, Suicerus *Theſaur. Eccl. tom.* 2., aliique: unum *Audientium*, alterum *Genuflectentium*, ſeu *Subſtratorum*. Rectius Mo-

rin,

tin. *de Pænit. lib.* 6. *c.* 1. *n.* 15., Albaſpinæus *Obſ. lib.* 2., & Martene *de ritib. Bapt.* alios *Audientes*, alios *Genuflectentes*, alios *Competentes*, ſeu *Electos* dicunt. In imo ordine erant *Audientes* (a): Si quos Baptismi deſiderio teneri noſſet Eccleſia, eos ad ſacras Conciones, Lectioneſque audiendas admittebat. Hinc factum nomen *Audientium*. Concil. Nicæn. *d. c.* 14. Diacono poſt abſolutam Scripturarum explicationem proclamante, *Ne quis Audientium, ne quis Infidelium*, cum ethnicis abibant. In medio ordine erant *Genuflectentes*, quod eis in genua provolutis imponerentur manus, & benediceretur. Hi veteribus proprie dicti *Catechumeni*, quæque eos ſpectabat Liturgiæ pars *Catechumenorum oratio* dicta. Conc. Laodic. *can.* 19. Ad hos proprie referebatur ea Diaconi proclamatio; *Quicumque Catechumeni diſcedite*. In ſummo ordine erant *Competentes*, quod jam peterent Baptiſmum, uti Auguſt. tradit *de fid. & oper. c.* 6.; ſeu *Electi*, quod ad Baptismum proxime futuris diebus feſtis ſuſcipiendum ſeligerentur. Hi ſua dabant Baptismi vota, ac nomina, quæ jubente Epiſcopo cum nominibus Suſceptorum libris Eccleſiæ, quos *Diptycha viventium* (b) dicebant, teſte Pachymere in Auctorem *Libr. de Eccl. Hierarch. c.* 2., Sacerdos, aut Diaconus inſerebat. Auctor *Libr. de Eccl. Hier. loc. cit.*, Concil. Conſtantin. ſub Menna *act.* 5. S. Auguſt. *ſerm.* 131. Sed plura de nominibus mox. Toto tyrocinii tempore Catechumeni rationes Fidei, ac vitæ Chriſtianæ officia edocebantur. Aug. *ibid.* Sed reticeri tamen quædam Religionis myſteria, vetus Eccleſiæ diſciplina fuit: quam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ partem egregie præter cæteros illuſtravit Schelſtratius peculiari Diſſertatione *de Diſciplina arcani*. Seligam in hanc rem pauca quædam, ſed conceptiſſima Patrum loca. Tertullianus *de præſcript. adverſ. hæret. c.* 41. ſui temporis hæreticos carpit, quod nullam reticentiæ myſteriorum rationem haberent, eo verbo, *Quis catechumenus, quis fidelis, incertum eſt. Pariter audiunt, pariter orant. Etiam ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt.* Cyrillus Hieroſolym. *catech.* 6. *n.* 16. *De myſteriis apud Catechumenos aperte non loquimur, ſed multa ſæpe loquimur obtecte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, haud lædantur.* V. quoque Nazianzen. *orat.* 40. *de Bapt.*, Chryſoſt. Hom.

(a) *Duplicem novam de Catechumenorum claſſibus opinionem, alteram Bonæ, alteram Binghami videſis apud eos rer. liturg. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 4., *& orig. lib.* 10. *c.* 2. *§.* 1., *&* 2.

(b) *De Diptychis multa inferius.*

Digitized by Google

Hom. 46. *in Act.*, Theodoret. *haret. fabul. lib.* 5. *c.* 18., & Cyrill. Alexandr. *adv. Julian. lib.* 7. In hanc diſciplinam diligentius inquirere, pulcrum eſt. Eam ab ipſa Chriſti, & Apoſtolorum memoria repetunt, ac diu in Eccleſia conſtantiſſime ſervatam, tradunt Schelſtratius *loc. cit.*, Pagius in *Baron. ad an.* 118. *n.* 4., aliique. Potiſſima, quæ in hanc ſententiam adferuntur argumenta, hæc ſunt. I. Interrogantibus Chriſtum Diſcipulis, cur Judæos in parabolis alloqueretur, reſpondit *Matth.* 13. *v.* 11., *Quia vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Calorum: illis autem non eſt datum.* II. Ipſe Chriſtus reticentiæ legem Apoſtolis dedit *Matth.* 7. *v.* 6., *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Hoc ſenſu verba Chriſti interpretantur Clemens Alexandrin. *Stromat. lib.* 1., Tertullian. *ibid.*, & Chryſoſt. *de cordis compunct. lib.* 1. *c.* 6., & *Hom.* 23. *in Matth.* III. Apoſtolos factum, præceptumque Chriſti ſequutos, probant eorum orationes ad Judæos, atque Ethnicos *Act.* 2., 4., 10., 17., in quibus de penitioribus myſteriis altum ſilentium. Nominatim Paulum Apoſt. Chriſti legem ſervaſſe tradit *lib.* 5. Clemens Alexandr. ex eo Pauli verbo, *Ut aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis*; itemque ex eo, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* IV. Apoſtolorum exemplo inſtitiſſe Patres Eccleſiæ ſucceſſores Apoſtolorum, producta Tertulliani, & Cyrilli teſtimonia confirmant, & porro protrita illa Ethnicorum, & maxime Celſi objectio, doctrinam Chriſtianorum clancularíam eſſe: quam notam Tertullianus, & Origenes abſterſere reponentes, bene multa Religionis Chriſtianæ capita in vulgus patere: eſſe quidem nonnulla, quæ non evulgabantur; id vero non Chriſtianæ tantum doctrinæ proprium eſſe, ſed Ethnicæ etiam Religionis, ac Philoſophiæ commune: & Tertullianus quidem Eleuſiniorum, Origenes Scholæ Pythagoricæ reticentiam urgent. Hoc eodem argumento arcanam Chriſtianorum doctrinam fuſe, atque erudite tuetur Clemens Alexandrinus laudato loco. Hinc intelligis, quanta ſit ad Religionem tuendam neceſſitas Traditionis; nonnulla enim ſunt, quæ, ne profanis paterent, literis conſignare Patres Eccleſiæ veriti ſunt. Appoſite S. Baſilius *de Spir. S. cap.* 27. docet, multa eſſe, quæ ſine ſcripto a Chriſtianis ſanctiſſime cuſtodiuntur *tacita ſecretaque traditione*: & mox ea haberi ait *ex minime publicata, & arcana traditione, & ex doctrina, quam ſilentio quieto Patres ſervarunt, pulcre quidem illi, nimirum docti, arcanorum venerationem ſilentio conſervari.* Intelligis etiam vim ejus formulæ in Concionibus Patrum, ubi de Sacramentis potiſſimum agunt, frequentiſſimæ, *Norunt fideles*, ſeu *Norunt initiati, quod dicitur*: quam formulam minimum quinquaginta Operum Chryſoſtomi locis obſervari poſſe, Caſaubonus

inquit *Exercit.* 16. *in Baron.* Ea formula Patres fidelibus indigitabant, quod celabant profanis. Contra Dallæus *de Scriptis Ignatii lib.* 1. *cap.* 22. totam hanc illius arcani quarto adulto, & toto quinto ſæculo ſolennem, & notiſſimam diſciplinam primis, & Apoſtolorum proximis ſæculis nondum cognitam contendit. Binghamus *orig. lib.* 10. *cap.* 5. §. 3., eam ſua cepiſſe initia opinatur circa tempora Tertulliani, quem primum ejus meminiſſe ait *de præſcript. adver. hæret. d. c.* 41. At vero eos abunde refellunt, quæ de Chriſto, atque Apoſtolis ſacrorum Librorum, ac Patrum teſtimonio propoſita ſunt: refellit Baſilius *d. c.* 27., ubi eam diſciplinam a *ſuis Patribus* ſervatam inquit: ac ne quis *Patres* interpretetur eos, qui aut Tertulliano æquales, aut juniores fuere, faciunt hæc, quæ apud eundem Baſilium ſequuntur, *Qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli, & Patres in occulto, ſilentioque Myſteriis ſuam ſervavere dignitatem; neque enim omnino Myſterium eſt, quod ad populares, & vulgares aures effertur*: denique refellit ipſe Tertullianus, qui *cit. loc.* diſciplinam illam adſtruit ex verbis Chriſti, *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*: ut ambigendum non ſit, in ea ſententia fuiſſe Tertullianum, diſciplinam illam non tum primum in Eccleſiam invectam, ſed inde ab ipſo Chriſto traditam & uſurpatam. Unus hic amovendus eſt obex. Duæ Juſtini Martyris Apologiæ Imperatoribus, ac Senatui Romano oblatæ Eccleſiaſticorum Conventuum rationes, Baptiſmi, atque Euchariſtiæ ritus, Eccleſiæ de Trinitate, Incarnatione, ac Vita æterna ſententiam, & abditiſſima quæque Chriſtianæ Religionis recludunt. Quis autem dicat, Juſtinum legem de Myſteriorum ſilentio ſolviſſe? Ego Juſtinum aliquanto liberius loquutum ajo: ſed quis, ſi ejus temporis rationes animo reputet ſuo, Juſtinum non excuſet, & vero etiam laudet? Non uno nomine Juſtini ævo malis rumoribus differebantur Chriſtiani. Tria maxime de eis jactabantur, Atheiſmus, Thyeſtææ cœnæ, & Concubitus inceſti. Ne quid per calumnias Ethnicorum res Chriſtiana caperet detrimenti, Apologiæ illæ ſcriptæ ſunt, quibus Chriſtianorum pietas in Deum, mores, ritusque caſti, & innoxii conventus perſpicue, ac ſincere enarrantur. Indulſit quidem ſibi Juſtinus aliquanto liberiorem dicendi facultatem; ſed ita tamen erat faciendum, ut turpes notæ Chriſtiano nomini adſperſæ omnino eluerentur. Deceſſit aliquid de Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritate, ne quid de Eccleſiæ ipſius dignitate decederet. Fuit aliquid neceſſitati dandum. Si qua in re cum Imperatoribus, ac Romano Senatu minus ſincere egiſſet Juſtinus, nulla ſtetiſſet verborum ejus fides. In eadem cauſſa cum Juſtino ſunt

ejus

Digitized by Google

ejus diſcipulus Tatianus, & Athenagoras, quorum etiam Opera objectat Albertinus *de Euchariſt. lib.* 2. Quod autem de Clem. Alexandrino, Tertulliano, atque Origene jactat Dallæus, id falſum eſſe, ſuperius dicta commonſtrant. Religionis arcana potiſſimum fuere Sacramenta. De Baptiſmo teſtes do Baſil. *loc. cit.*, & Aug. *comm. in Pſalm.* 103. *conc.* 1.: quo factum, ut Catechumenos ad Baptiſterium admitti, Concilii Arauſicani I. Patres vetuerint *can.* 19.: de Confirmatione eundem Baſilium, & Innocentium I. *ep.* 1. *ad Decentium Eugubin. c.* 3.: de Pœnitentia Patres Laodicenos *can.* 19., Auctorem *Conſt. Apoſt. lib.* 8. *c.* 7., & Optat. *contra Parmen. lib.* 2.: de Euchariſtia Julium P. *ep. ad Epiſcopos Orienṫal.*, Chryſoſtomum *ep.* 1. *ad Innocent. P.*, & Auguſtin. *ibid.*: de ſacris Ordinationibus laudatos Patres Laodicenos *can.* 5., & Chryſoſt. *Hom.* 18. *in* 2. *Cor.* De extrema Unctione idem ex eo patet, quod ea proxime ſequi Euchariſtiam ſoleret. Idem quoque de Matrimonio habendum, ſatis, ut mihi videtur, aperte intelligi ex eo poteſt, quod Tertullianus ſcribit *lib.* 2. *ad uxor. c.* 9., Matrimonium conciliare Eccleſiam, & Oblationem confirmare: Oblationi autem præſentes adeſſe Catechumeni prohibebantur. Nonnullis etiam precationibus Catechumeni arcebantur: quod ut recte queat intelligi, animadvertendum eſt, olim publicas preces maximam partem poſt Concionem effuſas: Juſtin. *apol.* 2., Chryſoſt. *Hom.* 11. *in* 1. *Theſſ.* Iſtarum precum duplex genus, alterum earum, quæ propriæ fidelium, ſeu communicantium erant: alterum earum, quæ pro Catechumenis, Energumenis, Competentibus, ac Pœnitentibus effundebantur. Omnibus excluſi Judæi, Ethnici, & qui e Catechumenis proprie *Audientes* dicti: quo ſpectat formula illa, quam concione abſoluta Diaconus ex edito loco recitabat, *Ne quis Audientium, ne quis Infidelium.* Auctor *Conſt. lib.* 8. *cap.* 5. Secundi ordinis Catechumeni, quos proprie dictos Catechumenos præmonui, in Eccleſia manebant: tum rurſus proclamabat Diaconus, *Orate Catechumeni*: et, *Omnes fideles pro illis cum attentione orent, dicentes, Kyrie eleiſon.* Ubi Diaconus proclamaverat, preces pro Catechumenis recitabantur, quas exhibent Auctor *Conſt. c.* 6., & Chryſoſt. *Hom.* 2. *in* 2. *Cor.* Recitata a fidelibus pro Catechumenis prece, Catechumenos ſurgere, ac pro ſemetipſis orare Diaconus jubebat, *d. c.* 6., & *d. Hom.* 2. Catechumeni poſtquam oraverant, capitibus Diaconi juſſu inclinatis benedictionem ſuſcipiebant: qua ſuſcepta a Diacono dimittebantur hac formula, *Exite Catechumeni in pace*, *d. c.* 6. Dimiſſis Catechumenis, orari pro Energumenis, eiſque benedici, mos fuit: Auctor *Conſt. c.* 6. & 7., Chryſoſt. *Hom.* 18. *in* 2. *Cor.* Energumenorum dimiſſionem precatio pro Competentibus, eorumque be-

Digitized by Google

nedictio ſequebatur, *d. c.* 7., & 8. Ultima erat precatio pro Pœnitentibus, de qua *tit.* 5. Omnia hæc ex Græcis ſcriptoribus propoſui. Num eadem fuerit Latinæ Eccleſiæ diſciplina, plane non conſtat. Eandem fuiſſe, veroſimilius eſt. V. Bingham. *lib.* 14. *c.* 5. §. 13. Ex dictis liquet, eam Liturgiæ partem, quæ *miſſa fidelium*, ſive *Officium Euchariſticum* vocitabatur, inter arcana Religionis fuiſſe. Ad hæc Fidei ſymbolum nondum initiatos latebat: quæ cauſſa fuit, cur verba ſymboli Nicæni deſcribere reformidarit Sozom. *hiſt. lib.* 1. *c.* 20. Idem de Oratione Dominica docent Theodoretus *lib.* 5. *fab. c.* 28., & Chryſoſt. *Hom.* 20., al. 19. *in Matth.* ea ratione, quod nondum initiato Deum vocare *Patrem* non liceat. Denique idem de Trinitatis myſterio, ſcriptum eſt apud Hieronym. *ep.* 61. *ad Pammach. cap.* 4. Sed eorum, quæ recenſui, non una omnino ratio; Sacramenta enim, & publicæ communicantium preces nunquam ante Baptiſmum, cætera vel ante Baptiſmum Catechumenis patebant. Iis, qui proxime aberant a Baptiſmo, tradebatur Symbolum: & in Romana quidem Eccleſia feria IV. hebdomadæ IV. Quadrageſimæ, uti liquet ex *Ordine Romano*: in Gallicana, Hiſpanica, & Mediolanenſi die Dominico, qui dicitur *palmarum*, uti eſt in Concilio Agath. *can.* 13., apud S. Iſidor. *de Div. Off. lib.* 2. *cap.* 17., & S. Ambroſ. *ep.* 20. *ad Marcellinam ſororem*: in Africana Sabbato ante Dominicam IV. Quadrageſimæ, Auguſtino teſte *ſerm.* 213. *nov. edit.*: in Conſtantinopolitana vero die Paraſceves. Nicephor. *lib.* 16. *cap.* 35., Theodor. Lector *Hiſt. Eccl. lib.* 2. Symbolum traditurus Epiſcopus pauca quædam in rem proloquebatur: tum Symbolum recitabat: poſtremo expendebat per partes: cujus rei auctor eſt Auguſtin. *ſerm.* 214. Solenne in Romana Eccleſia fuiſſe, ex antiquis monumentis docet Martene, ut bis Symbolum recitaretur, primum Græce ſuper mares, tum Latine ſuper feminas. Dominica quoque Oratio tradebatur. Theodoret. *loc. cit.*, Auguſtin. *Hom.* 42. In Romana Eccleſia idem tradendi Symboli, qui tradendæ Orationis Dominicæ dies fuit, uti ex *eod. Ord. Rom.* Antequam ea Oratio traderetur, illam Evangelii partem, quæ eam Orationem conceptis verbis comprehendit, publice recitari conſueviſſe, teſtimonio patet Auguſtini *ſerm.* 59. Denique Trinitatem per quadraginta dies publice traditam baptizandis in Eccleſia Bethleemitana, S. Hieronym. inquit *d. ep.* 61. *c.* 9.: quod forte de ipſo Symbolo accipiendum eſt. Quæ tradebantur, voce tradi, mos fuit, ne charta ad Ethnicorum manus veniret: quod ex cit. Hieronymi, & Sozom. locis facile eſt intelligere. Tradita memoriter reddi ad certum tempus ante Baptiſmum debebant. Laodic. *can.* 46., Auguſtin. *ibid.* Diſciplinæ, quam enarravimus, fines fuerunt potiſſimum hi: primus, ut *myſteriorum veneratio ſilentio conſer-*

varetur, uti Baſilius loquitur *d. c.* 27. : ſecundus, ne ea Ethnici corrumperent, atque irriderent: quam cauſſam reddit Synodus Alexandrina apud Athanas. *Apol.* 2. : tertius, ut ea *tanto ardentius a Catechumenis concupiſcerentur*, *quanto eis honorabilius occultabantur*, verba ſunt Auguſtini *Hom.* 96. *in Joh.* Nunc de *Scrutiniis* opportunum eſt dicere. Scrutinia a *ſcrutando*, quod per ea Catechumenorum corda ſcrutaretur Eccleſia, videretque, *quanta vigilantia convenirent*, *quo ſtudio fervNerent*, *qua cura penderent*, uti Auguſtinus ait *de Fid. & oper. c.* 6. : hinc ſcrutinum eidem Auguſtino *examen* dicitur *lib.* 2. *de Symbolo cap.* 1. Non Romanam ſolum, ac Romanæ ſimiles ritu Eccleſias, ſed & Mediolanenſem, Africanam, Hiſpanicam, Gallicam, & Græcam Scrutinia adhibuiſſe, contra Joſephum Vicecom. *lib.* 3. *de Bapt. rit. cap.* 21. evinci facile poteſt ex Ambroſio *de Myſter. cap.* 1., Concilio Carth. IV. *can.* 85., Petro Chryſol. *ſerm.* 52., Concilio Bracarenſi II. *can.* 1., antiquo Gallicano Miſſali per Joſ. Thomaſium edito, & Cyrillo Hieroſolym. *præf. ad Catech.* Plura Baptiſmum Scrutinia præibant, de quibus Martene: eorumque initium factum a die, quo nomina a Competentibus dabantur, vetus Ordo Romanus circa S. Gregorii ætatem ſcriptus enarrat. Adhibebantur in Scrutiniis manuum impoſitio, certæ preces, exorciſmi, exufflationes, ritusque alii: ac porro Symbolum, & Dominica Oratio tradebantur. De Exorciſmis, & Exufflationibus Auguſtinus *de Fid. & oper. cap.* 6., & *lib.* 1. *de Symb. cap.* 5., ac Libri Rituales. Apud Latinos exufflationes in faciem Catechumeni factas, ex iiſdem Libris elucet: apud Græcos etiam in aures, ex *can.* 7. Concilii Conſtantinop. I., & Niceta *lib.* 2. *Orthodoxæ Fidei* conſtat. Salem quoque benedictum in os Catechumenorum injectum, auctor eſt Auguſtinus *lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 11. : atque eum *ſalem* latiore quadam ſignificatione *Sacramentum Catechumenorum* appellat Auguſtin. *lib.* 4. *de Bapt. contr. Donat. cap.* 21., & *lib.* 2. *de peccat. merit. cap.* 26.: & certe falſi ſunt Baronius, Bellarminus, & alii nonnulli, qui *Sacramentum Catechumenorum* interpretantur Eulogias, ſeu panem benedictum. V. Cardinalem Bona *lib.* 1. *rer. Liturg. cap.* 16. Adultorum Baptiſmum confeſſio peccatorum præceſſit. Tertul. *de Bapt. c.* 20., Gregor. Nazianz *orat.* 40. *de Bapt.*, Cyril. *Catech.* 1. Publicam quoque pœnitentiam Catechumenis impoſitam, Tertullian. *loc. cit.*, Auctor *Conſt. Apol. lib.* 7 *c.* 23., & Concilium Carth. IV. *can.* 85. luculentiſſime teſtantur. Eam pœnitentiam datis nominibus imperatam, in *Præf.* Cyrilli *ad Catech.*, in *d. c.* 85., & in *lib.* Auguſt. *de Fid. & oper. c.* 6. ſcriptum eſt. Per id tempus Catechumeni carne, vino, & uxoribus temperabant. Concil. Carth. *d. c.* 85., Aug. *d. c.* 6. Pedes nudabant, cilicio-

que

Digitized by Google

que cingebantur . Aug. *lib.* 2. *de Symbolo cap.* 1. Demum velo vultum obnubebant . Cyril. *d. Præfat.* Pœnitentiam , & vero ipſam Confeſſionem præ bat cæremonia , de qua Ambroſius *de Sacram. lib.* 3. *c.* 2., & Auguſtin. *tract.* 44. *in Job.*, Catechumenorum oculos luto illinendi exemplo cæci , quem Chriſtus luto reſtituit ; eoque ritu lucem eis affulgere ſignificabatur , qua conſcientiam ipſi ſuam recognoſcere, peccata confiteri ſua , eorumque agere pœnitentiam poſſent . Nec prætereundæ lotiones duæ , quas memorant Synodus Eliberitana *can.* 48., & Auguſtinus *ep.* 54. *ad Januar.*, altera capitis , altera pedum . Hujus dies proprius feria V. in Cœna Domini : illius Dominica palmarum , quam proinde antiquus Ordo Romanus *Capitolavium* dicit . Iſid. *lib.* 6. *etym. cap.* 18. Adveniente die Catechumeni ad locum Baptiſmi deducebantur . Ætate Apoſtolorum , atque ea , quæ proxime Apoſtolos ſequuta eſt , nullos fuiſſe certos Baptiſmi dies , Apoſtolorum Acta admonent , & Auctor *comm. in ep. Pauli* , qui ſub nomine latet Ambroſii , diſerte tradit *in Epheſ.* 4. Tum certa ſolenni Baptiſmo dicta ſunt anni tempora , nempe Paſchæ , & Pentecoſtes . Tertull. *de Bapt. c.* 9., Siricius P. *ad Himer. Tarrac. Epiſc. c.* 2., Gregor. M. in *Sacram.* : quam diſciplinam diu perſtitiſſe , poſteriorum temporum Scriptores de *Divinis Officiis* monſtrant . Apud Græcos , atque Afros Epiphania etiam ſolennis fuit Baptiſmi dies . Gregor. Nyſſen. *orat. de Bapt.*, Victor Vitenſis *lib.* 2. *de perſequut. Vandalic.* Galli duos porro addiderunt feſtos dies , alterum Natalis Domini , alterum S. Johannis Baptiſtæ . Gregor. Turon. *de gloria Martyr. c.* 6., & *Hiſt. Franc. lib.* 8. *c.* 9. Acceſſere his omnibus in quibuſdam Hiſpanicis Eccleſiis Apoſtolorum , & Martyrum feſti dies . Siricius P. *ad Himer. Tarrac. Epiſc.* Hiſpanicarum Eccleſiarum conſuetudinem Campaniæ , Samnii , ac Piceni Epiſcopi arripuerunt ; quo nomine eos reprehendit Leo M. *ep.* 136. Theſſali ſolos Paſchæ dies ſolennes habuere . Socrat. *lib.* 5. *Hiſt. c.* 17. Quum Paſcha dico , *Sabbatum* quoque *magnum* intelligo . Chryſoſt. *ep.* 1. *ad Innocent.* Quandoque etiam extra caſum neceſſitatis præter illos dies ſolennem Baptiſmum præſertim in Oriente datum , ex Chryſoſtomo habes *Hom.* 1. *in Act.* Diſciplinam de ſolenni Baptiſmi tempore ante ſæc. XII. deſiiſſe apud Occidentales , auctor eſt Rupertus Abbas *lib.* 4. *de Div. off. c.* 18. : jamque multa abhinc ſæcula apud Græcos æque , atque apud Latinos quovis die ſolennis Baptiſmus confertur . Nullo etiam certo loco datum olim Baptiſmum , Spadonis a Philippo Diacono in via baptizati exemplo docemur . Sæpe baptizandos ad flumina , & ſtagna adductos , teſtis eſt Tertullian. *de Bapt. c.* 1. Multos in memoriam Chriſti in Jordane baptizari deſideraſſe , Hieronymus

ſcri-

Digitized by Google

ſcribit *de loc. Hebraic.* Poſterioribus temporibus pace per Conſtantinum Eccleſiæ data ſacræ ædes ad conferendum Baptiſmum conſtitutæ ſunt, quas *Baptiſteria* dictitarunt: de quibus multa ſuo loco. Primum autem in ſolis Cathedralibus Eccleſiis: tum in minoribus urbibus: poſtremo in pagis conſtituta Baptiſteria, plerique omnes exiſtimant. Ut ut ſit, certe ſæc. IV. omnes extra urbem Parochiæ Baptiſteria habebant. Hieronym. *adv. Luciferian.* Deducti ad Baptiſterium Catechumeni præſtabant maxime tria. I. Abrenunciabant *Satanæ, & operibus ejus, & pompis ejus, & cultibus ejus, & Angelis ejus, & inventis ejus, ac omnibus, quæ ſub eo ſunt*: quæ renunciationis formula extat apud Auctorem *Conſt. lib. 7. cap.* 41. Ejuſdem formulæ ſententia eſt apud Hieronym. *comm. in Matth.* 25. Conſtitutis Baptiſteriis, Catechumenus *nudus, & diſcalceatus*, quod in *lib. de Hierarch. Eccl. c.* 3. ſcriptum eſt, *porticum domus Baptiſterii* ingreſſus, uti Cyrillus Hieroſolymitanus loquitur *Catech.* 1., *ſtans Occidentem verſus protenſa manu Satanæ tanquam præſenti* renuntiabat. Occidentem ſpectare perinde erat, atque Satanam ipſum ſpectare, qui *princeps* dicitur *tenebrarum*: quod mox addit Cyril. Renunciabat autem ſemel, iterum, atque tertio. Auctor *lib. de Eccl. Hierarch, ibid.* Ejus trinæ abrenunciationis myſteria aperit Vicecomes *de ritib. Bapt. lib. 2. c.* 20. Demum Catechumenus Satanæ abrenuncians in eum exufflabat, expuebatque, aliaſque edebat in eum averſantis animi ſignificationes. Auctor *Eccl. Hier. loc. cit.* II. Eam abrenunciationem excipiebat ſponſio, qua ſe Catechumeni Chriſto in poſterum ſervituros promittebant. Hieron. *comm. in Amos c. 6. v.* 14. Sponſionem hanc *promiſſum, pactum*, & *votum* Latini dicunt. Formulam dat Auctor *Conſt. d. cap.* 31., *Poſt renuntiationem* Catechumenus *dicat, Adſcribor Chriſto*. Similem dat Chryſoſt. *Hom. 6. in Coloſſ.* Uti ad Occidentem ſpectans Catechumenus Satanæ renunciabat, ita pactum cum Chriſto initurus convertebat ſe ſe ad Orientem, *quæ lucis eſt regio*, inquit Cyrill. *Catech. 1. n. 6.*: unde perbelle Hieronymus laudato loco *pactum iniri* ait *cum ſole juſtitiæ*. III. Fidem ſolenniter profitebantur. Pluries quidem reddere Catechumeni traditum Symbolum debebant: at quum inſtaret Baptiſmus, ſolennem edere profeſſionem Fidei ſecundum verba Symboli tenebantur, & rogati reſpondebant: qua de re egregie Auguſtinus *de Fid. & oper. cap.* 9. Edebatur hæc Fidei profeſſio manibus, oculiſque ad Cælum ſublatis apud multos teſtes. Auctor *Eccl. Hier. c.* 2., Leo P. *ſerm 4. de nativ. Dom.* Quin Romæ de editiore loco editam apud populum, niſi nimia Catechumeni verecundia obſtaret, teſtis eſt Auguſtin. 8. *Confeſſion.* 2. Et quemadmodum ter Diabolo renunciare, ita ter Fidem profiteri Ca-

techu-

techumenum oportebat. Cyril.Alex. *lib.* 2. *in Job.* 21. Aderant tempore Baptiſmi *Sponſores*. Qui nunc *Patrini*, dicti olim *Sponſores*, ſeu *Fidejuſſores*, quod ſuam pro baptizandis interponerent fidem: dicti quoque *Suſceptores*, quod ſuſciperent mergentes. Infantum ſponſores ut plurimum parentes ipſi: ſi parentes id præſtare officium aut non poſſent, aut nollent, etiam alii. Auguſtin. *ep.* 23. *ad Bonifac.*, ubi & illud porro ait, a parentibus expoſitos nonnunquam a ſacris Virginibus collectos, & ad Baptiſmum oblatos. Quod parvuli a Miniſtro interrogati Satanæ renunciare, ac profiteri fidem per ſe ipſi non poterant, ſponſores eorum nomine reſpondebant. Aug. *ibid.*, & *ſerm.* 116. *de tempore*. Adultis etiam morbo impeditis ſponſores *ſuam accommodare vocem* pereleganter dicti Cyrillo Alexandr. *in Job. c.* 11. *v.* 26. Jam vero vel pro iis adultis adhiberi ſponſores, voluit Eccleſia, qui per ſe ipſi recte poterant reſpondere. Auctor *Conſt. lib.* 3. *cap.* 16., Victor Uticenſis *de perſecut. Vandal. lib.* 3., & Pallad. *hiſt. Lauſiac. c.* 12. At reſpondere tamen in hac ſpecie ipſi debent, uti diſerte Auguſtinus *de Bapt. lib.* 4. *c.* 24.: atque hæ erant hoc caſu ſponſorum partes, baptizandos edocere, in quem modum eſſet Baptizatori reſpondendum, & qualis ſuſcepto baptiſmate vita inſtituenda, eoſque ſuſcipere de ſacro fonte. Concil. Carth. IV. *can.* 12. Quod dixi de inſtituenda poſt Baptiſmum vita, id præcipuum ſponſorum omnium munus eſt. Concil. Carth. IV. *d. c.* 12., Auguſtin. *ſerm.* 116., & 163. *de tempore*, & Concil. Pariſienſ. VI. *lib.* 1. *c.* 19. Baptizandos, maxime infantes a ſuis parentibus oblatos, docui ex Auguſtino. Nunc id facere parentibus interdictum. Interdictio hæc ſæculo IX. prior non eſt; nullus enim extat ſuper hac re Canon antiquior *can.* 55. Moguntini Concilii *an.* 813. in hæc verba, *Nullus proprium filium, vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat*. Epiſtola de hac ipſa re Papæ *Deus dedit*, qui ſub initium ſæculi VII. Pontificatum geſſit, apud Gratianum *cauſ.* 30. *q.* 1. *can.* 1. inter apocryphas eſt. Forte huic interdictioni cauſſam dedit Spiritualis Cognatio, de qua *tit.* 8. Hactenus de ritibus, qui Baptiſmum præcedebant, aut comitabantur. Ritus, qui proxime conſequebantur Baptiſmum, erant hi. Baptizato Sacerdos oſculum dabat: quem ritum Africanæ Eccleſiæ proprium fuiſſe, hoc argumento contendunt nonnulli, quod ejus nonniſi apud Cyprianum *ep.* 59. al. 64. mentio habeatur. Sed labuntur; namque eum ritum Chryſoſtomus etiam memorat *ſerm.* 50. *de util. legend. Scriptur.* Dabat quoque deguſtandum ad infantiæ ſignificationem lac, & mel benedictum. Hieronym. *adv. Lucifer. c.* 4., Concil. Carth. III. *can.* 24. apud Labbeum *tom.* 2. *Concil. p.* 1068. Idem Hieronymus *in Iſa.* 55. vinum, & lac in quibuſdam Oc-

cidentalibus Eccleſiis tributum narrat. Jam prope exciderat verticalis unctio, quæ oſculum excipiebat. Baptizatus in vertice a Presbytero, qui alius a Miniſtro Baptiſmi erat, chriſmate ungebatur; non enim unus baptizandis, ungendiſque omnibus par eſſe poterat. Alcuin. *cap.* 19. In Gallia ungendi copia Diaconis etiam facta in Concilio Vaſenſi *can.* 3., & Arauſicano I. *can.* 2.; at in Toletano I. *can.* 20., & paſſim negata. De hac unctione Auctor librorum *de Sacram.*, quem eſſe Ambroſium ajo, *lib.* 3. *cap.* 1., & Fortunat. *lib.* 5. *carm.* 4. A Sylveſtro primum inſtitutam, opinio eſt Amalarii *lib.* 1. *de Eccl. off. cap.* 27., Rabani, Ruperti, aliorumque: unde quibus Patrum Sylveſtro antiquiorum locis de unctione baptizatorum agitur, iis de Sacramento Confirmationis agi, pro certo habendum. Uncto baptizatorum capiti myſticum velamen, & corona imponebatur. Raban. *de inſt. Cler. lib.* 1. *cap.* 29., Chryſoſt. *Hom. ad baptizandos*. Porro baptizati albas veſtes induebant. Lactant. *Carm. de reſurrect. Dom.*, Pallad. in *vit. Chryſoſt. cap.* 9. Traditas eas veſtes cum solenni verborum formula, habes ex Sacramentario Gregorii M. *de Bapt. infant.*: geſtatas autem per dies octo, tum vero in veſtiario Eccleſiæ depoſitas, docet Auguſtinus *Hom.* 86. *de diverſ.*, ſi is ſit ejus Homiliæ auctor. Demum baptizatis veſte candida indutis cereæ faces datæ. Ambroſ. *de lapſu virg. cap.* 5., & Nazianz. *Orat.* 40. *de Bapt.*

Quæ in adultis, eadem prope omnia in infantibus Catechumenatu excepto ſervavit Eccleſia ad hunc diem: quæque adulti ipſi per ſe, infantes præſtant per Patrinos. Id moneo, infantibus in ipſo Baptiſmo nomen imponi, quod Catechumeni non uno ubique tempore (nam varia fuit Eccleſiarum diſciplina, uti ex Siricii *ep. ad Himer. cap.* 2., Cyrilli Hieroſolym. *Præfatione ad Catech.*, Auguſtini *ſerm.* 213. *cap.* 7., & vulgato *Ordine Rom.*) ſed ſemper ante Baptiſmum dabant: Novum nomen adſumebant Ethnici: Chriſtianorum liberi ante Baptiſmum plerumque nullum habebant, ac ſi quod haberent, ut plurimum mutabant. Socrat. *lib.* 7. *cap.* 21., Gregor. Turonenſ. *lib.* 8. *Hiſt. Franc. cap.* 22., Baronius *ad an.* 259. *n.* 11. Nomen ſæpe a Patrinis, ſæpiſſime a parentibus inditum: ac fere ſemper, quod aliquis SS. Martyrum geſſiſſet. Euſeb. *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 25., Nicephor. *lib.* 6. *cap.* 23.

T I T U L U S III.
DE CONFIRMATIONE.

CONfirmatio, quæ & *Chriſma*, hoc eſt, *Unctio*, & *manuum Impoſitio*, & *Signaculum Domini* etiam appellatur, eſt Sa-

cramentum, quo homini baptizato robur additur. Hujus Sacramenti materiam Sirmondus, Sambovius, aliique nonnulli eſſe ajunt manuum impoſitionem, cujus tantum fit mentio *Act. cap.* 8. *v.* 17., cujuſque tantum ſæpe Patres meminere. Plerique D. Thomam ſequuti materiam remotam ſtatuunt oleum olivarum, & balſamum, de quo utroque Eugenius IV. in *Decret.*: proximam ſolam frontis unctionem, de qua paſſim Patres. At vero Theologorum non pauci utrumque ritum, puta, impoſitionem, & unctionem frontis materiam eſſe Confirmationis contendunt: quam ſententiam collatis Latinorum, & Græcorum Patrum teſtimoniis late adſtruit Jueninus *Diſſ.* 3. *q.* 2. *c.* 3. Quæ de materia, eadem de forma diſputatio eſt. Qui primam de materia Confirmationis opinionem tuentur, formam eſſe arbitrantur Orationem, qua Epiſcopus neophyto manus imponens invocat Spiritum Sanctum: qui ſecundam, verba hæc, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: qui tertiam, abeunt in diverſa; ſunt enim, qui Orationem illam æque, ac deſcripta verba formam eſſe opinantur: ſunt, qui in ſola Oratione, quæ manuum impoſitionem comitatur, poſitam ſentiunt formam Sacramenti. Hæc ad examen revocare, Theologorum eſt. Nonnulla, quæ ad Hiſtoriam pertinent, mei muneris eſſe duco. Unctionem vel ab ipſis Apoſtolis adhibitam, contra Sirmondum contendit Libri, cujus titulus *Orthodoxus*, Auctor, qui ſub nomine Petri Aurelii latet. Verum eam eſſe Apoſtolorum ætate recentiorem, docent Eſtius in *ſent. lib.* 4. *diſt.* 7. §. 7., & Pearſon. *lect. in Act.* 5. *n.* 6., aliique. Certe prima ejus mentio apud Origenem in *Levit. Hom.* 9., ac Tertullianum *de Bapt. cap.* 7. Unctio, cujus meminit Origene antiquior Theophilus Antiochenus *ad Autolycum lib.* 1., videtur μεταφορικῶς accipienda. Porro Apoſtolos balſamo uſos ad confirmandos fideles, memoriæ proditum non eſt. Eos liquorem illum non adhibuiſſe, paupertas eorum haud obſcuro argumento eſſe poteſt. Per quinque priora ſæcula non fuiſſe balſamum cum oleo commixtum, Græcorum, & Latinorum Patrum per id tempus ſilentio probatur. Fabiani Papæ, qui III. ſæc. floruit, *Epiſtolam* 2. *ad Epiſcopos Orientales*, qua de balſamo habetur mentio, inter apocryphas habe. Sacerdotem Idolorum, qui ſub Juliano Apoſtata, nempe ſæc. IV. balſamum memorat apud Gregorium Turonenſem *de gloria Martyr. cap.* 41., Gregorius pro conſuetudine ævi ſui loquentem facit: quem loquendi modum boni Latinitatis Auctores non ignorarunt. Sane circa ſæc. VI. balſami uſus primum videtur in Eccleſiam Latinam invectus; unde ſub exitum ejus ſæculi de balſamo loquuntur Gregorius Turonenſis, & Gregorius M. in *Sacra-*

Digitized by Google

crament.: tum Latinam Græca Eccleſia imitata eſt. Apud Latinos inde uſque ab antiquiſſimis temporibus ſola frons ungitur: apud Græcos aures etiam, nares, & pectus, quorum meminit Cyrillus *Catech.* 3., ac porro oculi, & pedes, uti eſt in Rituali edito per Jacobum Goar *p.* 356. Hoc Latinis convenit cum Græcis, quod hi æque atque illi ſigno Crucis adhibito inungant. Benedici chriſma vetus utriuſque Eccleſiæ diſciplina eſt, de qua S. Baſil. *de Sp. S. c.* 27., Cyril. Hieroſolym. *Catech.* 3., & Gregor. M. in *Sacram.* Ejus diſciplinæ nullum in ſacris Literis veſtigium extare, ſed per manus traditam, inquit Baſilius: quumque ejus origo ignoretur, ab Apoſtolicis temporibus repetenda eſt ex regula Auguſtini *ep. ad Januar.* Quod *can.* 20. Concilii Toletani I. ſcriptum eſt, Epiſcopo licere *omni tempore* Chriſma conficere, ſatis probat, hodiernam de Chriſmate in Cœna Domini conficiendo diſciplinam ſæculo V. recentiorem eſſe: quumque ea in *Sacramentario* D. Gregorii memoretur, veriſimile eſt, circa ſæculum VII. primum inſtitutam. Ex laudato hoc D. Gregorii teſtimonio, & Canone Toletano novum ſuppetit argumentum, quo pateat, ſecundam Fabiani P. Epiſtolam, qua conficere Chriſma quotannis in Cœna Domini jubentur Epiſcopi, poſt ſæculum VII. confictam. Denique Latinorum Chriſma ex oleo tantum, & balſamo conſtat. Græci triginta quinque alias aromatum ſpecies addunt: quod ex eorum Euchologiis liquet. Quantum ad formam, Latini primum circa ſæculum VIII., quo ſæculo antiquus Ordo Romanus fortaſſe ſcriptus eſt, videntur uſurpaſſe verba illa indicativa *Signo te*, *Confirmo te*; ſed non ubique ante ſæc. XII.: quod ex Amalario, Alcuino, & Pontificalibus manifeſtum eſt. De Forma Græcorum non idem omnibus. V. Arcudium, Goarium, Sambovium, Natalem Alexandrum, Jueninum *q.* 3. *cap.* 2.

Confirmationis ordinarius miniſter eſt Epiſcopus. Non utar in hanc ſententiam Euſebii P. epiſtola apud Gratianum *diſt.* 5. *de Conſecr. can.* 4.; namque ea certe *νοθίαν* olet. Luculentiſſima proſtant rei, quæ agitur, teſtimonia Innocentii I. *ad Decent. cap.* 3., Gregorii M. *lib.* 3. *ep.* 9. *ad Januar.*, & Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *de Confirm. can.* 3. Quæ Hæretici objectant, egregie præter cæteros expendit, ac rejicit Juenin. *diſſ.* 3. *de Confirm. q.* 5. *art.* 2. Presbyter etiam quandoque in Occidente extra ordinem confirmavit, & confirmat adhuc extra ordinem in Oriente. Nullibi apud Latinos Presbyteri ante Gregorium M. confirmaverant: primum in Sardinia ex indulgentia Gregorii extra ordinem confirmarunt. S. Gregor. *lib.* 3. *ep.* 26. Sed ante ſæculum IX. ubique apud Latinos confirmare deſierunt; namque eo ſæculo ſub Nicolao I. Latinis vitio datum a Græcis, quod

Digitized by Google

confirmare per eos Presbyteris non liceret: quod haud negarunt Latini. Flodoardus *lib. 3. Hiſt. Rhem. cap. 7.*, Ratramnus *lib. 4. contra oppoſita Græcor. c. 7.* Num ab eo ſæc. ad hunc diem Presbyteri unquam cum Romani Pontificis venia confirmarint, omnino non liquet. Presbyteris apud Græcos ætate Chryſoſtomi non dum factam confirmandi copiam, ipſe Chryſoſtomus non obſcure tradit *Hom. 18. in Act.*: verum eos ante Photianum ſchiſma, quod incidit in ſæculum VIII., jam cœpiſſe confirmare, encyclica Photii ad Patriarchas Orientis Epiſtola ſupponit. Num Orientales Presbyteri confirmarint, confirmentque per abuſum, nec ne, quæritur. Si quis velit rem hanc recte noſſe adeat Lucæ Holſtenii *Diſſertationem de Miniſtro Confirmationis apud Græcos*, & Juenini *Diſſ. 3. de Confirm. art. 2. §. 3.* Nec confirmaſſe olim, neque nunc confirmare per abuſum, duo maxime monſtrant. Unum eſt, quod in calce Florentini Concilii ſcriptum eſt, inter multas quæſtiones ab Eugenio IV. propoſitas Græcis hanc fuiſſe, *quare Pontifices non inungerent ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, quum hoc Pontificibus ſit datum*: hanc autem, ut & alia Mytylinenſem Epiſcopum *Canonice, legitimeque diſſolviſſe*: quo verbo Græcorum conſuetudinem haud fuiſſe ab Eugenio improbatam, patet. Alterum eſt, a veri ſpecie longiſſime abeſſe, ſi Orientalium Eccleſiarum conſuetudo Romanæ Eccleſiæ non probaretur, paſſuram hanc, tot gentes mori non confirmatas. Obicem unum, qui in Libris Decretalium occurrit, amovebo. Innocentius III. in *cap. 4. de conſuet.* Presbyteros, qui *apud Conſtantinopolim* per abuſum confirmabant, confirmare in poſterum vetat. At vero loquitur Innocentius de Parochis *Latinis*, qui eo tempore Conſtantinopoli erant. In literis ad Lucium, quem ſibi Vicarium conſtituerat in ea urbe, ita legitur in tertia Collectione apud A. Auguſt., *Mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohibeas* &c.; ſed τὸ *Latinis* Raymundus omiſit. V. de hac re Lup. *diſſ. de VIII. Syn. gen. cap. 5.*

Baptizati tantum homines confirmantur; qui enim fieri poteſt, ut adoleſcat, qui nondum eſt natus? Presbyterum quendam nomine Scotum, qui non baptizatis recte poſſe manus imponi docebat, Zacharias P. ſuis ad S. Bonifacium literis damnavit. Ubi Eliberitani Concilii vis ſtetit, iis, qui poſt Baptiſmum flagitioſam vitam vixere, ac tandem in vitæ anguſtiis poſiti Confirmationem petebant, denegatum hoc Sacramentum, ex *can. 39.* ejuſdem Concilii colligit Albaſpinæus, quem Jueninus ſequitur *q. 6. cap. 2.* Olim in utraque Eccleſia jejunos jejunis dediſſe Confirmationem, id probat, quod habent

Eucho-

Euchologia Græcorum, & Sacramentarium D. Gregorii, confirmatis Euchariſtiam continuo datam. Eandem fuiſſe ſæculi XI. ac XII. diſciplinam, teſtes ſunt Gratianus in *Decreto can. 6. de Conſecr. diſt. 5.*, & Petrus Lombardus *tit. de Confirmat.* Sed jam ætate D. Thomæ cœperat obliguere, uti Thomas ipſe teſtatur *3. p. q. 72. art. 12. ad 2.* Eam reſtituere conati ſunt poſteriorum temporum Canones, ejuſque admonendos fideles, inquit Concilii Tridentini Catechiſmus.

Diu Baptiſmum proxime excepit Confirmatio. Tertullian. *de Bapt. cap. 7.*, Synodus Laodicæna *can.* 48. Igitur idem fuit olim utriuſque Sacramenti conferendi tempus, ac locus idem. Hunc morem Græci adhuc ſervant. Jac. Goar *not. ad Rituale p.* 367. Ab eo receſſerunt Latini; ſed quo primum tempore, obſcurum eſt. Quum cœpit rareſcere Baptiſmus adultorum, videtur cœpiſſe Confirmatio a Baptiſmo ſejungi, ac præſtare viſum eſt, baptizatos confirmari, quum quod agerent, intelligere per ætatem licebat, quam infantes, atque omnino expertes rationis.

Ritus, qui Confirmationem præeunt, hi ſunt. Confirmandi offeruntur a Patrinis, quorum in *Sacramentario* Gregorii M., & antiquo *Ordine Romano* habetur mentio. Proprios Confirmationis Patrinos adhibuit Eccleſia, quum Confirmatio dari ſeorſim a Baptiſmo cœpta eſt. Hinc factum, ut apud antiquiores Patres ſoli occurrant Patrini baptizandorum. Sed fere eadem de utroque Patrinorum genere cauta ſunt. Confirmandi frontis ſordes eluere debent, dec denteſque in frontem capillos tondere. Synodus Aquenſis *an.* 1585. Si quis turpe, aut ridiculum, nec dignum Chriſtiano homine nomen gerat, aliud in Confirmationis Sacramento nomen eum adſumere; alicubi mos fuit. S. Carolus in Concil. Mediolanenſi V. Ritus, qui Confirmationem ſequuntur, hi ſunt. Epiſcopus confirmato alapam impingit. Ejus alapæ nulla apud eos mentio, qui ſæculo IX. ac X. de Eccleſiaſticis Officiis ſcripſere. Fortaſſe primus Durantus Mimatenſis Epiſcopus eam memoravit. Ejus myſteria aperit S. Carolus in ſuis *Inſtruct. de Sacram. Confirm. p. 4. Act. Eccl. Mediolanenſ.* Epiſcopus confirmato pacem impertitur, uti eſt in Ordine Romano, & Catechiſmo Concilii Tridentini. Olim pro Chriſmatis reverentia confirmatorum frontes circumligabantur *bandellis*, hoc eſt, vittis lineis, quas uſque ad ſæcul. XII. per dies ſeptem nunquam deponebant. Ordo Roman., & Hugo a S. Victore *lib. 2. de Sacram. p. 7. cap. 7.* Deinde in nonnullis Eccleſiis obtinuit, ut per triduum gererentur. Synodus Senonenſis *an.* 1514. Tandem in pleriſque Eccleſiis vittarum uſus omnino ſublatus eſt, & ſatis viſum, frontes bombyce diligenter abſtergeri.

TI-

Digitized by Google

TITULUS IV.

DE EUCHARISTIA.

QUod Græcis *Euchariſtia*, Latinis eſt *gratiarum actio*: factumque nomen ex eo, quod ab Evangeliſtis memoriæ proditum eſt, Chriſtum, quum hoc Sacramentum inſtituit, Deo gratias egiſſe. *Communionis* nomine, quo appellari paſſim ſolet, duo ſignificantur, fidelium communio cum Chriſto, & vinculum caritatis, quo fideles de communi cibo participantes arctiſſime continentur inter ſe. Eſt ſignum ſenſibile Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini. Materia eſt panis triticeus, & vinum de vite. Eugen. in *Decret.* Latini azymo pane, Græci utuntur fermentato. Latinæ Eccleſiæ conſuetudinem ſequuntur Maronitæ, atque Armenii. Sed quo proprie tempore de cæterorum Orientalium more deſciverint, definiri omnino non poteſt. Bona *rer. liturg. cap.* 23. Num Latini azymo ſemper uſi ſint, quæritur. Nichetes Archiepiſcopus Nicomedæ *Dial.* 3. *Spicilegii tom.* 13. *p.* 233. tradidit, Melchiadem, ac Siricium Pontifices fermentum inſtituiſſe apud Latinos. Halenſis, D. Thomæ, Scoti, aliorumque nonnullorum Scholaſticorum opinio eſt, Græcos pariter, ac Latinos azymo uſos uſque ad hæreſim Ebionitarum, quæ *an. Chr.* 74. erupit: ubi vero Ebionitæ antiqua legalia ſimul cum Evangelio ſervanda eſſe contendentes adhibere azymum cœperunt, Latinos & Græcos, ne imitari hæreticos viderentur, fermentum inſtituiſſe: tandem ea hæreſi extincta Latinos ad azymum rediiſſe: Græcos in fermenti uſu perſtitiſſe. Sirmondus *Diſquiſ. de Azymo* docet, fermenti uſum a Chriſto ad ſæc. IX. in Latina Eccleſia ſtetiſſe: tum eo tempore, quod medium inter Photianum Schiſma, & Michaelem Cerularium decurrit, puta inter *an.* circiter 886., & *an.* 1053. uſum azymi in Latinam Eccleſiam invectum. Late contra Sirmondum diſputant Lupus *tom.* 4. *Schol. diſſert. de actis Leonis IX. cap.* 7., & Mabillonius *præfat. ad ſæc. III. Benedict.*, & *diſſert. de Azymo*, & *Fermentato*, atque ab ipſis Eccleſiæ primordiis Latinos azymo pane celebraſſe myſteria opinantur. Poſtremo acerrimi judicii vir Cardinalis Bona *loc. cit.* multis contendit, Latinos per novem, aut octo ſaltem Eccleſiæ ſæcula nullum poſuiſſe diſcrimen inter azymum, & fermentatum, atque alicubi azymum, alicubi fermentatum etiam adhibuiſſe. Res hæc tranſigi paucis non poteſt: dicam tamen de ea pro inſtituto meo nonnulla. Quod de Melchiade, ac Siricio inquit primæ opinionis Auctor, eſt id quidem

Digitized by Google

dem in *Pontificali* Damaſi de iis Pontificibus traditum; at ſubleſtam eſſe ejus libri fidem, Critici ſat norunt. Quod occaſione hæreſis Ebionitarum factum affirmant ſecundæ opinionis Auctores, id eorum, qui per X. priora ſæcula ſcripſerunt, ſilentio refutatur. Sirmondo graviter obſtat Rabanus Maurus qui *an.* 856. obiit *lib.* 1. *de inſtit. Cleric. cap.* 31., *Panem infermentatum ſanctificare oportet*: itemque Leo IX., qui ſub initium ſæc. XI. Pontificatum gerebat, *ep.* 1. adverſus Cerularium, & Leonem Acridæ Antiſtitem. *Ecce jam poſt mille ac ferme viginti a morte Salvatoris noſtri annos incipit per vos doceri Romana Eccleſia, qualiter memoria ejuſdem ſit recolenda*. Novitatis accuſabant Græci ſchiſmatici Latinam Eccleſiam, quod Dominicæ paſſionis memoriam azymis recoleret. Contra Leo IX. vetuſtiſſimum eſſe ſcribit uſum azymorum. Labi quidem poterat Leo in re, quæ facti erat; at quis veriſimile credat, eum ſic turpiter lapſum, ut eſſe antiquiſſimum jactaret, quod tempore inter Photium, ac Cerularium interjecto primum inſtituit Eccleſia Latina? Scriptorem Rabano Mauro antiquiorem laudo neminem, quod nemo ſit, qui recte in eam rem laudari queat, uti a Cardinali Bona demonſtratum eſt. Satius eſt igitur cum Cardinali Bona ſentire. Et ſane primis Eccleſiæ ſæculis fideles ſibi a perſequutoribus metuentes in cryptas, & privatas domos ſæpe ex improviſo conveniebant ſacra myſteria celebraturi: veriſimile eſt autem, conſecratum plerumque per id tempus fermentatum panem, cujus ſemper copia erat, quum contra azymus præſto eſſe ut plurimum non poſſet. Porro Tertullianus *lib.* 2. *ad uxor. cap.* 5., & Ambroſius *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4. Euchariſticum panem non alium fuiſſe ajunt, quam panem in communi hominum conſuetudine poſitum, qualis certe fermentatus fuit. Multo luculentius idem probatur teſtimonio Innocentii I. *ep. ad Decent. cap.* 5., ubi Euchariſticum panem *fermentum* appellat: quem Innocentii locum præclare in ſuam ſententiam expendit Bona *d. c.* §. 16. Ad hæc quoniam per octo ſaltem priora Eccleſiæ ſæcula omnes prope Latini Patres ſic de Euchariſtico pane loquuntur, ut ne verbo quidem fuiſſe eum aut azymum, aut fermentatum indigitent, id argumento eſt plane maximo, nullam iis ſæculis factam in Eccleſiis Occidentalibus de azymo, ac fermentato legem, & alias azymo, alias fermentato uſas pro diverſa temporum ratione. Hæc de Latinis. At vero Græcos ſemper fermentato uſos, vero proximum videtur. V. Juenin. *art.* 4. §. 4 Quoniam autem azymus panis, & fermentatus re ipſa non differunt, & azymum, & fermentatum rectiſſime conſecrari, non ambigitur: idque diſerte Florentina Synodus definivit. Eſt id ex eo genere rerum, quod *libe-*

liberas habet obſervationes, uti ajebat Auguſtinus *ep.* 118. *ad Januar.*; unicuique tamen eſt propria Eccleſiæ ſuæ conſuetudo ſervanda: quod in laudata Synodo Florentina expreſſum eſt. At vero *an. Chr.* 1053. Michael Cerularius Conſtantinopolitanus Patriarcha duabus Epiſtolis, altera ad Johannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum, altera ad Petrum Patriarcham Antiochenum data, & peccare Latinos, quod azymum conſecrarent, & Latinorum conſecrationem non valere, multis argumentis adſtruere conatus eſt. Sed inſano, atque impio homini magnis animis reſtitere Leo IX: pereleganti Epiſtola, & Cardinalis Humbertus Silvæ candidæ Epiſcopus præclaro Dialogo, cujus exemplar ad calcem Tomi 11. Annalium Baronius deſcripſit. Panem prioribus formidoloſis Eccleſiæ temporibus, cujuſcumque molis, ac figuræ eſſet, conſecrari, factumque in partes tribui inter fideles conſueviſſe, res ipſa docet: tum pace Eccleſiæ data in modum coronæ compactum, Epiphanius in *Ancorato n.* 57., Cæſarius Nazianzeni frater *Dial.* 3. *de Fid. Cath. interrog.* 169., Gregorius M. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 55., & antiquorum picturæ, quæ extant in priſcis Codicibus MSS., ac veterum Eccleſiarum parietibus, oſtendunt. Hinc Severo Alexandrino in *Ordine Miſſæ* hoſtia *circulus* appellatur. Hoſtias primum cruce, ac nomine Jeſu Chriſti, tum aliis characteribus ſignatas, belle tradit Bona *d. c.* §. 18., & 19. De forma panis apud Græcos vide Allatium *lib.* 3. *de conſenſ. Oriental.*, *&* *Occidental. Eccl. cap.* 15. *num.* 18. Vino aliquantulum aquæ admiſcetur: quæ vetus eſt utriuſque Eccleſiæ diſciplina, cujus originem ab ipſo Chriſto Patres repetiere. Tridentin. *ſeſſ.* 22. *cap.* 7. Dixi, *aliquantulum*; namque Eccleſiaſticum præceptum eſt, ut multo plus vini, quam aquæ calici infundatur, *cap.* 13. *de celebr. Miſſ. Eugen. IV. in Decret.*: cujus præcepti rationes multæ ſunt; præcipua vero hæc, quam adferunt Patrum nonnulli; aqua fidelem populum, vino Chriſtum ipſum referri: decere autem, multo apertius Chriſtum referri, quam populum. Formam, qua conſecratur panis, verba hæc eſſe, *Hoc eſt corpus meum*: formam, qua conſecratur Calix, eſſe hæc, *Hic eſt Calix Sanguinis mei novi, & æterni Teſtamenti, myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: quibus iiſdem verbis Chriſtus Euchariſtiam in ultima cœna conſecravit; Patrum, & Conciliorum teſtimoniis docemur, quæ congeſſit Juenninus *q.* 3. *de Euch.* Num in forma, qua conſecratur Calix, priora tantum verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, an ea, etiam, quæ ſequuntur, ad vim Sacramenti pertineant, vetus quæſtio eſt, quæ Scholaſticos exercet, quos adi.

Venio ad Miniſtrum. Euchariſtiæ ratio duplex, aut enim tan-

tanquam Sacramentum, aut tanquam Sacrificium ſpectatur. Et Sacramentum eſſe, & Sacrificium, certa fide apud Catholicos conſtat. Sacrificii Miniſter Euchariſtiam conficit, ſeu conſecrat: Euchariſtiæ, uti eſt Sacramentum, Miniſter etiam eſt, qui eam diſpenſat. Euchariſtiam conficiunt Sacerdotes ſoli. Trident. *ſeſſ.* 22. *can.* 2. Num plures ſimul conficere Euchariſtiam poſſint, a veteribus Scholaſticis diſputatum, eoſque antiquitatis ignoratio transverſos egit. Id olim in Latina Eccleſia factum: fieri id adhuc in Græca, exploratiſſimum eſt: eumque ritum ſedulo enarrat Morinus *de SS. ordin. p.* 3. *exerc.* 8. *cap.* 1. Deſiiſſe eum morem apud Latinos, ſuſpicatur Bona *rer. liturg. lib.* 1. *c.* 18. maxime ex eo, quod conſtitutis, lateque fuſis Ordinibus Mendicantium, ac mire auctis Miſſarum oneribus, Sacerdotes ſingulos ſingulis diebus privatim celebrare opus fuit. Sed veteris tamen conſuetudinis veſtigia in Presbyterorum, atque Epiſcoporum Ordinationibus ſuperſunt apud nos. Euchariſtiam diſpenſant jure ordinario ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes. Spectat huc verbum illud Pauli 1. *ad Corinth.* 4., *Sic nos* (Epiſcopos, & Sacerdotes) *exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, hoc eſt, Sacramentorum, ac præſertim Euchariſtiæ, quæ inter myſteria præcipuum eſt. Quod vero ſolos Epiſcopos, & Parochos jure Ordinario Sacramentorum adminiſtratores eſſe, Tridentina Synodus inquit *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de Ref.*, conſectaneum eſt, non omnibus Presbyteris, ſed iis tantum, qui *proprii* dicuntur, diſpenſandæ Euchariſtiæ ordinarium jus eſſe. Hinc Religioſos, qui ſine ſpeciali Parochorum venia *Clericis, aut laicis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare præſumſerint*, ipſo jure excommunicatos, nec niſi a Summo Pontifice abſolvendos pronunciat *Clementina* 2. *de privileg.* Sed poſtquam in Eccleſiis Religioſorum, aliisve Sacellis publice celebrari Miſſæ cœperunt, inductum eſt, ut vel ſine ſpeciali Parochorum venia Religioſi, & Presbyteri omnes darent Communionem, quæ quodammodo Sacrificii pars eſt: ſicque ad ſolam Paſchalem Communionem, & Viaticum jus Parochorum redactum eſt. Extra ordinem Diaconi in utraq; Eccleſia diſpenſatores Euchariſtiæ fuerunt: & in Latina quidem ſi neceſſitas urgeret, atque abeſſet Presbyter, aut juberet, uti Auctor *Conſt. lib.* 8. *cap.* 28., & Concil. Carth. IV. *can.* 38.; in Græca autem præſente etiam Presbytero, & ſpecialiter non jubente; id enim ei licebat ex generali mandato: quod paſſim colligunt ex *can.* 18. Nicæni I. Inter Corpus, & Sanguinem Chriſti ab antiquis Canonibus non diſtingui, advertit Jueninus *q.* 5. *cap.* 2. *art.* 1.: tum D. Thomæ teſtimonium laudans ex 3. *p. q.* 82. *art.* 3. monet, ſæc. XIII. apud Occidentales invaluiſſe, ut, quum de ſolo ageretur Corpore,

neceſſitatis, & abſentiæ, aut juſſus Presbyteri ratio haberetur: At obſtare videtur Juenino *can.* 38. Concilii Carthaginenſis IV., *Ut Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*: itemque *can.* 15. Arelatenſis II., *Diaconus Corpus Chriſti præſente Presbytero tradere non præſumat*. Certe Sanguinis Chriſti diſpenſatio magis proprie ad Diaconos ſpectabat; unde Cyprianus *lib. de lapſis*, *Ubi vero*, ait, *ſolennibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit*. Laudati Canones abrogati non ſunt. Olim Minores quoque Clerici, & vero etiam laici, ſi quando Presbyteri, ac Diaconi copia non eſſet, & aut perſequutio deſæviret, aut ſumma alia urgeret cauſſa, Euchariſtiam dedere, quod ex Martyrologiis Bedæ, Adonis, Uſuardi, ubi de S. Tharſicio Acolytho agitur, & Euſebio *lib.* 6. *hiſt. c.* 44., compertum eſt. Quin prioribus formidoloſis Eccleſiæ temporibus mos fuit, ut laici conſecratum panem in ſuas ipſi domos deferrent, eoque ſingulis diebus clam ſumto ſe ſe inſtruerent contra Tyrannos: cujus moris teſtem do Tertullianum *lib.* 2. *ad uxor. cap.* 5.

Nunc de iis, qui ſuſcipere Euchariſtiam poſſunt. *Parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem*, Tridentina Synodus docet *ſeſſ.* 21. *cap.* 4.; haud tamen eſſe damnandam *antiquitatem* (quod heterodoxorum nonnulli faciebant) *ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit*; *ut enim* (addit) *ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſſam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate feciſſe, ſine controverſia credendum eſt*. Et Latinos quidem ad XI. uſque ſæculum infantibus baptizatis, confirmatiſque Euchariſtiam dediſſe, habes apud Cyprianum *lib. de lapſis*, Auguſtinum *ep.* 23. *ad Bonifac.*, & *lib.* 1. *de peccator. merit. cap.* 20., & *ſerm.* 8. *de verbis Apoſt.*, Innocentium P. *ad PP. Conc. Milev. ep.* 93. inter Epiſtolas Auguſtini (*a*), Gregorium M. in *Sacramen. tit. de Sabbat. ſanct.*, antiquum Ordinem Romanum, Auctorem *lib. de Officiis* Carolo M. æqualem, quem dicunt Alcuinum, *cap. de Sabbat. ſanct.*, Hugonem a S. Victore, qui obiiſſe perhibetur circa

(a) *Auguſtini, & Innocentii P. loca, quibus id non obſcure videtur tradi, Euchariſtiam vel ipſis infantibus neceſſariam eſſe ad ſalutem, Theologorum Catholicorum exercent ingenia, quod deſcriptæ Tridentinorum Patrum ſententiæ adverſentur. Sed diſſentientes in ſpeciem Eccleſiæ Patres perbelle componit doctiſſimus Cardinalis* Bona *rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 19., *quem per ſummam invidiam ridet* Binghamus *Orig. lib.* 15. *cap.* 4. §. 7.

Digitized by Google

circa *an.* 1046. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 20., & Radulphum Ardentem ſæculi XI. ſcriptorem *ſerm. in die Paſchæ de Euchariſtiæ neceſſitate*. Sed deſinere jam cœpiſſe ævo ſuo veterem morem, Hugo tradit. Idem ab antiquiſſimis temporibus obtinuiſſe, & nunc quoque obtinere apud Græcos, Auctor Conſt. *lib.* 8. *c.* 12., & 13., Auctor *lib. de Eccl. Hierarch. c.* 5. §. 11., & omnia eorum Euchologia commonſtrant. Adi Arcudium *lib.* 3. *de Sacram. Euch. cap.* 11. Nec ſolum infantes mox quum fuerant baptizati, ſed & omnes innocentes pueri quum in Oriente, & maxime Conſtantinopoli, tum in Occidente, & maxime in Gallia Euchariſtiæ participes facti, ſi quando multæ ſupereſſent particulæ Corporis Chriſti. Gregor. Turon. *lib.* 1. *de gloria Martyr. cap.* 10., Evagr. *lib.* 4. *Hiſt. Eccl. cap.* 35. Nicephor. Calliſt. *lib.* 17. *cap.* 25., & Concil. Matiſconenſe II. *can.* 6. Id primum Patres Concilii Turonenſis III. *cap.* 19. ne *indiſcrete* fieret, vetuere: deinde Odo Pariſienſis Epiſcopus, qui floruit ſæc. XII., vetuit omnino in Statutis Synodalibus *cap.* 39. *Communium præceptorum*. *Amentibus, quæcumque ſunt pietatis, conferenda*, Arauſicani Patres ajunt *can.* 18. Idem quoque habes in Concilio Carthagin. IV. *can.* 76. Si igitur ſalva Sacramenti reverentia dari Euchariſtia poterat, amentibus vita periclitantibus non denegabatur. At jamdiu ita fert conſuetudo, ut quos ratio prorſus deſtituit, iis Euchariſtia non detur. Reis capite damnatis denegatam per quatuor priora Eccleſiæ ſæcula Euchariſtiam, probari hoc argumento poteſt, quod per idem tempus graviorum quorundam ſcelerum rei ne ipſa quidem Sacramentali abſolutione donarentur, ſi eam in extremis anguſtiis poſiti repoſcerent: qua de re inferius. Ab antiqua ſeveritate diſceſſerunt Itali, ac Germani: at Hiſpani tamen, & Galli reis ultimo ſupplicio damnatis negant adhuc Communionem: qua de re Jueninus *q.* 6. *cap.* 4. Olim quum in Orientali, tum in Occidentali Eccleſia Euchariſtiam Energumenis negatam, id argumento eſt, quod ii in utraque Eccleſia Sacrificio intereſſe prohiberentur. V. *can. Apoſtolicum* 78., *cap.* 7. *lib.* 8. *Conſt.*, Chryſoſt. *Hom.* 3. *de incomprenſibili natura Dei*, Auctorem *lib. de Eccl. Hierarch. cap.* 3., & Concilium Eliberit. *can.* 28., & 29. Ea tantum ſpecies excipiebatur, ſi vita periclitarentur. Conc. Elib. *can.* 37. At ſæc. V. cœpit alicubi in Occidente Energumenis Euchariſtia dari, etiamſi nullum eſſet vitæ periculum, dum tamen *de purgatione ſua curarent, & ſe traderent ſolicitudini Clericorum*, de qua dictum *lib.* 1., *monitiſque obtemperarent*, quæ verba ſunt Concilii Arauſicani I. *can.* 14. Eandem diſciplinam Orientales etiam nonnulli ſervarunt; ſed erat tamen ea in Oriente præter Canones, uti intelligere eſt ex Caſſiano *collat.* 7. *cap.* 29., & 30. Tandem

Digitized by Google

ævo D. Thomæ Energumeni eodem cum amentibus jure cenſiti ſunt in Occidente: ſicque ad Communionem admiſſi, ſi quando rationis compotes fierent. Conſtat id ex D. Thoma 3. *p. q.* 80. *art.* 9. Mortui ſuſcipere Euchariſtiam non poſſunt, qui enim fieri poteſt, ut *accipiat*, *& comedat* ſecundum Chriſti verbum, qui mortuus eſt? Aliquando in Eccleſias nonnullas Africanas, Gallicas, & Græcas pia ſimplicitas morem invexit dandæ mortuis Euchariſtiæ, quumprimis pœnitentibus, qui non ſumta ea deceſſerant: quod ita illi reconciliari Eccleſiæ viderentur. Verum id fieri vetitum *can.* 6. Concilii Carth. III., *can.* 12. Antiſſiodorenſis, & *can.* 83. Trullani. Alius porro uſus apud Græcos, ac Latinos olim invaluit, nempe conſepeliendæ cum mortuis Euchariſtiæ: quod a D. Baſilio, ac D. Benedicto re ipſa probatum, narrant *vitæ Baſilii* Scriptor, quem faciunt Amphilochium, & Gregor. M. *lib.* 2. *Dial.* 24. Idem eſt apud Amalarium *de Div. Off. lib.* 4. *cap.* 42. In *vita* etiam *S. Othmari lib.* 2. *c.* 3. apud Surium *die* 16. *Novembr.* multas *panis rotulas*, *quæ vulgo oblatæ dicuntur*, cum corpore S. Othmari reconditas, ſcriptum eſt. Denique hoc idem ſuo tempore paſſim factum, teſtatur Balſamon in *d. can.* 83. Trullani. Amphilochii, Gregorii, atque Amalarii auctoritas, & hoc plus diutinus, ac late patens ejus rei uſus facit, ne adſentiar iis, qui id præter Canones, ac per ſuperſtitionem factum contendunt. Potuit id in eum finem induci, ut ita ſuperſtitioſo gentium ritui, quæ defunctorum ori obolum Charonti pendendum imponebant, caſtus ritus opponeretur. Sed id Eccleſia præcipuum habuit, ut Euchariſtia pectori defunctorum impoſita conſuleretur quieti cadaverum, quæ, quod extra Eccleſiam conderentur, non raro ab immundis ſpiritibus vexabantur: quæ conjectura eſt Balſamonis, quam mire confirmat Gregorius M. *loc. cit.*, ubi Monachi cujuſdam corpus pectori impoſita Euchariſtia recondi juſſiſſe D. Benedictum inquit, quod illud terra defoſſum bis projeciſſet. Sed cadaveribus ſepeliri intra Eccleſiam cœptis, deſuevit tandem is ritus.

Reliqua ad Euchariſtiam ſpectantia, uti Sacramentum, atque uti Sacrificium eſt, perſequamur. Multa Euchariſtiæ, uti Sacramentum eſt, nomina dedi initio hujus tituli: nunc ajo, multa etiam ejus pro ratione Sacrificii nomina eſſe; nam *Collecta*, *Dominicum*, *Agenda*, *Communio*, *Oblatio*, & *Miſſa* a Latinis: a Græcis autem *Liturgia*, *Myſtagogia*, *Synaxis*, *Telete*, *Anaphora*, *Proſphora*, & *Oeconomia* nuncupatur. *Collecta* nomen late ſumtum quemlibet ſolennem fidelium conventum deſignat apud Hieronym. *in Epitaph. Paulæ*: paſſim apud Eccleſiaſticos Scriptores Sacrificium eſt, quod maxime Sacrificii cauſſa in unum colligantur fideles. *Dominicum* Latinis eſt & domus Domini,

ubi

ubi Sacrificium celebratur, & Sacrificium ipſum; quod inter Divina, quæ in Eccleſia peraguntur, Officia, id maximum & præcipuum eſt ex ipſius Domini inſtitutione. *Agenda* femin. gen., ac ſing. num., uti rectiſſime Bona *rer. liturg. lib.* 1. *cap.* 3. ab *agendo*: eaque vox eſt ab Eccleſiaſticis auctoribus procuſa imitatione profanorum, quibus *facere* interdum eſt *ſacrificare*. *Communionis* nomine plerumque Sacramentum Euchariſtiæ, quandoque etiam ipſum Sacrificium ſignificatur, quo fideles Corporis, ac Sanguinis Chriſti participes fiunt. Damaſcen. *lib.* 4. *de Fid. orthod. cap.* 14. *Oblatio* ab *offerendo*, quod ſæpe in libris Patrum perinde eſt ac ſacrificare, quod eſt hoſtiam offerre. Uſitatiſſimum eſt nomen *Miſſa*, quod non Hebraicum, aut Græcum, aliusve idiomatis, ſed omnino Latinum eſſe, multis docet Bona *cap.* 1. a *mittendo*; ſed num a mittendis, ſeu transmittendis per Sacerdotem populi precibus, atque oblationibus ad Deum, an a mittendo, ſeu dimittendo populo ea formula, quam Diaconus recitabat, *Ite, miſſa eſt*, non liquet. Poſterior explicatio vero propior eſt. Primum Catechumeni, tum fidelis populus univerſus ſolenni formula dimittebatur: unde apud Eccleſiaſticos *Miſſa Catechumenorum*, & *Miſſa Fidelium*. *Liturgia* latine redditur publicum miniſterium: *Myſtagogia* arcana actio. Quod patebat fidelibus, paganos, Catechumenos, ac Pœnitentes latebat: *Synaxis* proprie eſt fidelium cum Deo conjunctio, & communio: *Telete* initiatio, conſecratio, perfectio: *Anaphora* elevatio, ſeu ſurſum elatio, & Heſychio interprete ſupplicatio: *Proſphora* oblatio: *Oeconomia* autem provida rei adminiſtratio: quæ quum in omnibus Dei operibus, tum maxime in myſterio Incarnationis, & inſtitutione Euchariſtiæ elucet: quæ cauſſa eſt, cur Patres de utroque hoc Divino opere differentes eam vocem perſæpe uſurpent. Sunt alia Latinorum, Græcorumque vocabula, quibus Sacrificium hoc ſignificatur. Ea congerunt, atque enarrant Vicecomes, Dartis, Raynaudus, aliique. Id Sacramento, & Sacrificio commune eſt, ut non communicent niſi omnino jejuni. Nullum quidem extat de hac re Divinum præceptum: quin Chriſtum Apoſtolis ſuis jam cœnatis Euchariſtiam dediſſe, ſcriptum eſt apud Evangeliſtas; at quum ita ferat vetus univerſæ Eccleſiæ conſuetudo, cujus initium ignoratur, ab Apoſtolico præcepto repetenda eſt ex protrita Auguſtini regula in *ep.* 118. *ad Januar.*: quumque Paulus 1. *ad Cor.* 11. *v.* 34. de iis agens, qui Euchariſtiam cum profanis cibis miſcebant, dixerit, *Cætera, quum venero, diſponam*, hinc conficit *loc. cit.* Auguſtinus, primum Apoſtolos de hoc jejunio legem juſſiſſe. Neque contrarium Chriſti factum Apoſtolos quidquam commovit; namque is triginta annos natus baptizatus

eſt;

Digitized by Google

eſt ; nemo autem licere ſibi dicet , Baptiſmum ad id tempus differre. Multa Chriſtus fecit, ut poſtulare temporum, & locorum rationes videbantur, quorum ut æquius melius conſtituendorum poteſtatem Apoſtolis conceſſit: quod argumentum perſequuntur Cyprianus *ep.* 63., & Auguſtinus *ibid.* Quod de antiquis Eremitis D.Bernardus memoriæ prodidit *de Paſſione Domini cap.* 42., eos quandoque jam pranſos Miſſarum ſolennia celebraſſe; id piæ eorum ſimplicitati tribuendum: quodque Concilium Carth. III. *can.* 29. ait, licere feria 5. in Cœna Domini Sacramenta altaris a non jejunis celebrari; id *fortaſſe ob aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles* relaxato jure communi a Patribus Carthaginenſibus cautum; uti loquuntur Patres Concilii VI. in Trullo *can.* 29., ut proinde trahi in exemplum non poſſit. Et in Alexandrinis quidem, Africanis, aliiſque Eccleſiis more receptum, ut feria 5. poſt epulum celebraretur, narrant Auguſtinus *ep.* 118. *ad Januar.*, & Sozomenus *lib.* 7. *c.* 19. Sed *in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a jure vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo*; uti Conſtantienſe Concilium loquitur *ſeſſ.* 13., jejunium remittitur. Hæc late propoſita vide in Miſſali Romano, & in libris Theologorum. Hoc Sacramentum, & Sacrificium diſtant, quod qui Euchariſtiam conficiunt, eam illi ſub duplici ſpecie panis & vini ſumunt: alii ſub ſola ſpecie panis. At ab Eccleſiæ primordiis ad ſæculum XII. fideles etiam laicos in publicis conventibus ſub utraque ſpecie communicaſſe, probant Paulus Apoſtolus 1. *ad Cor.* 11., Juſtinus Martyr *Apolog.* 2., Cyprianus *lib. de lapſ.*, Cyrillus *Catech.* 5., Chryſoſtomus *Hom.* 83. *in Matth.*, & *ſerm.* 1. *de jejunio*, Leo I. *ſerm.* 4. *in Quadrag.*, Gelaſius I. apud Gratian. *can.* 12. *de conſecr. diſt.* 2., Ordo Romanus *tit. qualiter celebr. ſit Officium Miſſæ*, & D.Thomas 3. *p. q.* 86. *art.* 12., ex quo loco, habes vel poſt ſæc. XII. non ubique in Occidente veterem morem deſiiſſe: in Oriente tamen ſtat adhuc. Id autem Eccleſia ratum ſemper habuit, nullum extare præceptum Divinum, quo laici, & Clerici non ſacrificantes utramque ſpeciem ſumere compellantur. Id ut probent Jueninus, aliique multi, hoc maxime utuntur argumento, infantibus recens baptizatis diu Latinos Euchariſtiam ſub ſola ſanguinis ſpecie adminiſtraſſe, & adminiſtrare adhuc Græcos. At vero quod de Latinis ajunt, id perpetuum non fuit; Cyprianus enim *de lapſis p.* 90. *edit. Amſtelod.* non obſcure ſupponit, datum infantibus *cibum, & poculum Domini*: at Ordo tamen Romanus ſolum meminit *Corpus Chriſti*; ac præterea Jobius Monachus ſæculi VI. ſcriptor *de Verbi incarnatione lib.* 3. *cap.* 18. *ſolum Chriſti ſanguinem pretioſum*: unde facile eſt intelligere, aliquando vinum ſolum, aliquando panem ſolum, aliquando etiam

utrum-

utrumque infantibus oblatum: quod nullum fuiſſe de utraque ſpecie Divinum præceptum evincit. Porro panis particulas, quæ ſupererant, inter innocentes pueros diviſas, ex Gregorio Turonenſi, Evagrio, & Nicephoro exploratum eſt. Ad hæc infirmi ſub ſola panis ſpecie ut plurimum communicabant, uti Serapionem, & S. Ambroſium jam agentes animam communicaſſe, tradunt Dionyſius Alexandrin. *ep. ad Fab. Antiochen.* apud Euſeb. *lib.* 6. *c.* 44., & Paulinus in *vita Ambroſii*. Et ſane ſervari Euchariſtiam ad infirmorum communionem, vetus eſt Eccleſiæ diſciplina; at de pane tantum ſervando Canones loquuntur, nam facile corrumpitur vinum: quod ex modis ſervandæ pro communione infirmorum Euchariſtiæ luculenter apparet; aut enim capſula incluſa ſervabatur in Secretario, Altarive ſive Principali, ſive Speciali, de quo Durandus *Rational. lib.* 1. *cap.* 2., aut vaſculo ſive in turris, ſive in columbæ ſpeciem elaborato pone majus altare ad ſummum Baſilicæ parietem ſuſpenſo non ſuppoſita ara. Gregor. Turonenſ. *lib.* 1. *Miraculor. c.* 86., Synodus Conſtantinop. ſub Menna *an.* 536. *act.* 5. V. Mabillon. *Comm. ad Ordin. Rom. p.* 139. Calicis, quum de hac re agitur, nuſquam mentio in Eccleſiaſticis monumentis. Quod ſi vero ſtatim poſt Miſſam deferri ad infirmos viaticum (a) deberet, quod interdum contingebat, tum eos ſub utraque ſpecie communicaſſe, non ambigitur. S. Exuperium Toloſanum Epiſcopum *Corpus Domini in caniſtro vimineo, ſanguinem in vitro* ad infirmos deferre ſolitum, Hieronymus ſcribit *ad Ruſticum*: & MS. Codex S. Remigii apud Menardum *not. ad Sacrament. S. Gregor. p.* 380., ubi de communione infirmorum agit, utramque formulam habet, & eam, qua Corpus, & eam, qua Sanguis adminiſtratur. Denique veteres Chriſtianos ſolas panis particulas intra domeſti-

(a) *Viaticum apud antiquos Scriptores Eccleſiaſticos erat quicquid ſive pœnitentes, ſive catechumenos ex hac mortali vita ad immortalem diſcedentes munire poſſet: unde eo nomine non Euchariſtia ſolum, ſed & Baptiſmus, Confirmatio, Abſolutio, & extrema Unctio comprehendebantur, uti rectiſſime Albaſpinæus lib.* 1. *Obſ. cap.* 1. *Huc pertinet Nicænus Canon* 13., Si quis egreditur e corpore, ultimo, & maxime neceſſario viatico minime privetur: *quo loco* ultimum, & maxime neceſſarium viaticum *pœnitentis reconciliatio, ſeu abſolutio eſt, non Euchariſtia; namque hanc morituris dari ſine examine Epiſcopi non debere, ſubdit Canon: quum contra abſente etiam Epiſcopo, ſi neceſſitas urgeret, moriturum reconciliari per Presbyterum jus eſſet. Conc. Carth. III. cap.* 32. *Nunc ejus vocabuli notio anguſtior eſt.*

meſticos parietes adſervaſſe, quo extra tempus ſacrificii, quod offerri per perſequutores raro licebat, quotidie poſſent communicare, quum ex eo patet, quod Patres ſolius Corporis Chriſti meminere, & nominatim Tertullianus *lib. 2. ad uxor.*, tum ex eo, quod vinum facile corrumpebatur. In ipſis etiam publicis conventibus diu fideles in Occidente ſub ſola panis ſpecie communicaſſe die Paraſceves, Ordo Romanus tradit.

Initio fideles ſuæ quemque domi quotidie communicaſſe, jam dixi. Saltem frequentiſſime id feciſſe eos, oſtendit illud Lucæ *act.* 2. de primis Chriſtianis, *Erant perſeverantes in communione, fractionibus panis*, &c., quod de Euchariſtica Communione Patres interpretantur. Omnes, qui ſacris Myſteriis intererant, communicare oportebat. Juſtin. *Apol.* 2., Auctor *Conſt. lib.* 8. *c.* 20., Auctor *lib. de Eccl. Hierarch. cap.* 3. Quin ſua etiam ætate quotidianæ communionis uſum Romæ obtinuiſſe, teſtis eſt Hieronymus *ep.* 5. *ad Pammach.*, quod ſe nec reprehendere addit, nec probare. Auguſtinus autem varium de ea re in Africa jus fuiſſe, docet *ep.* 52. *ult. edit.*: unde habes, in nonnullis ſaltem Occidentalibus Eccleſiis quotidianam Communionem ad ſæc. V. ſtetiſſe. Tum defervescente fidelium caritate impoſita eſt eis per Canones neceſſitas communicandi certis ſolennioribus diebus. Synodus Agathenſis ſæculo VI. habita, *Sæculares*, inquit *can.* 18., *qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Eodem ſpectat illud Synodi Turonenſis III. ſæculo IX. habitæ *can.* 50., *Si non frequentius, vel ter laici homines communicent*. Falſo Gratianus Canonem Agathenſem Concilio Eliberitano, ac Turonenſem Fabiano Papæ affingit *de conſecr. diſt.* 2. *can.* 19., & 21.; nam multo poſt Eliberitani Concilii, ac Fabiani tempora diſciplina iis Canonibus comprehenſa in Eccleſiam inlata eſt. Sed moribus Chriſtianorum in pejus ruentibus, Concilium Lateranenſe in *cap.* 12. *de pænit. & remiſſ.* cavit ad hunc modum, *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pænitentiam propriis viribus ſtudeat implere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Confirmavit hanc diſciplinam Synodus Tridentina *ſeſſ.* 13. *can.* 9. *de Euchariſt.* Quod autem Canon ait *ad minus in Paſcha*, id de hebdomada Sancta, & Octava Paſchatis accipi ex Concilii ſententia debere pronunciavit.

vit Eugenius IV. in Bulla, *Fidè digna* 20. in *Bull. Rom.*

Communicabant primum Epiſcopi, tum Presbyteri, poſt hos Diaconi, & ceteri inferiores Clerici, ac Monachi: ex feminis autem Diaconiſſæ, Virgines, Viduæ: dein pueri, ac demum reliquus populus, & viri primum, deinde mulieres. Auctor *Conſt. lib.* 8. *c.* 13. Eodem ordine Calix dabatur; ſed Presbyteri tamen ipſi eum ſumebant per ſe, Diaconi a Presbyteris, a Diaconis alii: quod Ordo Romanus, & Euchologia Græcorum commonſtrant. Porro licet olim Communicantes nullo diſcrimine ad ſacram menſam acceſſiſſent, uti ex Epiſtolis Dionyſii Alexandrini Valeſius adſtruit in Euſeb. *lib.* 7. *c.* 9.; tamen proceſſu temporis cœperunt locis diſtingui inter ſe. Hiſpanicarum Eccleſiarum diſciplinam dat *can.* 17. Concil. Tolet. IV., *Sacerdos, & Levita ante altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*: quod vetus jus fuit, cujus teſtes Bracarenſis Concilii Patres *can.* 31. Eandem in Africa diſciplinam obtinuiſſe, auctor eſt Auguſtinus *ſerm.* 392. novæ edit., qui idem ſolis Neophytis ad altare aditum patuiſſe, ſcribit *ſerm.* 224. Neque alio jure uſam Mediolanenſem Eccleſiam, probatur facto D. Ambroſii, de quo mox. Denique Græcos eandem diſciplinam arripuiſſe, docent Laodicænus *can.* 19., & Trullanus 69., quo *can.* id etiam comprehenſum eſt, ex *antiquiſsima traditione* datum intra Chorum Imperatori locum. At D. Ambroſius tamen Theodoſium de more Græcanico locum ſibi intra Sanctuarium tribuentem Sanctuario prohibuit.

Communicaturi lotis manibus & facie accedebant. Chryſoſt. *Hom.* 52. *in Matth.*, *& Hom.* 315. *in ep. ad Epheſ.* Non flexis genibus, uti nunc, ſed ſtantes communicabant prono tamen capite, ac demiſſis oculis. Hanc fuiſſe, & vero etiam eſſe Græcorum diſciplinam, ex Cyrillo *Catech.* 5., Chryſoſt. *orat. in encænia*, & Ritualibus conſtat. Idem de antiquis Latinis non audet affirmare Card. Bona *rer. liturg. lib.* 2. *cap.* 17. §. 8.: id tantum monet, etiam hodie in Miſſa ſolenni Romani Pontificis Diaconum ſtantem communicare, omnino ex veteri ritu. Multis hoc argumentum perſequuntur Valeſius ad Euſeb. *lib.* 7. *cap.* 9., & Joh. Therſius in Gallica *Diſſert. de Altaribus*. Euchariſtiam manu in navis formam compoſita excipiebant. Cyprianus *lib. de lapſ.*, Baſilius *ep. ad Cæſariam Patriciam*, Chryſoſt. *Hom.* 21. *ad Pop. Antioch.*, Auguſt. *lib.* 2. *contra literas Petiliani*, Theodoret. *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 17. Initio nullum fuit ſuper hac re diſcrimen inter viros & mulieres. Primum exeunte ſæculo VI. vetitum, ne mulieres nuda manu Euchariſtiam exciperent, uti ex *can.*

 36. Conc.

36. Concilii Antiſſiodorenſis in Gallia *an.* 590. (*a*). Sunt qui novam hanc diſciplinam jam ævo Auguſtini ſtetiſſe, tradunt ex Auguſtini *ſerm.* 252. *de temp.* Verum hunc Sermonem Auguſtino abjudicant Critici. V. N. Alexandr. *in ſæc. V. de Pſeudepigraphis S. Aug. Operibus tomi X.* §. 9. Græcos multo diutius veterem conſuetudinem retinuiſſe, docet Trullanus *Canon* 101. Porro vetus mos Euchariſtiæ manu excipiendæ non uno tempore deſiit ubique: & valde probatur mihi conjectura Cardinalis Bonæ *rer. liturg. lib.* 2. *c.* 17. §. 7., tunc primum cœpiſſe in Occidente ore accipi Corpus Chriſti, quum primum tenuiſſima cœpit eſſe panis forma, puta ſæculo XII., aut XIII., quod eſſet jure metuendum, ne facile de manu in terram delaberetur. Quod facit ad Sanguinem Chriſti, eum aut calamo ſugebant, aut de ipſo Calice ori admoto ebibebant: tum inductum eſt, ut Corpus Sanguine intinctum porrigeretur. Tertium hunc ſumendi Sanguinis modum rejecit Concilium Bracarenſe III. *can.* 1.: admiſit autem Turonenſe apud Burchardum *lib.* 5. *cap.* 9. & ſæculo XII. paſſim adhibitum, & a doctiſſimis, ac pientiſſimis quibuſque viris argumento ducto ex effuſionis periculo probatum, liquet ex Ernulfo Roffenſi Epiſcopo *ep. ad Zambertum tom.* 2. *Spicileg.*, Ivone *de Div. Off.*, aliiſque. V. Martene *de antiqu. Eccl. rit. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 10. §. 13.

Jam vero ab ipſis Eccleſiæ primordiis Euchariſtia cum certa ac ſolenni verborum formula populo tradita eſt, uti nunc traditur. Auctor *Conſt. lib.* 8. *c.* 13., Ambroſ. *de Sacram. lib.* 4. *c.* 5. Ante tempora Gregorii M. formula erat, *Corpus Chriſti*, *Sanguis Chriſti*, uti ex Auctore *Conſt.*, & Ambroſio: ætate Gregorii hæc, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam*

(a) *Huc referunt Baronius, Binius, Bona, aliique ſatis multi alterum ejuſdem Concilii Canonem, puta, 42. in hæc verba:* Unaquæque mulier, quando communicat, dominicale ſuum habeat. Quod ſi non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet: *ubi* Dominicale *interpretantur linteum mundum, quo ſubjecto mulieres Euchariſtiam accipiebant. Verum Baluſius in Gratian. can.* 19. *cauſ.* 23. *q.* 3. *ex Concilio Matiſconenſi probat, Antiſſiodorenſibus Patribus* Dominicale *fuiſſe velum, quo mulieres ad Euchariſtiam accedentes capita obnubere jubebantur: quæ Baluſii opinio hoc poteſt adſtrui argumento, quod veriſimile non ſit, Patres Antiſſiodorenſes de eadem re duobus diſſitis locis egiſſe, nempe can.* 36., *& can.* 42.

Digitized by Google

mam tuam, auctore Joh. Diacono in *vit. Greg. lib.* 2.: denique ævo Alcuini aliquanto auctior facta in hunc modum, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam*: cujus rei Alcuinus ipſe teſtis eſt. Sed non fuit omnino eadem ubique. Recitata a miniſtro formula accipiens reſpondebat, *Amen*. Cornelius P. apud Euſeb. *lib.* 6. *c.* 43., Auctor *Conſt. loc. cit.*, Ambroſ. *ibid.*, Auguſtin. *contr. Fauſt. lib.* 12. *c.* 10., & Leo M. *ſerm.* 6. *de jejunio ſeptimi menſis*. Sed jamdiu apud nos obtinet, ut fideles Euchariſtiam taciti ſumant.

Euchariſtiæ uſus olim multiplex. I. Longum iter ingreſſi eam ſecum deferebant. S. Ambroſ. *Orat. in funere Satyri fratris*, S. Gregor. *lib.* 3. *Dial. c.* 36., Joh. Diaconus in *vit. Gregor. lib.* 1. *c.* 33. Nunc apud Latinos ſolus Romanus Pontifex veterem morem retinet, apud Græcos etiam Monachi, Arcudio teſte *lib.* 3. *de Sacram. c.* 59. II. Eam cum mortuis conſepeliebant: quem ritum a ſuperſtitionis nota jam ſuperius vindicavi. III. Interdum in ſolenni Eccleſiarum dedicatione partes tres ex Dominico Corpore exciſæ includebantur Altari: quod ab Urbano II. factum in Baſilicæ Majoris Monaſterii dedicatione, ſcribit anonymus Auctor libelli *de geſtis Abbatum Majoris Monaſterii*. IV. Piam quandam feminam ad depellendum morbum Euchariſtiam adhibuiſſe, narrat Auguſtinus *Operis imperfecti contra Julian. lib.* 3. *c.* 162. V. Pyrrhi Monothelitæ damnationi Theodorum Papam, & damnationi Photii Pſeudo-Patriarchæ Epiſcopos Catholicos calamo in ſanguine Chriſti intincto ſubſcripſiſſe, tradunt Annales Græcorum apud Baron. *an.* 648., & Nicetas in *vit. S. Ignatii Conſtantinopolitani*.

Reliquum eſt, ut de ritibus Liturgicis delibemus nonnulla. Certus ille lectionum, precum, ac ceremoniarum ordo, qui ſervari in Sacrificio ſolet, Liturgia appellatur. Liturgiæ, quæ Apoſtolis Petro, Jacobo, Matthæo, & Marco attribuuntur, Apoſtolorum non ſunt, uti egregie præter cæteros N. Alexander demonſtrat *in ſæc.* 1. *art.* 3.: idemque de Liturgia S. Clementi adſcripta Cardinalis Beſſarionis in *lib. de Sacram. Euchar.* judicium eſt. Variæ fuerunt pro varia temporum, & locorum ratione Liturgiæ: & in Oriente quidem celebriores fuere Liturgiæ S. Jacobi, S. Baſilii, ac S. Joh. Chryſoſtomi: in Occidente Romana, Ambroſiana, Gallicana, Hiſpanica (*a*). Apoſtolos recitata Oratione Dominica, & formula Conſecrationis rem Divinam

P 2 feciſſe.

(*a*) *Hanc dicunt* Mozarabicam; *occupata enim ab Arabibus Hiſpania*, *Chriſtiani*, *quod eſſent cum Arabibus permixti*, Mixtarabes, *&* *corrupta voce* Mozarabes *dicti*.

Digitized by Google

feciſſe, tradunt Gregorius M. *lib. 7. ep. 64.*, Honorius Auguſtodunenſis in *Gemma animæ cap. 86.*, & Walfridus Strabo *de reb. Eccleſiaſt. cap. 22.* Contra Apoſtolos *longo verborum ambitu* Miſſam decantaſſe, inquit Proclus Conſtantinopolitanus *de traditione Divinæ Liturgiæ*: eoſque *preces*, atque *hymnos* adhibuiſſe, ſcribit Chryſoſtomus *Hom. 27. in 1. ad Cor.* Fortaſſe Apoſtoli, ſi quis gravis metus, aut ſi qua alia juſta urgeret cauſſa, verborum compendio ſtudebant, alias rem ducebant in longum: quæ conjectura eſt Gardinalis Bonæ *rer. liturg. lib. 1. c. 5.* Porro Apoſtolos, eorumque ſucceſſores uſque ad tempora Hadriani Imperatoris Hebraica lingua uſos: tum ab Hadriano Eccleſiam cœpiſſe Græcam uſurpare, Johannes Echius inquit *de Sacrif. Miſſæ lib. 2. cap. 2.* Verum opinio hæc nullo antiquitatis monumento juvatur: quin principio non unum ubique, ſed commune cujuſque loci idioma in ſacra Liturgia uſurpatum, intelligere eſt ex eo, quod de S. Antonio Abbate memoriæ prodidit vitæ ejus ſcriptor Athanaſius, eum, quum literas non didiciſſet, nec niſi vulgarem, puta, Ægyptiacam linguam, noviſſet, audito Evangelio novum vitæ genus inſtituiſſe: cui hiſtoriæ, niſi decantatum Ægyptiaco idiomate Evangelium ſupponatur, conſtare fides non poteſt. Simile exemplum extat apud Allatium *ep. ad Naudæum*. Sed longe lateque diffuſa, & recte conſtituta Religione, Linguarum Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ uſum in ſacris retinuit Eccleſia, licet eæ populos laterent: cujus rei cauſſa duplex: una, ut major eis accederet veneratio: altera, ne ex frequenti vulgarium linguarum immutatione, cujus neceſſarium conſectaneum eſſe deberet frequens ſacrorum verborum translatio in novam linguam, aliquod ſententiis ipſis periculum immineret. Quandoque gentibus ad Chriſti fidem recens converſis ſacra Liturgia vernaculo ſermone concepta permiſſa eſt, uti Sclavis ſæculo IX. permiſſam a Johanne VIII., docet ejuſdem Johannis *Epiſtola 249. ad Sfentopulcrum Moraviæ Comitem*. In Occidente linguæ Latinæ uſus ſemper ſtetit. Sed aliquando in Romana, Arelatenſi, & Neapolitana Eccleſia nonnullas Liturgiæ partes certis anni diebus Græce peractas, tradunt Anaſtaſius in *vita Benedicti III.*, Amalarius *lib. 2. de off. cap. 1.*, Cyprianus Epiſcopus Tolonenſis in *vita S. Cæſarii lib. 1. cap. 11.*, & Ughellus *Italia ſacra tom. 6. p. 3.* Olim non omni die rem Divinam fieri potuiſſe, veterum formidoloſorum Eccleſiæ temporum ratio ſat idoneo argumento eſt. Solius Dominici diei meminit Paulus *1. ad Cor. 16.*, itemque Juſtinus Martyr *Apolog. 2.* Sed ternos in ſingulas hebdomadas dies, puta, Dominicam, & quartam, ſextamque Feriam, in eam rem ab Apoſtolis præſtitutos, auctor eſt Epiphanius in *Expoſit. Fid. Cath.* Præter eos

eos dies Sabbato etiam celebrata myſteria, ſcribit S. Baſilius *ep.* 289. *ad Cæſaream Patriciam*: quæ communis fuit omnium prope fidelium conſuetudo, Alexandrinis, ac Romanis exceptis, qui vetuſtam quandam traditionem ſequuti celebrare Sabbato detrectaſſe dicuntur Socrati *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 22. Verum haud multo poſt Romana quoque Eccleſia aliarum morem recepit. S. Hieronymus *ep.* 28. Porro Auguſtinus *ep.* 54. *ad Januar.* novæ edit. inquit, *alibi nullum diem prætermiſſum, quo non offerretur* (quod de Eccleſiis Africanis, Hiſpanicis, & Conſtantinopolitana teſtantur idem Auguſtinus *ſerm.* 58. *de Oratione Dominica ad Competentes* novæ edit., & *ep.* 98., Hieronymus *ep.* 28., & Chryſoſtomus *Hom.* 3. *in ep. ad Epheſ.*) *alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico*. Hæc de ſolenni Miſſa, quam dicunt *majorem*. Cæterum privatas miſſas quotidie celebrari licuiſſe, & ut quotidie celebrarent, monitos Presbyteros, patet ex Concilio Ticinenſi *an.* 886. *cap.* 2., & ex Riculfo Sveſſionenſi Epiſcopo *cap.* 3. Excipiebantur apud Latinos feria IV., & Sabbatum majoris hebdomadæ, & in Eccleſia Mediolanenſi omnes feriæ VI. Quadrageſimæ: apud Græcos autem Quadrageſimales dies præter Sabbata, Dominicas, & Feſtum Annunciationis. Quin uno die pluries pro Sacerdotis arbitrio celebratum, habes apud Reginonem *lib.* 1. *de Eccl. diſcipl. c.* 33., & Valfridum *de reb. Eccl. cap.* 21. Sed huic arbitrio poſitus uſque ad tertiam vicem modus in Concilio Salegunſtadienſi *an.* 1022. *cap.* 5. Quod de pluribus Miſſis uno die a Presbytero uno celebratis dixi, id non de privatis tantum, ſed & de ſolennibus dictum puta, & has quidem certis ſolennioribus diebus, nempe in Natali Domini, Calendis Januarii, in Cœna Domini, in Paſchate, in Rogationibus, in Jejuniis poſt Pentecoſten, in feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Benedicti, S. Joh. Baptiſtæ, S. Martini, S. Laurentii, aliorumque nonnullorum: quæ luculentiſſimis teſtimoniis confirmat Martene *lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 3. *n.* 5. *& ſeqq.* Primum ſæc. XIII. plures ab uno celebrari miſſas interdictum eſt, niſi in paucis quibuſdam ſpeciebus, quas percenſet Martene *n.* 18.: ac tandem ſolus dies Nativitatis Domini exceptus eſt. Id non omittam, Miſſas plures non in eodem, ſed in diverſis Altaribus ab uno Presbytero die uno celebratas. Gregorius Turonenſis *de gloria Conf. cap.* 50., & *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 49., Concil. Antiſſiodorenſe *can.* 10. Quod ad tempus faciendæ rei Divinæ, haud ambigendum, primis Eccleſiæ ſæculis noctu, & vero etiam poſt cœnam ſacra myſteria a fidelibus peracta, quum ut Chriſtum imitarentur, qui poſt legalem cœnam primum obtulit ſacrificium, tum ut conventus ſuos perſequutoribus celarent: hinc Chriſtiani gentibus dicti apud Mi-

nu-

nutinm Felicem *natio latebroſa*, *& lucifuga*: atque hinc *nocturnæ convocationes*, & *cœtus antelucani* apud Tertullianum *lib. 2. ad uxor. cap.* 4., *Apolog. cap.* 2., & *de coron. milit. cap.* 3. Ut primum fuit Eccleſiæ pax data, ſacris operari per diem cœperunt, licet alicubi vel poſt id tempus antiqua ſteterit conſuetudo, quod Johannes Phurnes teſtatur *ep. de ritibus immutatis* apud Allatium *lib.* 3. *de conſenſu Eccleſiæ Occidental. & Oriental. cap.* 13. Jam ſtatæ diurnarum Miſſarum horæ erant tertia, ſexta, & nona. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 42. Diverſas earum rationes enarrat laudatus Martene *art.* 4. *n.* 3., *& ſeqq.*: qui *n.* 10. id addit, fuiſſe ea maxime publicarum, ſolenniumque Miſſarum legitima tempora; nam privatas omni hora celebrari jus erat, modo per eas populus a publicis non avocaretur. Denique Sacrificium quolibet loco perſequutionum temporibus oblatum, ſive is eſſet privata domus, ſive cœmeterium, ſive carcer, conſtat ex *Act. Apoſt. cap.* 20., ex *Conſt. Apoſtolic. lib.* 6. *cap.* 30., ex Cypriano *ep.* 5., & Philoſtorgio *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 13. Tandem reddita Chriſtianis per bonos Imperatores pace publica Templa in eum finem extructa ſunt, de quibus inferius. Nunc, quoniam ſolennis, & privatæ Miſſæ habita eſt mentio, inſtituti mei ratio poſtulat, ut quæ ſit eorum vocabulorum poteſtas, exponam. Miſſa ſolennis, quæ & Conventualis, & Capitularis, & Major dici etiam aſſolet, ea eſt, quæ cum cantu, ac ſolennibus ceremoniis adſtante Clero, & reliquo fideli populo celebratur. Hæc eadem eſt, quam Valfridus Strabo *legitimam*, Amalarius *generalem* appellat, quod eam maxime Eccleſiaſticæ leges comprobent, eique univerſus cœtus interſit. Huic eidem *publicæ* nomen non a loco; namque initio in cryptis, aliiſque ſecretioribus locis peragebatur, ſed a populi conventu; eique opponebatur Miſſa *privata* Monachorum propria, ad quam fidelibus non patebat aditus. Quod Monachi vitam vivere ab omni ſtrepitu alieniſſimam debeant, publice fieri apud eos rem Divinam, Canones vetuere. S. Gregor. *lib.* 5. *ep.* 46., Synodus Lateranenſis ſub Calixto II. *cap.* 17., Innocentius III. *lib.* 2. *Regeſt.* 14. *ep.* 18. Peragebant quidem Monachi ſolennes Miſſas cum cantu ac ſolennibus ceremoniis, adſtantibuſque miniſtris; at earum tamen cauſſa in *Oratoria*, ſeu *Cappellas* Monachorum fidelem populum convenire, non licebat. Sed jam aliquot ab hinc ſæculis publicas Miſſas agere Monachis indultum. Aliud Miſſæ *privatæ* genus ſæc. IX. invaluit, quam & *ſolitariam* dixere. Ea eſt, quam celebrat Sacerdos ſolus nemine miniſtrante, ac præſente. Id Miſſæ genus Monachi primum inſtituere, tum ſæculares etiam Presbyteri arripuerunt, ſed Eccleſiaſtica Juriſprudentia invita. V. Concil. Mogunt. *an.* 813. *can.* 43., Pariſien-

Digitized by Google

riſienſe VI. *lib.* 1. *cap.* 48., Nannetenſe apud Ivonem *p.* 3. *c.* 7., & *can.* 61. *de conſecr. diſt.* 1., qui tamen male Soteri, male quoque adſcribitur Anacleto, & certe ſæculo IX. antiquior non eſt. Interdicti potiſſima ratio laudatur hæc, quod in ſolitariis Miſſis abſurdum ſit Sacerdotem dicere, *Dominus vobiſcum*, *Surſum Corda*, *Gratias agamus*, *Oremus*. Res liturgicas multo uberius enarrant Cardinalis Bona, Joſ. Binghamus, Edmundus Martene, quos adi.

TITULUS V.

DE POENITENTIA.

SAcramentum hoc, quod & Sacramentum *reconciliationis*, & Sacramentum *abſolutionis*, & *confeſſionis* Sacramentum, & quandoque ſine alio addito *manuum impoſitio*, ut in *can.* 76. Carth. IV., quandoque, ne cum aliis Sacramentis confunderetur, *manuum impoſitio reconciliatoria*, ut in *can.* 3. Arauſicani I.; & *communicatio*, ſive *communio*, & *pax*, frequentius autem *Pœnitentia* Latinis: Græcis vero Μετάνοια, & Ἐξομολόγησις appellatur; hoc, inquam, Sacramentum definiri a Theologis ſolet Sacramentum, quo lapſis poſt Baptiſmum contritis, confeſſis, ac ſatisfacere proponentibus abſolutio a peccatis impenditur.

Hujus Sacramenti quaſi materia ſunt actus pœnitentis Contritio, Confeſſio, Satisfactio. Eugenius IV. in *Decreto*, & Concilium Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Contritio eſt *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*. Trident. *cap.* 4. Hæc duplex, altera *caritate perfecta*, quæ cum *Sacramenti voto* conjuncta *hominem Deo reconciliat, prinſquam Sacramentum actu ſuſcipiatur*: altera *imperfecta*, *quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſiderationе, vel ex gehennæ metu communiter concipitur*, quæ *ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*. Trident. *d. c.* 4. Sacramentalis Confeſſio *jure Divino ad ſalutem neceſſaria* eſt, eaque *omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumſtantiæ, quæ peccati ſpeciem mutant*, apud ſolius Sacerdotis aures *ſecrete* deponuntur *ex inſtitutione, & mandato Chriſti*. Trident. *can.* 6., & 7. Confeſſionis publice editæ multa extant in antiquis monumentis exempla. Eam ab humilitate pœnitentis, & aliorum exemplo laudat Tridentinum

num *ſeſſ.* 14. *cap.* 3.; at nulla tamen Eccleſiaſtica lege Confeſſionis publice edendæ neceſſitas impoſita eſt. S. Leo *ep.* 136. novæ edit. Pœnitentes olim ſedentes peccata confiteri ſolitos, ex Ordine Romano, Alcuino, aliiſque Ritualibus libris maniſeſtiſſimum fit: quam conſuetudinem ſervant adhuc Græci, Allatio teſte *de conſenſ. Eccl. Occid.*, *& Orient. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 6. Apud Latinos Monachorum quorundam genu flectere mos fuit, qui mos ſub initium ſæculi XIII. ad ſæculares etiam traductus. Satisfactio eſt pœna, quam pœnitens ſubit *pro arbitrio Sacerdotis*, cui ejus imponendæ jus eſt, Trident. *can.* 9. Hæc paſſim *Pœnitentia* appellatur, eſtque aut privata, aut publica: privata, quam peccator clam peragit, qualis pœnitentia frequentiſſima eſt hoc tempore: publica, quam agit palam, &, ut loqui vulgo amant, in facie Eccleſiæ. De utraque dicam pro eo, quem mihi modum præſcripſi: ſatiſque habeo in hac re digitum intendere ad fontes, maxime ad Morini libros *de administr. Pœnit.* Peccata ſunt aut levia, ſeu venialia, quæ *peccata infirmitatis*, *aut imperitiæ* Auguſtino dicuntur *Quæſt. lib.* 83. *quæſt.* 26., aut gravia, ſeu lethalia, quæ *peccata malitiæ* appellat Auguſtinus *ibid.*, & ſæpe Patres uno verbo *crimina*, ſeu *ſcelera*. Levia peccata publicis pœnitentiis expiari neque opus eſt, neque unquam fuit opus. Nuſquam apud Patres publicæ pœnitentiæ mentio eſt, quin gravium peccatorum mentio ſit. Porro levia peccata *oratione quotidiana*, & *privata compunctione* curari, Patrum ſententia eſt. Auguſtin. *lib. de Symbolo ad Catechum.* ſub finem, S. Cæſarius Epiſcopus Arelat. *Hom.* 1. *in Quadrageſ.* Jam gravia peccata aut publica ſunt, aut occulta. Publicis publica pœnitentia debetur, ut ita ſcandalo occurratur: quæ perpetua fuit Eccleſiæ doctrina ab Apoſtolo tradita 1. *ad Timoth.* 5., & a Tridentinis Patribus confirmata *ſeſſ.* 24. *c.* 8. *de ref.*: quin olim Epiſcopos per cenſuras, & ſubinde per *implorationem*, ut ajunt, *ſæcularis brachii* pœnitentiæ publicæ neceſſitatem publicis peccatoribus feciſſe, Morinus demonſtrat *lib.* 7. *cap.* 4., & 5. Occulta etiam crimina publicis pœnitentiis caſtigata, apertiſſimis Patrum teſtimoniis demonſtrat Morinus *lib.* 5. *cap.* 9., & 11. Intercedebant tamen inter publicam publicorum, & publicam occultorum criminum pœnitentiam diſcrimina nonnulla. Primum enim hæc clam a Presbytero, qui clam ſuſceperat confeſſionem: illa publice a ſolo Epiſcopo imponebatur. Deinde publicorum criminum rei ad agendam pœnitentiam recte per cenſuras adigebantur: reis occultorum, ſi agere pœnitentiam detrectarent, ſola reconciliatio clam denegabatur; publice vero denegari Sacramenta non poterant. Poſtremo qui publicorum criminum pœnas dederunt, & publice

blice ante abſidem reconciliabantur, & a ſolo Epiſcopo, ac tum demum a Presbytero, quum aut neceſſitas urgebat, aut jubebat Epiſcopus: qui vero occultorum, & clanculum, & a Presbytero, qui pœnitentiam impoſuerat, inſcio etiam Epiſcopo. V. *can.* 32. Concilii Carth. III. apud Gratian. *can.* 14. *cauſ.* 26. *q.* 6., & *can.* 5. *q.* 7., & Morinum *cit. loc.* Nihil autem erat a publica occultorum criminum pœnitentia ſigillo confeſſionis metuendum; erat enim felicioribus illis Eccleſiæ temporibus ingens numerus eorum, qui ſceleris puri publicis pœnitentiis ſe ſe ultro ſubjiciebant. Quod ſi tamen forte vereri confeſſarius poterat, ne publicis pœnitentiis peccatum proderetur, eas cum privatis jure ſuo commutabat. S. Baſil. *c.* 34., Aug. *ſerm.* 16. *de verb. Domini c.* 8. V. Morin. *lib.* 5. *cap.* 8. Antiquiſſimam occultorum publice criminum caſtigandorum diſciplinam Græci uſque ad Nectarium, Latini ad ſæc. VII., & alicubi vel ad initium ſæculi VIII. ſervarunt: atque hinc origo regulæ in jure Canonico novo protritæ, *de peccatis publicis publice, de occultis occulte pœnitendum*, *cap.* 1. *de pœnit. & remiſ.* Morin. *lib.* 7. *cap.* 1. Nova hæc diſciplina quod publicum erat, occultum fecit: cæterum pœnalia opera per Canones Pœnitentiales præſcripta omnino retinuit. Morin. *cap.* 21. 22. 23. Argumenta, quibus Jacobus quidam Parvus publicam occultorum peccatorum pœnitentiam nullo fuiſſe canone decretam probare conatus eſt, ſcite rejecit N. Alexander in *ſæc. III. diſſ.* 6. *q.* 2. *art.* 1. *propoſ.* 2. Jam vero non omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur, uti viſum nonnullis maxime ob loca quædam D. Auguſtini ex *lib. de Symb. ad Catechum. c.* 7. & 8., & ex *lib.* 50. *Homiliarum Hom.* 27. & 50.; ſed graviora tantum crimina, quæ leges Principum capitali pœna vindicabant, puta idololatria, homicidium, mœchia; ſacrilegium, furtum violentum, violatio ſepulcrorum, aliave nonnulla his affinia: quod quum multis Patrum teſtimoniis, tum maxime apertiſſimo Gregorii Nyſſeni teſtimonio ex *ep. Canonica ad Letoium* perbelle docet N. Alex. *q.* 1. *art.* 1. *prop. unic.*, ubi Auguſtini loca in ſpeciem contraria ſubtiliter, & copioſe expendit. Nullum inter laicos, & Clericos diſcrimen conſtitui; at ſunt tamen ſuper publica pœnitentia Clerici a laicis ſedulo ſecernendi. Tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis non laicis ſolum, ſed etiam Clericis, ſive hi minores eſſent, ſive majores, publicam pœnitentiam fuiſſe impoſitam, habes ex *can.* inter Apoſtolicos 30., & *can.* 20. Synodi Eliberitanæ. Iis Canonibus Epiſcopi ſimoniaci, & generaliter Clerici uſurarii *deponi*, ſeu *degradari*, & *ſegregari*, ſeu *abſtineri* jubentur: id autem in Canonibus perpetuum eſt, ut *ſegregari*, vel *abſtineri* de Clericis dictum & *deponi*, & *publica*

pœnitentiæ ſubjici ſignificet : tum demum vero poſteriore ſenſu accipiatur , ſi alterutrum cum depoſitione , vel degradatione conjungitur , uti fit in *d. can.* 30. & 20.

Jam quæ fuerunt olim legitima ſpatia , quæve exterior Pœnitentiæ forma? Ab Eccleſiæ primordiis ad tempora Montani , & vero etiam Tertulliani nullum fuiſſe certum peragendæ pœnitentiæ tempus , id argumento eſt , quod veriſimile non ſit , ejus nec Tertullian. *lib. de Pænit.* , & *lib. de Pudic.* , quo utroque Opere de Pœnitentia egit, neque alium Tertulliano antiquiorem meminiſſe. Idem jus fuiſſe a Montano ad Novatianum (quem male Græci cum Novato confundunt) eorum , qui per id tempus ſcripſerunt, & maxime Cypriani ſilentium probat . Quin ex eorum temporum monumentis id liquet , rem hanc totam in arbitrio Epiſcopi poſitam , ſed diuturniores tamen pœnas a Montano ad Novatianum , quam antea , datas : quæ omnia nuper abunde tradidit Juenin, *de Pænit. q.6. cap.4. art.* 1. §. 1. , & 2. Primum poſt ſchiſma Novatianum , quod in ſæculum III. incidit, certum agendæ pœnitentiæ ſpatium per Canones præſcriptum , quæ de variis Pœnitentium Stationibus orto jam ſchiſmate Novatiano ſunt conſtituta , luculenter evincunt : Eccleſia ut occurreret Novatianis , qui in ea hæreſi erant , non eſſe in Eccleſia poteſtatem dimittendi peccata poſt Baptiſmum admiſſa , operæ pretium duxit de modo atque ordine peragendæ pœnitentiæ certis legibus cavere: atque hinc Pœnitentium Stationes , ſive gradus quatuor, *Fletus* , *Auditio* , *Subſtratio* , *Conſiſtentia* : quos gradus memorant , exponuntque Gregorius Thaumaturgus in *ep. canonica can.* 11. , modo is canon Gregorii ſit , & Baſilius *ep. ad Amphiloch. c.* 22. 56. 57. 58. 59. 64. 66. 75. 77. 80. 81. 83. Primo gradu erant *Flentes* , nempe qui pro foribus Eccleſiæ ſtantes & ſuam confitebantur iniquitatem , & fideles , qui Eccleſiam ingrediebantur , flentes , & ſæpe etiam ad pedes provoluti rogabant , ut ſibi a Deo , atque Epiſcopo pœnitentiæ locum exorarent . Gregor. *d. c.* 11. , & Baſilius *c.* 56. , Ambroſ. *ad Virgin. lapſ. cap* 8. Hinc vides , eum gradum non proprie Pœnitentium fuiſſe , ſed veluti præambulum quoddam ad Pœnitentiæ gradus . Secundo gradu erant *Audientes* , hoc eſt , quibus in Eccleſia , ac proprie in Narthece Scripturis , ac ſermonibus audiendis dabatur locus , unde , antequam orationi initium fieret , ejiciebantur . Gregor. *ibid.* , Baſil. *c.* 75. In hunc gradum admitti & beneficium , & opprobrium erat : & beneficium quidem , quod ita digni pœnitentia haberentur , unde manibus , & cilicio eorum capiti impoſitis a Sacerdote recipiebantur : opprobrium vero , quod cum Catechumenis remitterentur ad Fidei rudimenta , quæ , quod graviter peccaſſent , vix didiciſſe videbantur . Tertio gradu erant

Sub-

Digitized by Google

Subſtrati, ſeu *Genuflectentes*, ſeu, uti Gregorius loquitur, *Subjecti*. His non ſolùm audire cum *Audientibus* licebat, verum etiam poſt excluſos Templo Audientes intra Eccleſiæ ambitum uſque ad ambonem manere: perque id tempus ſubjiciebantur manibus, atque orationibus Epiſcoporum. Morin. *lib. 6. c.* 8. & 9. Quarto demum gradu erant *Conſiſtentes*, ex eo dicti, quod eis liceret, Catechumenis, cæteriſque pœnitentibus ejectis, cum fidelibus in Eccleſia conſiſtere, & orare. Thaumaturg. *can.* 11. Hi precum quidem, quæ fidelium dicebantur, participes erant, non Corporis, & Sanguinis Chriſti: quo factum, ut quarta hæc Pœnitentium ſtatio quandoque *Segregatio*, *Separatio*, & *Excommunicatio* appellaretur. Verum id te monitum velim, ſi quem Canones ob leve peccatum *ſegregari*, *ſeparari*, aut *excommunicari* jubent, eos Canones de hoc genere pœnæ intelligendos, puta de leviſſima excommunicatione, qua Euchariſtiæ tantum participatio interdicebatur: qualis Pœnitentium quarti gradus pœna fuit. Laicum, inquam; Clerici enim ſegregatio in Canonibus ſuſpenſio eſt, quæ grave crimen ſupponit. Certa fuere Stationum ſpatia in ſingula crimina per Canones conſtituta; ſed ea tamen erant pro gravitate delicti aut breviora, aut longiora. Baſilius *can.* 22.56.57.58. & 75., Concilium Ancyranum *can.* 4., & 16., & Nicænum *can.* 11. Quod vero æquum eſſet pro vario Pœnitentium ſtudio ſtata tempora contrahi, aut produci, fuit id datum arbitrio Epiſcoporum, quod tantum quandoque erat, ut jure poſſent Pœnitentes de Auditione ad Conſiſtentiam transferre Subſtratione omiſſa. Synodus Ancyrana *can.* 5., & Nicæna *can.* 12. Plerunque tempus Subſtrationis longius erat, quod hæc ſtatio ad eluendas animorum ſordes proprie fuiſſet inſtituta: & interdum anno decimoquinto finiebatur. Concilium Ancyran. *can.* 16. Per id tempus, quo Pœnitentia agebatur, multæ erant edendæ dolentis animi ſignificationes, multis etiam, quæ jure aliis licebant, Pœnitentibus erat abſtinendum. Et vero quum primum pœnitentiæ cauſſa ad Epiſcopum accedebant, mutare veſtes, & ſaccum induere, & cinere ſpargi, & hoc plus, ſi mares eſſent, caput radere, ſi feminæ, crines alibi tondere, alibi confuſos ſpargere jubebantur. Tertullian. *de Pœnit. cap.* 9., Synodus Agath. *can.* 15., Euſeb. *lib.* 5. *c.* 28., Ambroſ. *ad Virgin. lapſ. c.* 8., Hieronym. *ep.* 30., & Concil. Toletan. III. *can.* 12. Porro velari mulieres *velamine pœnitentiæ*, uti Optatus inquit *lib.* 2., mos fuit. Tolet. III. *d. c.* 12. Ad hæc Pœnitentes crebris jejuniis macerare corpus debebant, eleemoſynas dare pauperibus, iis etiam diebus, quibus cæteros fideles orare ſtantes (a) in Ec-

(a) *Diebus Dominicis, & quinquaginta inter Paſcha, & Pen-*

cleſia jus erat, flexis genibus orare, &, quod maxime in Africanis Eccleſiis ſolenne erat, mortuos efferre & ſepelire. Cyprian. *de lapſ.*, Concil. Carth. IV. *can.* 81. & 82. Denique Pœnitentes & balneis, & conviviis, & nuptiis, & vel ipſo matrimonii uſu prohibebantur: quo factum, ut conjugi pœnitentia imponi altero invito non poſſet. Pacian. *Parœneſ. ad Pœnitent.*, Sozomen. *lib.* 7. *c.* 16., Concil. Arelat. II. *can.* 21., & 22., Ambroſ. *de Pœnit. lib.* 2. *c.* 10. Solennes iſtos Pœnitentiæ ritus uſque ad initium ſæculi XII. Latina Eccleſia retinuit: tum deſueſcere paulatim cœperunt: ejuſque deſuetudinis cauſſa potiſſimum triplex, puta, pœnitentiæ Canonicæ commutatio cum laborioſo aliquo opere, quod in bonum Eccleſiæ redundaret: unde ſub id tempus peccatores ſæpe juſſi pœnitentiæ loco arma capere contra hæreticos, aut infideles: pœnitentiæ commutatio cum pecuniæ erogatione in inſtaurandam, extruendamve Eccleſiam, et vero etiam in reficiendos pontes, viaſve muniendas: et communis prope Theologorum ſæculi XIII. ſententia, pœnitentias in foro conſcientiæ arbitratu Sacerdotum eſſe decernendas: quæ tria fuſiſſime enarrat Morinus *lib.* 10. *cap.* 16., et 25. Licet autem ita exterior Pœnitentialium Canonum ſeveritas defecerit, et jam inde ab aliquot ſæculis pro Confeſſarii tanquam boni viri arbitrio pœnitentiæ imponantur, haud eſt tamen alius noſtro hoc tempore Eccleſiæ finis ab eo, quo ea olim ſpectavit, uti colligere eſt ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8.: atque ut eum finem Confeſſarii conſequantur, eos bene noſſe Pœnitentiales Canones oportere, quum multis in locis, tum maxime in Præfatione ad Canones Pœnitentiales tradit S. Carolus Boromeus, quem conſulant Confeſſarii. Sed ne hinc conficias quo tempore ſolennes Pœnitentiæ ritus obſolevere, ipſam quoque Pœnitentiam publicam obſoleviſſe. Stetit ea pro peccatis publicis, *cap.* 1. *de pœnit. & remiſ.*, et *cap.* 8. Synodi Tridentinæ *ſeſſ.* 24., quodque ea naturali et Divinæ juſtitiæ omnino conſentanea ſit, remitti nullo modo poteſt, niſi qua juſta ex cauſſa, quam probare Epiſcopus debet, expedire ali-

tecoſten diebus, qui dies remiſſionis dicuntur in can. 8. *Concilii Carth IV.; quod iis temporibus Dominicæ reſurrectionis memoria recoleretur, fideles in Eccleſia ſtantes orare jubebantur. Tertullian. de Coron. milit. c.* 3., *Clemens Alexandr. Stromat.* 7., *Petrus Alexandrin. can.* 15., *Concil. Nicænum can.* 20. *Eam diſciplinam ab Apoſtolicis temporibus repetit S. Baſilius de Sp. S. c.* 27. *Huc refer ſolennem illam Diaconorum formulam Chryſoſtomo perſæpe memoratam*, Erecti ſtemus honeſte. *Stabat vetus diſciplina ævo Caroli M., can.* 37. *Concilii Turonenſis III. Quouſque perſtiterit, vix eſt ut definiri queat.*

aliquando videatur publicam cum privata commutari: quod Tridentina Synodus addit *d. cap.* 8. omnino ex ſententia veteris Eccleſiæ. V. S. Baſilium *can.* 34., et Auguſtin. *ſerm.* 16. *de Verb. Domini c.* 8.

Forma hujus Sacramenti ſunt verba illa abſolutionis, quæ Sacerdos profert *non nudum* præſtans *miniſterium pronunciandi remiſſa eſſe peccata*, ſed *actum judicialem* exercens, *Ego te abſolvo* &c., *quibus de Eccleſiæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant*. Trident. *cap.* 3., & 6. Græci deprecativam formulam adhibuere, adhibentque etiam adhuc; quod egregie præter cæteros perſequitur Morinus *lib.* 8. *cap.* 12.: neque eſt, cur de ejus formulæ vi ambigat quiſquam. Latini *indicativa*, ut ajunt, formula utuntur, nempe ea, quam Tridentina Synodus tradit *d. cap.* 3. Olim vero non ubique in Occidente indicativæ formulæ uſus obtinuit: quod & Auguſtini teſtimonio *ſerm.* 23. *lib.* 50. *Homil. cap.* 7., & veterum Sacramentariorum, Pontificalium, ac Ritualium ſilentio probatur. Porro quæ olim apud Latinos valebat deprecativa abſolutionis formula, nunc non valet, jamque inde uſque a temporibus D. Thomæ, cujus teſtimonium extat *Opuſc.* 22. *cap.* 2., non valere doctiſſimis quibuſque Theologorum viſa eſt. Nempe integrum ſemper Eccleſiæ fuit certas apponere conditiones, quibus non ſervatis vis Sacramenti haud conſtaret: qua de re multis Theologi. Eſſe in Eccleſia peccatorum omnium dimittendorum poteſtatem, ex verbo Chriſti *Joh.* 20. *v.* 23. contra Montaniſtas, & Novatianos definitum eſt. Et vero eam poteſtatem nullo peccatorum diſcrimine exercuiſſe initio Eccleſiam, factis probarunt Paulus Apoſtolus 2. *ad Cor.*, & Joh. Evangeliſta apud Euſeb. *lib.* 3. *Hiſt. c.* 17. Hic homicidæ, inceſtuoſo ille pacem dedit. Id præclare confirmat Auctor *Conſt. Apoſtolic.*, qui vulgo Clemens dicitur, *cap.* 23. his verbis, *Nullum majus peccatum, quam idolorum cultus; eſt enim impietas in Deum; tamen per veram pœnitentiam remiſſum eſt*. Quoniam vero Chriſtus Eccleſiæ ſuæ dimittendorum æque ac retinendorum peccatorum jus fecit *Joh.* 20. *v.* 23., alicubi non defectu poteſtatis, ſeu *deſperatione indulgentiæ*, uti Auguſtinus in ſimili ſpecie ajebat *ep.* 50., ſed ſeveritate diſciplinæ aliquanto poſt medium ſæculum II. fuiſſe inductum, opinio eſt Albaſpinæi, Sirmondi, aliorumque nonnullorum, ut hominibus atrociorum quorundam criminum reis venia vel in exitu vitæ denegaretur. Ita Romæ, in Hiſpania, atque Africa de idololatris, homicidis, & mœchis jus fuiſſe, docent Tertullianus *lib. de Pudic. cap.* 5. & 9., Eliberit. Synodus *can.* 1., & 8., ac Cyprian. *ep.* 51. *ad Antonian.* Primus Zephirinus ſolos mœchos,

non

non idololatras, aut homicidas, ad communionem admiſit, uti eſt apud Tertullianum. Sed Zephirini decretum aliquot Africanæ Eccleſiæ non receperunt, Cypriano teſte: Eliberitana autem Synodus ſtricte accepit, nempe de iis tantum, qui ſemel fuerant mœchati: quod ex ejus *can.* 3. exploratiſſimum eſt. Quin Illiberitani Patres & lenonibus, & puerorum ſtupratoribus, & inceſtuoſis *nec in fine dandam eſſe communionem* voluere, ut *can.* 12., 17., 66., 71., & 75. Scio nonnullos *communionem* in Eliberitanis Canonibus interpretari *Eucharistiam* eo maxime argumento ductos, quod ii de *abſolutione* accepti impendio acerbiores eſſent. At certe *communio* Illiberitanis Patribus *abſolutio Sacramentalis* eſt, uti Albaſpinæo, Sirmondo, & rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimis quibuſque viſum. Argumenta, quæ in hanc ſententiam proponunt, videſis apud eos. Id ego nunc unum ajo, ſi de Sacramentali abſolutione Eliberitani Canones accipiantur, perbelle eis convenire cum Tertulliano, & Cypriano, qui de Sacramentali abſolutione diſertiſſime loquuntur: ut nihil ſit, cur Eliberitanæ Synodi ſeveritatem quiſquam miretur. Contra alii, quorum numero eſt Natalis Alexander in *ſæc. III. diſſ. 7. art. unic. propoſ.* 3., nuſquam Eccleſiæ Patres eo ſeveritatis deveniſſe contendunt, ut quorundam criminum reis vel *in fine* denegaſſent pacem: Tertullianum ajunt *lib. de Pudicitia*, quem ſcripſit jam Montaniſta, falſam Eccleſiæ Romanæ ſententiam affinxiſſe: *Communionem* vero in Canonibus Eliberitanis Euchariſtiam eſſe, non abſolutionem: poſtremo quod Cyprianus de negata mœchis abſolutione ſcribit, id quibuſdam Africanis Epiſcopis placuiſſe, non Africanæ Eccleſiæ univerſæ, aut Carthaginenſi. Ego, quod ultimo loco inquiunt, libens admitto; ſed eos Epiſcopos nullo exemplo in eam ſententiam iviſſe, quis credat? Fortaſſe argumento ab Hiſpanienſis, & maxime Romanæ Eccleſiæ diſciplina ducto opinionem illi ſuam adſtruebant: quumque eos Epiſcopos *a Coepiſcoporum ſuorum Collegio non receſſiſſe*, nec *Catholicæ Eccleſiæ unitatem rupiſſe*, Cyprianus affirmet, ideo eorum ſententiam offendiculo aliis non fuiſſe arbitror, quia varia tunc erat ea ſuper re Eccleſiæ diſcipilina. De Eliberitanorum Canonum ſenſu dictum ſatis. Tertullianum autem licet Montaniſtam rem, quæ omnino facti erat, & omnibus eo tempore exploratiſſima, multo aliter ac ſe ea habebat, literis conſignaſſe, ut Eccleſiæ invidiam crearet, facile adduci non poſſum ut credam. Et vero quis eum impudentiſſimum jure dicat, quem etiam quum ad Montanum defecerat, hominem ingenio haud malo fuiſſe conſtat? Quis eum falſi reum peragat, quem nemo æqualis, aut ſuppar eo nomine falſi inſimulavit? Porro denegabatur venia eis, qui in quo-

quolibet mortali peccato conſenuerant, nec niſi in ſummis vitæ anguſtiis pœnitentiam petebant: cujus ſeveritatis hæc redditur ratio a Cypriano in *cit. ep. ad Antonian.*, quod illos *communionem rogare non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio* compelleret: ſtetitque ea diſciplina uſque ad tempora Conc. Arelat. I., quod *an.* 314. eſt habitum, ut ex ejus *can.* 23. Solos lapſos Cyprianus excepit *ep.* 13., qui libellos a martyribus impetraſſent. Tanta fuit vis Libellorum, quibus Martyres pro lapſis apud Epiſcopos intercedebant, ut aliquid eorum gratia de ſeveritate Canonum remitteretur: ſæpe tamen Epiſcopi verbo, ſcriptove Martyres admonebant, ne in dandis libellis ſe plus nimio faciles præſtarent: V. Natalis Alexandri *Diſſ.* 3. *in ſæc. III.* Eodem prorſus jure cum peccatoribus in exitu vitæ communionem rogantibus facinoroſos capite damnatos olim cenſitos, contendunt nonnulli, & quum primis Martene *lib.* 1. *c.* 6. *art.* 2. *n.* 6. Denique peccatis, quæ jam ſemel publica expiaverat pœnitentia, ſi rurſus admitterentur; denegatam olim veniam, intelligere eſt ex Clemente Alexandrino 2. *Strom.* 13., Tertulliano *lib. de Pœnitentia*, Ambroſio *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10., & Auguſtino *ep.* 153. *novæ edit. ad Macedonian.* Verum id fortaſſe non ubique placuiſſe, videtur probare, quod de Chryſoſtomo Socrates habet *lib.* 6. *cap.* 21., *Quum a Synodo Epiſcoporum ſemel dumtaxat iis, qui poſt Baptiſmum peccaſſent, conceſſa fuiſſet pœnitentia, ipſe pronunciare non dubitavit, Licet millies egeris pœnitentiam, accede.* Qualecunque eſſe debeat de Chryſoſtomo, aut Socrate judicium, certe latiſſime in Eccleſia patuit diſciplina, quam ſuperius propoſui. Anne igitur adeo ſevere actum cum iis, qui in eadem ſcelera relabebantur, ut eis ne privata quidem pœnitentia, privataque abſolutione conſuleretur? Ita viſum Petavio in *Epiphan. hær.* 59., Albaſpinæo 2. *obſ.* 6., & Morino *lib.* 5. *c.* 29., quum quia conceptiſſima ſunt in eam ſententiam Patrum teſtimonia, maxime Ambroſii, & Auguſtini; tum quoniam alioqui multo humanius cum iis egiſſet Eccleſia, qui eadem crimina repetierant: quod cuivis debet perabſurdum videri. Sed æquius alii ſic Patrum loca interpretati ſunt, ut privatam pœnitentiam, abſolutionemque non excluderent; ſed pœnitentiam tamen acerbiſſimam, ac diuturniſſimam, quæ acerbitate, ac diuturnitate ſua publicam exæquaret, & vero etiam vinceret: abſolutionem autem, quæ nonniſi in ipſo vitæ exitu indulgeretur. Ita Himerio Tarraconenſi a Siricio Papa reſcriptum *ep.* 1. *c.* 5.: idemque diſertiſſime cautum eſt in Concilio Ilerdenſi *c.* 5. Sed tandem de veteri ſeveritate deſcivit Eccleſia. Mœchos ad communionem admiſſos a Zephirino, jam dixi. Tempore Cypriani idololatris etiam, qui ſani egerant

pœ-

pœnitentiam, Carthaginenſis Synodus pacem dedit, uti ex *Epiſtola Synodali ad Cornel. P.* : quam Africanorum Patrum ſententiam Cornelius Concilio Romæ habito confirmavit : ex eoque tempore in Eccleſia univerſa omnibus vel atrociſſimis criminibus poſt actam pœnitentiam venia data eſt. Hæc de Occidentalibus ; Orientales enim mœchis, homicidis, aut idololatris aliquando pacem denegaſſe, nullo poteſt idoneo teſtimonio probari. Porro ætate Innocentii I., qui Pontificatum ſuſcepit *an.* 401., jam obtinebat, ut omnibus vel in exitu vitæ *pœnitentibus cum Pœnitentia extrema Communio* tribueretur, ut *miſerante Salvatore noſtro a perpetuo exitio vindicarentur*, ut ipſe inquit *ep.* 3. *ad Exuper. cap.* 2. : quo loco *Communionem* eſſe abſolutionem a peccatis, noviſſima Innocentii verba luculenter oſtendunt. Eadem per id tempus reorum capite damnatorum ratio erat. Denique jamdiu deſiit vetus diſciplina abſolutionis in tempus mortis conferendæ, ſed idonea tamen ſuppetere argumenta debent, peccatorem facti ſui pœnitere.

Abſolutionem primis Eccleſiæ ſæculis ſatisfactio præibat. Id & ea, quæ de gradibus Pœnitentium ſunt dicta, haud obſcure demonſtrant, nam fideles jam Deo per Abſolutionem reconciliatos diu ne conſiſtere quidem cum fidelibus in Eccleſia potuiſſe, longe abeſt a ſpecie veri: & permulta Patrum loca diſerte tradunt. V. S. Cyprian. *ep.* 10., 52., & 59., S. Pacian. *ep.* 1. *ad Sympronian.*, S. Ambroſ. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 9., Innocent. I. *ep.* 1. *ad Decentium*, S. Leon. *ep.* 91. *ad Theodor. Forojulienſ. Episc.*, & Concil. Tolet. III. *c.* 11. Interdum ante emenſa Pœnitentiæ ſpatia indulgebatur Abſolutio, ſi qua gravis urgeret cauſſa, puta, ſi quos lapſos Martyrum libelli commendarent, ſi quam lapſi publice ederent Chriſto pii, & obſequentis animi ſignificationem, eoque nomine aliquid paterentur, ſi aut mortis, aut magnum aliquod animæ periculum immineret, ſi quis Pœnitentium eſſet ad Martyrium comparandus: denique ſi quid inde mali ab Eccleſia amoveri, vel ſi quid boni redundare in eam poſſe viderent Patres: quæ ſpecies proſtant apud S. Cyprian. *de Lapſ.*, & *ep.* 10., 52., & 54., Innocent. I. *d. ep. ad Decent.*, & S. Leon. *d. ep.* 91. Quin diu obtinuiſſe, ut quæ peccata publica elui pœnitentia opus non erat, ſtatim poſt confeſſionem dimitterentur, Morinus oſtendit *lib.* 9. *c.* 14. Hinc intellige, merito damnatas ab Alexandro VIII. *n.* 16., & 18. Propoſitiones haſce rigidiorum quorumdam Theologorum, quibus præivit Petrus Oxonienſis Theologiæ in Salmaticenſi Academia Profeſſor *an.* 1479., ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutionis lege Chriſti inſtitutum : modernum autem uſum, qui abſolutionem antevertit, ab Eccleſia haberi pro abu-

ſu.

ſu. Et quidem præceptum iſtud Chriſti nuſquam extat: fuitque res hæc tota judicio Eccleſiæ permiſſa. Quem vero illi *modernum* uſum appellant, certe antiquitatis ſanctitatem habet; namque in Oriente jam inde a Nectario, qui in ſæculum IV. incidit: in Occidente ſerius quidem, ſed non multo poſt IV. ſæculum criminoſos abſolutione donari ſtatim poſt Confeſſionem eſt cœptum. Morin. *lib.* 6. *c.* 24., & *ſeq.*

Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus, aut Presbyter. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. Olim reconciliandorum pœnitentium, maxime publicorum, jus penes Epiſcopos fuit, neque id præter neceſſitatem (*a*) Presbyteris licuit, niſi bona cum venia Epiſcoporum. S. Cyprian. *ep.* 11., Concil. Carth. II. *can.* 3. apud Gratian. *can.* 1. *cauſ.* 26. *q.* 6., & Carth. III. *can.* 32. apud Gratian. *can.* 14. *ead. c.* & *q.* Eos ſolos, qui publicam egerant occultorum criminum pœnitentiam, inſciis quoque Epiſcopis reconciliabant Presbyteri: tum publica occultorum criminum pœnitentia prorſus ſublata, ac recipi tandem cœpta. Pœnitentiæ diſtinctione inter privatam, publicam, & ſolennem a Theologis Scholaſticis in jus Eccleſiaſticum invecta ſæculo XIII., quæ conjectura eſt Morini *lib.* 5. *cap.* 25., Presbyteris ſine ſpeciali Epiſcoporum mandato publicæ etiam pœnitentiæ pro peccatis publicis imponendæ poteſtas data eſt, ſola Epiſcopis reſervata ſolenni Pœnitentia, quam ex Pontificali, & Ordine Romano magna ex parte deſcriptam ſub nomine Synodi Agathenſis proponit Gratianus *can.* 64. *diſt.* 50. Suppetit hinc ratio, cur Pœnitentiales Canones octavo ſæculo antiquiores, quibus locis de Pœnitentiæ miniſtris agunt, multo frequentius Epiſcopos laudent,

R quam

(a) *At ne neceſſitatis quidem caſum excipere videtur Canon* 4. *Concilii Carth. II. apud Gratian. can.* 5. *cauſ.* 26. *q.* 6. *his verbis*, Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari Divinis Altaribus petierit: ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare. *Gratianum locus hic non mediocriter commovet; ſed is tamen ignoratione antiquitatis Concilii mentem non adſequitur.* Τὸ Divinis Altaribus *argumento eſt, accipi Canonem debere non de ſimplici, & neceſſaria reconciliatione, qua pœnitens cum Deo in gratiam redit, ſed de reconciliatione* perfectiſſima, *quæ pœnitentem Euchariſtiæ etiam participem facit. Ad hunc modum reconciliari a Presbytero pœnitentem inconſulto Epiſcopo, etiamſi mors inſtaret, ſevera antiquæ Eccleſiæ diſciplina non patiebatur: quod ab Albaſpinæo animadverſum eſt in can.* 3. *Concilii Carth. II. ead. cauſ. & q.*

quam Presbyteros; poſteriores autem eo ſæculo rarius Epiſcopos. Verum initio ii ſoli Presbyteri Pœnitentiam adminiſtrabant, quos ad curam animarum veluti ſubſidiarios adſumebant Epiſcopi, quoſque *proprios Presbyteros*, & *Sacerdotes*, ac verbo uno *Parochos* appellamus: quin diu nemini licuit alium a proprio Sacerdote ſine hujus venia ſibi Confeſſarium eligere, niſi id ei jure ſingulari permitteretur. Gregor. IX. in *cap. ult. de pœnit.*, & *remiſ.* Deinde inſtitutis Fratribus Mendicantibus, Summi Pontifices liberam eis excipiendarum Confeſſionum poteſtatem jure privilegii dederunt: quam eandem poteſtatem Epiſcopi ad Presbyteros etiam ſpecialem animarum curam non habentes produxere. Sed duo hic moneo. Alterum eſt, jure Eccleſiaſtico, quod Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ſanxit in *cap. omnis utriuſque ſexus eod. tit.*, teneri fideles ſemel in anno proprio tantum Sacerdoti, puta, Parocho, ſua confiteri peccata, nec poſſe alienum Presbyterum *aliter* quam cum venia Parochi *ſolvere*, *vel ligare*: quod jus Parochorum Pontifices, qui laudatum privilegium Fratribus Mendicantibus indulſere, diſertiſſime ſalvum voluerunt. V. Bullam Martini IV. *Ad uberes* ſuper eo privilegio editam *an.* 1281., & Sixti IV. *Extravagantem Vices de tregua*, *& pace in comm.* Vide etiam, quæ in *d. can.* Lateranenſis Concilii ediſſerit Jueninus *q.* 5. *de Confeſſione cap.* 4. *art.* 3. §. 2. Alterum eſt, Parochos quidem jure ordinario, hoc eſt, jure Beneficii ſui Parochianorum ſuorum excipere Confeſſiones, alios autem Presbyteros ſive ſæculares, ſive Regulares id nullo modo poſſe, niſi *ab Epiſcopis per examen*, *ſi illis videbitur neceſſarium*, *aut alias idonei judicentur*, *& approbationem obtineant*, *privilegiis & conſuetudine quacunque*, *etiam immemorabili*, *non obſtantibus*: quæ verba ſunt Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 25. *de Ref.*: in quæ commentarium bene longum Jueninus ſcripſit *q.* 7. *de Abſolut. cap.* 3. *art.* 3. Hæc de Miniſtro Pœnitentiæ pro inſtituto meo dixiſſe ſit ſatis. De Diacono, & laico quolibet quæſitum video, num aliquando exaudire potuerint Confeſſiones. Tu ſic habe. Jus ligandi, & ſolvendi ſolis Sacerdotibus a Chriſto datum *Matth.* 16. 19. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. Cypriani locus ex *ep.* 13. *ad Presbyteros*, *& Diaconos Eccleſiæ Carthagin.*, ubi lapſis in vitæ periculo verſantibus, ſi Epiſcopus, & Presbyter abeſſent, *apud Diaconum exomologeſim facere delicti ſui* permiſit, accipiendus eſt non de abſolutione Sacramentali, quæ reum crimine abſolvit, quæque tota eſt ordinis, ſed de ceremoniali abſolutione, quæ pœnitentem abſolvit legibus pœnitentiæ publicæ, quæ quum tota ſit juriſdictionis, recte poterat Diacono demandari: qua de re multis contra Morinum N. Alexander in ſæc. III. *diſſ.* 4. Quod vero

Odo-

Odonis de Soliaco Pariſienſis Epiſcopi Decreto comprehenſum eſt in *Statutis Synodalibus Statut.* 56. , licere Diacono *in arctiſsima neceſſitate Confeſſiones audire* , ad eundem prope modum intelligi debet . Nempe eo Decreto conceſſum Diacono audita peccatorum confeſſione , quæ non ad Sacramentalem abſolutionem ſuſcipiendam edicur , ſed ad verecundiam , & humilitatem , preces fundere ſuper pœnitentem , ac Divinam miſericordiam adprecari . In eandem ſententiam ; *vel Diacono* , legere *de furt.* , niſi mavis [illegible] in *can.* 31. Triburienſis Concilii , unde Caput illud deſumtum eſt . A verecundia etiam , & humilitate pœnitentis merito commendatur Auguſtino *ep. ad Fortunatum* , & Auctori libri *de vera* , *& falſa Pœnitentia* , quem perperam recenſent inter Opera Auguſtini , peccatorum confeſſio in ſummis anguſtiis apud laicum edita : quo ſpectat illud ejuſdem Auguſtini verbum , *Motus religioſus* , hoc eſt , pœnitentis fides , verecundia , humilitas , unde facile contritio enaſcitur , *importavit ſanctitatem* . Alia permulta , quæ tradi ſolent de hoc Sacramento , Theologorum ſunt .

TITULUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE .

SAcramentum hoc , quod *Oleum Sanctum* , & *Chriſmatis Oleum* , & *Oleum infirmorum* , & uno verbo *Oleum* , paſſim vero *Extrema Unctio* appellatur , eſt Sacramentum , quo & gratia confertur , & delicta , delictorumque reliquiæ abſtergentur , & allevientur infirmi . Trident. *ſeſſ.* 14. *de Sacram. extrem. unct. can.* 2. Ex verbis Jacobi Apoſtoli *ep. canon. c.* 5. , *Infirmatur quis ex vobis , inducat Presbyteros Eccleſiæ , & orent ſuper eum , ungentes eum oleo in nomine Domini* , materiam , formam, ac Miniſtrum hujus Sacramenti facile eſt intelligere : iiſque ad ea tradenda utitur Synodus Tridentina *d. ſeſſ. cap.* 1. Materia remota eſt *oleum* ex baccis olivarum expreſſum : & oleum quidem merum ; nulla enim permixtionis mentio in Græcorum Euchologiis , ac Pontificalibus Latinorum . Non obſtant Innocentius P. I. in *ep. ad Decent.* , ubi hujus Sacramenti materiam eſſe inquit *oleum Chriſmatis* , qui locus Scholaſticorum nonnullos in eam opinionem adduxit , olim infirmos ſacro Chriſmate, hoc eſt , oleo & balſamo unctos . Non , inquam , obſtat , quandoque enim apud Eccleſiaſticos ſcriptores *Chriſma* eſt merum oleum infirmorum . In hanc ſententiam *Chriſma* in *cap. ſtatui-*

mus de cuſt. Euch. interpretatur Synodus Triſingenſis *an.* 1440. *can.* 18. Porro *oleum* eſſe debere *ab Epiſcopo benedictum*, inquit Trident. *loc. cit.*: fuitque hæc vetus Latinæ Eccleſiæ diſciplina, cujus teſtes ſunt Innocentius I. *d. ep.*, & Gregorius M. in *Sacrament.*: neque ullo idoneo poteſt argumento probari, ejus olei conſecrandi jus aliquando Presbyterorum fuiſſe. At vero apud Græcos jamdiu obtinet, ut oleum infirmorum a Presby- *c.* 2.: quam Orientalis Eccidius tradit *lib.* 5. *de extrem. unct.* habuit ratam in ſua *ad Epiſcopos Latinos Inſtructione* VIII. apud Latinos oleum infirmorum ſemel in anno Epiſcopus conſecrat feria V. in Cœna Domini, atque inter Parochos diſtribuit: apud Græcos autem licet eadem feria V. Epiſcopus oleum conſecret, tamen id mox inſumitur ungendis in peccatorum expiationem primum Epiſcopo, quem Oeconomus ungit, deinde omnibus aliis ad ſacram Sinaxim acceſſuris, quos inungit Epiſcopus: tum, ſi qui ungendi ſunt, in ſingulas vices a Parocho conſecratur: quæ in Rituali Romano, & Græco ſcripta ſunt. V. quoque Goar. in Rituale Græcorum *not.* 22. *p.* 436. Materia proxima eſt ipſa unctio. Quod vero nullam certam corporis partem Jacobus expreſſit, factum hinc, ut aliquando unam, aliquando plures, nec eaſdem ubique ac ſemper inungi mos fuerit. Olim una videtur corporis pars inungi conſuevisſe, puta, pectus. Auctor *vitæ S. Eugendi*, Mabillon. *Præf. ad ſæc. I. Benedict. num.* 97. Quoniam autem Eugendus ſæc. VI. vixit, ac porro in Sacramentario D. Gregorii plurium partium unctio memoratur, rectiſſime Joh. Lanojus *de Sacram. Unctionis infirm. cap.* 2. *obſ.* 2. docet, poſt tempora Gregorii, hoc eſt, ſub exitum ſæculi VI. primum obtinuiſſe, ut plures inungerentur. Harum numero alicubi interdum fuit pars male præter cæteras affecta, uti ex Codice Tiliano Menardus in *Sacram. S. Gregor. p.* 340.: quo referebant illud S. Jacobi, *Et alleviabit eum Dominus*. Sed ne potius ad corporis, quam ad animæ medelam adhiberi Sacramentum videretur, jam prope omnino deſiit is ritus. Ecce tibi hodiernam Eccleſiæ Romanæ diſciplinam ex Rituali Pauli V., *Quinque corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus: pedes etiam & renes ungendi ſunt; ſed renum unctio in mulieribus honeſtatis gratia ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet*. Varia etiam fuit ſuper hac re Orientalis Eccleſiæ diſciplina. Noviſſimam dabo verbis Arcudii *lib.* 5. *cap.* 7., *Græcorum Sacerdotes un-*

ungunt agri frontem, mentum, ambas genas; deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, poſtremo pedes.

Hujus Sacramenti forma, quam multis ab hinc ſæculis Latina adhibet Eccleſia, ſunt verba illa, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, olfactum, guſtum, & auditum &c.* Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Sæculo IV. indicativa formula, quam dicunt *Ambroſianam*, Mediolanenſis Eccleſia utebatur. Germanos quoque, & Venetos indicativam formulam aliquando adhibuiſſe, ab Alberto M. *in* 4. *diſt.* 23. *art.* 4., & Petro Arcudio *lib.* 5. *cap.* 5. memoriæ proditum eſt. Quin in-
mentario Greg[illegible] formulam partim indicativam, partim deprecativam
nodus formulam propoſuerit dep[illegible] qualem formulam habes in Sacra-
cativam expreſſe non rejecit, hinc factum videtur, ut Tridentina Synodum Epiſcopi nonnulli diu formam retinuerint indicativam, quam Romani Pontifices taciturnitate ſua probarunt. V. Launojum *cit. lib.*, & Menard. in *Sacrament. Gregorii M.* Sed jam fere ubique deprecativa formula obtinet apud Latinos. Græci etiam adhibent deprecativam, quæ licet non iiſdem Latinæ formulæ verbis concepta ſit, eodem tamen redit. Arcud. *ibid.*

Hujus Sacramenti miniſter jure Divino eſt Epiſcopus, aut Presbyter; ait enim Jacobus, *Inducat Presbyteros*, quo nomine & Epiſcopos, & Presbyteros venire, docet Innocentius I. *ep. ad Decent. c.* 8. Quamvis autem valeat hoc Sacramentum a quocunque Presbytero collatum, tamen illud conferre ſoli tantum Parocho licet, qui ordinarius ejus miniſter eſt, aut ei, cui ſuam Parochus mandavit juriſdictionem. Et vero in *Clement.* 1. *de privileg.* vetatur Presbyter ſine venia Parochi Extremam Unctionem adminiſtrare, ac ſi is *religioſus* ſit, excommunicatione punitur. Quod ſi mors inſtet, ac præſto eſſe Parochus non poſſit, licere cuivis Sacerdoti jam jam moriturum ungere, S. Carolus tradit in Concilio Mediolanenſi V. *part.* 1. *tit.* 11. Quod vero *Presbyteros* plurali numero expreſſit S. Jacobus, vetus eſt Græcorum conſuetudo, plures ad infirmum advocari Sacerdotes: advocantur autem numero ſeptem, ut ex eorum Euchologio, cujus numeri myſteria adaperit Arcudius *lib.* 5. *cap.* 3. Plures quoque adhibitos olim in Latina Eccleſia, ex Gregorii M. Sacramentario liquet. Sed [illegible] in Occidentali Eccleſia univerſa Sacerdos unus Extremæ Unctionis miniſter eſt, re[illegible]que eum poſſe *ſolum* ungere, certo jure eſt cautum, *cap. quæſivit de V. S.* Nullum igitur Divinum præceptum pluralis ille numerus

apud

apud Jacobum continet, maxime quum in Libris ſacris pluralis numerus non raro ſingularis vice ſit: quem *uſitatum eſſe loquutionis modum* multis collatis exemplis Auguſtinus demonſtrat *lib. 3. de conſenſ. Evangeliſt. cap.* 16.

Dari hoc Sacramentum infirmis, verbo *infirmatur* oſtendit Jacobus: infirmos autem eos eſſe tradit Eugenius IV. in *Decret.*, *de quorum morte timetur*, ſive proxime immineat periculum mortis, ſive abſit longius, modo ea ſit vis morbi, ut in gravi mortis periculo verſari videantur. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Non eſſe expectandas extremas anguſtias, in quibus poſiti homines compotes mentis utplurimum non ſunt, Canones monent. Sed circa ſæculum XIII. perverſus mos loca quæda[illegible] [illegible]cidentalis Eccleſiæ invaſit hujus Sacramenti in [illegible], ſuſcepto [illegible] & condi teſtamentum [illegible]pora conferendi: [illegible] carnes comedere, aut nudis pedibus ambulare, ſuamve uxorem cognoſcere: qua de re Mabillonius in *ſæc. I. Benedict. num.* 100. At vero Græci verbum illud *infirmatur* latius acceperunt, ut eo non ii ſolum intelligerentur, qui corpore ægrotarent, ſed ii etiam, qui mente: quales ſunt peccatores, qui edita peccatorum confeſſione pœnitentiam agunt: quam Græcorum praxim Innocentius P. IV. non obſcure probat *ep. ad Epiſc. Tuſcul.* Sanos quoſque homines *ſæpius* per annum a Græcis inungi, Leo Allatius ſcribit *lib. 3. de Eccleſiæ Occid., & Oriental. perpetua conſenſione cap.* 16.: quin omnes oleo ſancto ſe ſe in Græca Eccleſia ungendos offerre feria V. in cœna Domini, eamque unctionem tanquam peccatorum expiatricem ſacræ Communioni præviam ſuſcipere, narrat Goar. *not. ad officium S. Olei*.

Extremam Unctionem præcedere Sacramentalis confeſſio, & abſolutio debet. Concilium Mogunt. *cap.* 26., S. Carolus *Act. p. 4. inſtruct. de extrem. unct.* Et quoniam eam non Græci tantum, qui pœnitentes licet ſanos ungebant, ſed Latini etiam Patres tanquam Pœnitentiæ *complementum* habuerunt, unde mos aliquando ſervatus ſignandi ægroti ſigno *ex cinere*, eique cilicii imponendi, de quo Menard. *p.* 337., diu ea Euchariſtiæ præmiſſa eſt: quod & Gregorius in ſuo Sacramentario ſupponit, & multorum monumentorum fide confirmat Menardus. Eam diſciplinam ubique perſtitiſſe ad ſæculum XIII., tum alicubi immutatam, alicubi vel uſque ad finem ſæculi XVI. conſtantiſſime retentam, habes apud Launojum *cit. lib.* Forte occaſionem novæ diſciplinæ dedit nomen ipſum *extremæ* unctionis exeunte ſæculo XIII. a Scholaſticis proculum, uti Mabillonius monet in *d. præf. n.* 98., quod unctionum extremam ſignifica-

bat,

bat, ſed cœpit tamen extremum Sacramentorum ſignificare. Qualis qualis ſit novæ diſciplinæ cauſſa, certe nunc in univerſa pene Eccleſia Latina extremam Unctionem præit Euchariſtia. Rituale Romanum Pauli V.

TITULUS VII.

DE ORDINE.

ORdo eſt Sacramentum, quo ſpiritualis poteſtas confertur ad ea, quæ vel ad conficiendam, vel ad diſtribuendam Euchariſtiam pertinent, obeunda. Ordines ſunt numero ſeptem, Oſtiariatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotium: atque horum priores quatuor *minores*, poſteriores tres *majores*. Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. & *can.* 2. De eorum inſtitutione *lib.* 1. dictum ſatis. Illud hic moneo, certi juris eſſe, Presbyteratum, ſeu Sacerdotium & ordinem eſſe, & Sacramentum: de his vero a Theologis ambigi, num Epiſcopatus, ac Diaconatus Sacramenta ſint a Sacerdotio re ipſa diſtincta, & num Oſtiariatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Acolytatus, & Subdiaconatus ſint meri Ordines, an etiam Sacramenta. De his in utramque partem diſputare, Theologorum munus eſt. Tu cum ſanioribus ita ſentias velim. Epiſcopatus, ac Diaconatus Sacramenta ſunt re ipſa a Sacerdotio diſtincta: minores autem Ordines, itemque Subdiaconatus Ordines quidem ſunt, non Sacramenta. Quod vero omnes, quotquot ſunt Ordines, ſuas ſinguli habent materias, & formas, id ne te tranſverſum agat; namque illæ, niſi de Divina etiam inſtitutione conſtet, non ſunt ad Sacramentum ſatis.

De Ordinis materia, & forma ſic Eugenius IV. in *Decret.*, *Materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem; & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem* (puta, in Acolytatu conferendo ceropherarii cum cereo, & urceolorum vacuorum, in Lectoratu libri Epiſtolarum, in [illegible]ſtatu libri Exorciſmorum, in Oſtiariatu clavium, & [illegible]rum) *Forma Sacerdotii talis eſt, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., & ſic de aliorum Ordinum [illegible], prout in Pontificali Romano late continentur* [illegible] ingenii ampliſſimus campus eſt, in quo

late

late ſpatiantur Theologi; primum enim Græcorum quum antiqua, tum moderna Euchologia cujuſque Ordinis materiam ſtatuunt ſolam manuum impoſitionem, formam vero orationem, quam recitat Epiſcopus manus imponens, nec tamen de vi Ordinum per Græcos collatorum Latina unquam dubitavit Eccleſia: deinde apud ipſos Latinos non videtur ante ſæculum X. traditio inſtrumentorum inducta: quod eorum, qui ante id tempus ſcripſerunt, ſilentio probat Morinus in Exercitationibus ſuis *de SS. Ordinat.*, & fortaſſe principio ea inſtrumenta jam ordinatis tradi cœperunt, ut, quam acceperant poteſtatem, traditione illa cognoſcerent: quam conjecturam confirmant Hugo a S. Victore *lib. 2. de Sacram. Fidei p. 3. c. 12.*, & P. Lombardus *l. 4. diſt.* 24. Poſtrêmo ipſas etiam res, ac verba, quæ tanquam materias, & formas Eugenius proponit, acerrimi judicii Viri haud eſſe *eſſentialia* contendunt: nec quidquam obturbare Eugenii IV. locum; non enim, ajunt, Eugenius in animum induxerat *eſſentiales* Ordinum materias, & formas Decreto ſuo Armenos edocere, quos illæ haud latebant, ſed ſolum peculiarem Eccleſiæ Romanæ ritum. Tu Theologos adi. Interim memoriam recole ejus, quod ſuperius tradidi, arbitrium eſſe Eccleſiæ novas Sacramentis adjicere conditiones, quas, ut ea valeant, ſervari opus ſit; id quod exemplo Matrimonii exploratiſſimum fit.

Ordinarius miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſcopus, inquit Eugenius *ibid.*: atque hoc potiſſimum nomine Epiſcopos Presbyteris potiores faciunt Epiphanius contra Aërium edĩſſerens *hær.* 56., Chryſoſtomus *Hom. 11. in ep. 1. ad Timoth.*, & Hieronymus *ep. 85. ad Evagrium*. Eugenius ait, *ordinarius*; namque minores ordines jure legitimæ præſcriptionis extra ordinem conferunt Cardinales in Parochiis, quas Romæ ſubjectas habent, ac jure ſingulari ſcripto Abbates, ſi tamen is, qui ordinandus eſt, Regularis ſit, ac ſubditus, *can.* 14. Concilii Nicæni II., & *cap.* 10. Tridentini *ſeſſ.* 23. *de Ref.* Porro Subdiaconos quoque ex privilegio ordinant Abbates nonnulli. Demum Diaconos ipſos, & vero etiam Presbyteros recte poſſe delegante Papa a Presbytero ordinari, & Gloſsæ in *can.* 4. *diſt.* 5. *de conſecr.*, & Canoniſtarum, Theologorumque multorum opinio fuit. Eorum teſtimonia congeſſit Morinus *de SS. Ordinat. p.* 3. *Exercit.* 4. *c.* 3. Jam vero unuſquiſque debet *a proprio Epiſcopo* ordinari: ſi ſecus fiat, *ordinantem a collatione ordinum per annum, & ordinatum a ſuſceptorum ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire*, *ſuſpenſum* pronunciat Synodus Tridentina *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 8. Ut autem conſtet, quis ſit Epiſcopus proprius, inter laicum, & Clericum diſtinguatur, neceſſe eſt. Et

laico

laico quidem olim liberum fuit a quocumque Catholico Epiſcopo ordinem ſuſcipere, inſcio etiam, ac vel invito Epiſcopo originis, eove, a quo fuerat baptizatus. Ita Origenes Alexandriæ natus in Paleſtina primum ordinatus eſt, nec Demetrius Epiſcopus Alexandrinus Origenī infenſiſſimus id unquam vitio vertit ſive Origeni, ſive Epiſcopo ejus ordinatori. Ita Hieronymus Antiochiæ ordinatus eſt, ubi nec natus fuerat, nec baptizatus. Ita Auguſtinus a *Tagaſtenſi Eccleſia*, quam *Patriam ſuam carnalem* dicit, *impoſitum ſibi Clericatum* negat *ep.* 223. Ne quis tamen putet, eos dimiſſorias literas ab Epiſcopis ſuis accepiſſe, id vetat, quod earum nuſquam ſit mentio. Accedit illud, quod multorum ſæculorum Canones, quum de exteris ſine Epiſcoporum ſuorum venia non ordinandis cavent, de Clericis tantum loquuntur. Concilium Carth. III. *can.* 21., Arauſicanum I. *can.* 8., Leo M. *ep.* 84., Concilium Aquiſgranenſe *an.* 789. habitum. Poſtremo diſertiſſime Auguſtinus tradit *ep.* 235., laudato canone Carthaginenſi *de ſolis Clericis ſtatutum*, *non etiam de laicis*. Quantum ad Orientalem Eccleſiam, auctor eſt Balſamon in Reſponſionibus ad Marcum P. Alexandrinum *Juris orient. tom.* 1. *p* 282. & 283., in Synodo Conſtantinopolitana Michaëlis Anchiali Patriarchæ primum de non ordinandis alienis laicis actum. Sed hic amovendus eſt obex. In *can.* 5. Concilii Carthagin. I., qui eſt apud Gratianum *diſt.* 71. *can.* 6. ſcriptum eſt, *Privatus* (in Decreto Gratiani eſt, *Primatus*) *Epiſcopus dixit. Suggero, ut ſtatuatis, non licere laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet* (in Decreto eſt, *obtineat*) *ſine conſcientia ejus Epiſcopi, de cujus plebe eſt. Gratus Epiſcopus* (Carthaginenſis, qui Carthaginenſi Concilio præerat) *dixit. Hæc obſervantia pacem cuſtodit; nam & memini, in ſanctiſſimo Concilio Sardicenſi* (cui is interfuerat) *ſtatutum, ut* [illegible] *alterius plebis hominem uſurpet*. Carthaginenſem Canonem haud diu ſteriſſe, Canone 21. Carth. III., atque Auguſtini [illegible] liquet. Sardicenſis Canon me diu, multumque [illegible] habuit. Quam tandem feci conjecturam accipe. De ſolis [illegible] Sardicenſi Concilio cautum ajo: Gratum autem memo[illegible]: denique Thomaſinum, qui *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. & Sardicenſis Concilii verba lectorum oculis ſubjicit, & iis de laico æque, ac de Clerico agi affirmat, lectoribus illudere voluiſſe. Ecce tibi ejus Concilii verba ex *can.* 18. & 19., qui ſunt apud Gratianum *can.* 1. *ead.* [illegible], *Nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi civitatis Eccleſiaſticum hom*[illegible] vel, uti in Concilio latine legi monent Correctores Romani, *E*[illegible] *miniſtrum*) *ſolicitare, & in ſua Diœceſi Clericum ordinare .... & hoc univerſi conſtituimus, ut quicunque ex alia Parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius ordinare, non ſit rata ordinatio.*

tio. Verba *Eccleſiaſticum hominem*, ſeu *miniſtrum*, & *alienum miniſtrum* meam mire adſtruunt opinionem. Quid quod eam Caroli M. Capitularia præclare confirmant? Capitularis 56. *an.*789. verba ſunt hæc, *In Decretis Leonis Papæ ſancitum eſt, & in Concilio Sardicenſi, ne Epiſcopus alterius Clericum ad ſe ſolicitet, nec ordinet.* Igitur diu in utraque Eccleſia proprius Epiſcopus is tantum fuit, qui primum aliquem Ordini Eccleſiaſtico adſcripſerat. Poſt annum milleſimum videtur ubique cœpiſſe proprius laici Epiſcopus eſſe Epiſcopus *originis*, aut *beneficii*: quam novam diſciplinam ſupponit Clemens P. IV., qui *an.* 1265. Pontifex creatus eſt, in *cap.* 1. *de temp. ord. in VI.*; ſed *originis* tamen ſignificationem mos Curiæ coanguſtavit, ut ſit locus, ubi ordinandus eſt natus, non item is, ubi pater ejus, licet poſteriore etiam ſenſu Civile jus *originem* dicat *l.* 6. §. 1. *ad municip.* Tum Bonifacius P. VIII., qui *an.* 1294. iniit Pontificatum, duobus illis tertium addidit titulum, puta, *domicilii* in *cap.* 3. *eod. in VI.* Eſt & titulus familiaritatis, de quo ad hunc modum Synodus Tridentina *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 9., *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſsit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim re ipſa illi conferat*. Nunc intelligis, quod *cap.* 10. *de Ref. ſeſſ.* 7., & *cap.* 2. ac 3. *ſeſſ.* 14. Tridentini Concilii ſancitum eſt, ne quis ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi literis ab Epiſcopo non ſuo ordinetur: quod idem de alienis Clericis per antiquos Canones cavebatur. Et quamquam *Tonſura* proprie non ſit Ordo, tamen Ordine latius accepto Tonſura etiam huc pertinet, *cap.* 4. *de temp. ord. in VI. Dimiſſorias*, *ſeu Dimiſſoriales* literas antiqui etiam Canones meminere, ſed ſenſu longe alio. Quoniam olim Clerici omnes vi ſuæ ordinationis ſic certæ Eccleſiæ addicebantur, ut ei deberent perpetuum inſervire, conſenſu Epiſcopi erat opus, ut poſſent in alienæ Eccleſiæ catalogum referri, nec impune erat alienum Clericum inſcio Epiſcopo retinere vel promovere, *d. can.* 21. Carthagin. III. Et quoniam nemo eſſe poterat duplici Eccleſiæ addictus, neceſſe erat Clericum ab Epiſcopo ſuo omnino dimitti, &, ut ita dicam, emancipari, ſicque omni ſolutum vinculo alteri Eccleſiæ addici. Atque huc ſpectabant veterum literæ dimiſsoriales. Concilium Carth. I. *can.* 5., & Trullan. *can.* 17. Duæ Dimiſſoriarum literarum formulæ, quarum alteram tanquam a Nicænis Patribus, alteram tanquam ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano editam in ſuum Decretum inſeruit Gratianus *can.* 1. & 2. *diſt.* 73., omnino ſuppoſititiæ ſunt. Noſtro hoc tempore dimiſſoriæ literæ in hunc finem dantur, ut ordinari Clericus poſſit ab Epiſcopo non ſuo; ſed is tamen vel poſt eas literas, ac poſt ſuſceptos alibi ordines per-

Digitized by Google

pertinet, ut antea, ad Epiſcopum ſuum. Igitur ordinis tantum gratia nunc dimittitur Clericus, *cap.* 8. *de off. Archidiac.*, & *cap.* 3. *de temp. ordinat. in VI.* Dandarum hujuſmodi literarum jus proprium eſt Epiſcopi, cujus eſt ordinare, *d. cap.* 8., ac 3. Quum autem ea, quæ ordinariæ jurisdictionis ſunt, vacante ſede ad Capitulum tranſeant, conſectaneum eſt, id etiam jus ad Capitulum tranſire, *d. cap.* 3. At jure noviſſimo Synodi Tridentinæ ſi quis *arctatus fuerit occaſione Beneficii Eccleſiaſtici recepti*, hoc eſt, ſi Beneficium obtineat, cujus gratia debeat intra certum tempus ad certum ordinem promoveri, aut ſi quis *arctatus fuerit occaſione Beneficii recipiendi*, hoc eſt, ſi nullum quidem Beneficium obtineat, ſed a Patrono præſentetur ad Beneficium, quod certum, præſentemque ordinem requirit; his a die, quo cœpit ſedes vacare, recte Capitulum dimiſſorias dabit, non aliis: poſt annum vero etiam aliis, qui titulum habent patrimonii, vel penſionis, ſi id Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas expoſcat, *ſeſſ.* 7. *de Ref. cap.* 10., & *ſeſſ.* 21. *cap.* 2.

Mares ſoli Ordinem valide ſuſcipiunt, non item fœminæ, quas *turpe eſſe in Eccleſia loqui*, ac *docere*, inquit Paulus 1. *ad Corinth.* 14., & 1. *ad Timoth.* 2. Diaconiſſarum ordinatio (*ordinationis* verbum uſurpo, namque *ordinari Diaconiſſam* Chalcedonenſis Conc. Patres ajunt *can.* 15.) licet per *manus impoſitionem* expediretur, *d. can.* 15., tamen mera erat cœremonia, qua vetulæ illæ piis quibuſdam miniſteriis deſtinabantur, uti dictum *lib.* 1., haud abſimilis benedictioni Abbatiſſarum, neque, ut Epiphanius loquitur *hær.* 79., *ad Sacerdotii functionem, aut ullam hujuſmodi adminiſtrationem* ſpectabat. *Epiſcopa*, *Presbytera*, ac *Diacona*, quarum mentio in Concil. Turonenſi II. *can.* 14., & 20., Antiſiodorenſi *cap.* 21., & apud S. Gregor. *lib.* 7. *ind.* 2. *ep.* 7. ſunt Epiſcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum uxores. In Eccleſia quum Occidentali, tum Orientali Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis interdictum uxores ducere; ſed utraque conjugatos, ſi alii deficerent, ordinavit, hoc tamen diſcrimine, quod in Occidentali poſt ſuſceptos ordines ſibi ab uxoribus temperabant, eaſque habebant ſororum loco, uti ex *can.* 33. Illiberitani Concilii, & *can.* 2. ac 3. Arelat. II.: quo etiam refer *l.* 44. *C. Th. de Ep. & Cl.*, quæ quum ad Præfectum Præt. Italiæ ſcripta ſit, ad Latinam Eccleſiam certe ſpectat: in Orientali vero uxoribus ſuis utebantur: in quam ſententiam accipienda ſunt verba Stephani P. III. in *can.* 14. *diſt.* 31., *Orientalium Eccleſiarum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur*, hoc eſt, uſu matrimonii antea initi non prohibentur. Facile quidem eſſet oſtendere, Orientalem Eccleſiam initio cum Occidentali conſenſiſſe; ſed nunc id non ago. Videſis Fr. de Roye *lib.* 1. *Inſt. tit.* 23. Erat certe diſcri-

crimen illud inter utramque Eccleſiam ævo Stephani III., qui *an.* 768. cœpit Romæ ſedere, & haud paulo ante id tempus invaluerat, ait enim Stephanus, *Aliter ſe Orientalium TRADITIO habet Eccleſiarum*. Solum Epiſcopum videntur Græci excepiſſe. *Uxor ejus* (inquit Trullanum Concilium *c.* 48.) *qui ad Epiſcopalem dignitatem promovetur, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt ac conſecratus, monaſterium ingrediatur procul ab Epiſcopi habitatione extructum, & Epiſcopi providentia fruatur*.

Ordinate eſſe ad ordines adſcendendum, ait Gregorius M. *lib.* 7. *Reg. ep.* 110.: quo ſpectat Caput Decretalium *de Clerico per ſaltum promoto*. Promoveri *per ſaltum*, quæ vox apud Eccleſiaſticos Scriptores eſt ſane vetus, extatque in *Decretis* Siricii *cap* 13., perinde eſt atque ab uno ad alterum ordinem adſcendere ordine inter utrumque medio omiſſo. De eo, qui *Subdiaconatus ordine poſtpoſito negligentia potius quam ſuperbia* Diaconatum, Presbyteratumque ſuſceperat, ita reſcripſit *Rumaldo* (apud Gratianum eſt, *Grimaldo*) *Conſtantienſi Epiſcopo* Alexander II. *can.* 1. *diſt.* 52., *Mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas, & ſic deinceps ad majora officia eum redire concedas*. Docemur hoc Alexandri reſcripto, poſſe Epiſcopum ſuper ea re diſpenſare, puta, ut ordinatus in ſuſcepto ordine miniſtret: quod ita eſt accipiendum ex definitione Synodi Tridentinæ *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 13., ſi per ſaltum promotus in ordine ſuſcepto non miniſtraverit: quod ſi vero miniſtraverit, Summi Pontificis diſpenſandi jus eſt. Omiſſus ordo ſupplendus omnino eſt, antequam in ordine ſuperiore Clericus miniſtret: ſicque fert Eccleſiæ diſciplina, ut id *quaſi* ad vim ipſam ſuperioris ordinis requiratur, etiamſi unus ex minoribus ordinibus omiſſus ſit. Verum eſt hæc non adeo vetus Eccleſiæ diſciplina: jamque a Morino perſpicue demonſtratum eſt *de SS. Ordinat. p.* 3. *Exerc.* 11. *cap.* 2., per multa Eccleſiæ ſæcula nihil fuiſſe opus minores ordines præmitti, omiſſoſque ſuppleri. Eſt quidem ſcriptum apud Gratianum *can.* 1. *diſt.* 77. ſub nomine Caii Papæ, *Mandamus, ut ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primum Oſtiarius, deinde Lector, poſtea Exorciſta* &c.; verum prodiit ea Epiſtola ex officina Iſidori Mercatoris.

Tria nunc reſtant pertractanda, Titulus, Tempus, & Locus ordinationis. Neminem *abſolute* ordinari, Chalcedonenſe Concilium juſſit *can.* 6. apud Grat. *can.* 1. *diſt.* 70., ubi *abſolute* ordinare eſt aliquem ordinare *ſine titulo*, uti loquitur Urbanus II. *can.* 2. *ead. diſt.* Hoc idem Synodus Ancyrana *can.* 18., Neocæſarienſis *can.* 13., & omnium ætatum Canones ſanxere. Eccleſiæ ab Eccleſiaſticis Scriptori-

ptoribus dictæ *Tituli* a titulis Martyrum, quibus dicabantur; unde aliquem ordinari *ad titulum* perinde erat atque ordinari cum deſignatione certæ Eccleſiæ, cui is addiceretur, ac perpetuum inserviret, ita ut ſi ea relicta *ad alium ſe locum transferret, deponeretur*. Conc. Arelat. *can.* 1., & *can.* 21. Ordinatorum tituli populo manifeſtabantur per Archidiaconum Epiſcopi nomine ea formula, quam ex Ordine Romano deſcriptam Romani Correctores dedere in *d. can.* 1., *De titulo S. Stephani eligimus Petrum Lectorem ad eundem titulum*. At enim Paulinus *ep.* 6. *ad Sever.* de ſe hæc habet, *Ea conditione in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari* a Lampio Barcinonenſi *adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer*: idemque de Hieronymo perhibetur. Sunt hæc quidem præter regulas facta; ſed exceptionis rationem in eo poſitam Thomaſinus tradit *p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 6. 7. & 8., quod ii per vim fuerint ordinati. Sane Paulinus *ep. ad Alip.*, *Per vim*, inquit, *inſtatæ ſubito plebis ſacratus ſum*: quod & de Hieronymo, & de aliis bene multis teſtatur hiſtoria: licere autem videbatur contra vim conteſtari, ne qua ſervitus ingereretur invitis. Hæc, quæ Thomaſinus habet, ut ſatis excuſent ordinatos, certe vero Ordinatores vix eſt ut excuſent. Vide quid mihi de hac re venerit in mentem. Adhiberi eam vim conſueviſse pientiſſimis, ſapientiſſimiſque viris, unde plurimum ſibi ſperabat Eccleſia, antiquitatis memoria docemur. Forte igitur ordinandorum virtus ac ſapientia id ab Epiſcopis impetravit, ut ne illi apud Ordinatorés perpetuo reſidere; certiſque ſervire Eccleſiis tenerentur: nec ſibi religioni ducebant Epiſcopi aliquid remittere de ſeveritate diſciplinæ, ut eós haberent Clericos, qui egregia pietate ac ſapientia ſua Eccleſiæ inſervirent univerſæ. Ita quod ſummo jure aliquid videbatur habere ex iniquo, publica utilitate rependebatur. Titulus ergo Eccleſia erat: neque alius præter Eccleſiam uſque ad ſæculum XII. ordinationis titulus fuit: quod poſt Thomaſinum Jueninus demonſtrat *diſſ.* 8. *de Ord. q.* 7. *c.* 3. Ab Eccleſiæ titulo prope aberat titulus Monaſterii, cujus quoque mentio extat in *d. can.* 6. Chalced. Concilii; quum enim antiquitus Monachi eſſent omnino laici, uti multis *lib.* 1., aut eorum unus, aut alius ſæcularis ordinabatur ad titulum Monaſterii, ut ſacra faceret in eo, adminiſtraretque Sacramenta. Nilus Eremita *Narratione* 4., Pallad. in *Lauſiacis cap.* 7. Porro eodem redibant Eccleſiæ titulus, ac titulus Beneficii, nam qui certæ addicebatur Eccleſiæ, ei alimenta præſtabantur de ejus Eccleſiæ reditibus: quæ præſtationes initio Beneficia fuere: qua de re inferius. Patrimonii titulus certe ſæculo XI. recentior eſt, ac fortaſſe etiam XII. At vero in iis Chalcedonenſis Concilii verbis, quæ ſunt apud Gratianum in *d. can.* 1. *diſt.* 70., *Neminem abſolute ordinari* &c.

niſi

niſi in Eccleſia civitatis, *ſive poſſeſſionis &c.*, Gloſſa, & plerique omnes Canoniſtæ & *Eccleſiæ*, & *patrimonii* titulum deprehendunt; *poſſeſſio* enim patrimonium eſt. Sed errori cauſſam dedit Græcæ linguæ ignoratio; Chalcedonenſes enim Patres habent, ἐν Ἐκκλησίᾳ πόλεως, ἢ κώμης, quæ ſic latine reddenda ſunt, *in Eccleſia urbis*, *vel pagi*. Si igitur τὸ *poſſeſſionis* expungas, legaſque *pagi*, jam patrimonii titulus abeſt ab eo Canone. Primus titulo *patrimonii* occaſionem videtur dediſſe Alexander P. III. in Concil. Lateranenſi III., quod *an.* 1179. habitum eſt, *cap.* 4. *de Præbend.* in hæc verba, *Niſi forte talis*, *qui ordinatur*, *extiterit*, *qui de ſua*, *vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*. Sed Alexandri III. mentem penitius intueamur. Primum is Epiſcopum ſine titulo ordinantem tamdiu neceſſaria ordinato ſubminiſtrare pœnæ nomine jubet, donec ei in aliqua Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet: tum continuo ſubdit, *Niſi forte* &c., quibus verbis non patrimonii titulum inſtituit Alexander, ſed ſpeciem proponit, qua Epiſcopus ea pœna liberatur. Negari tamen haud poteſt, occaſione ejus Canonis titulum patrimonii mox inductum fuiſſe; nam poſteriores Canones titulum patrimonii, vel Beneficii indifferenter tulere, *cap.* 23. *eod.* Sed indifferentiam iſtam videtur ſuſtuliſſe Synodus Tridentina *ſeſſ.* 21. *de Ref. cap.* 21., ubi *ſtatuit*, *ne quis Clericus ſæcularis ad ſacros Ordines promoveatur*, *niſi prius legitime conſtet*, *eum Beneficium Eccleſiaſticum*, *quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat*, *pacifice poſſidere* . . . *Patrimonium vero vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint*, *niſi illi*, *quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum*: quibus ex verbis liquido apparet, recte pronunciatum a S. Congregatione Concilii interprete apud Fagnan. in *d. cap.* 4. *de Præbend. num.* 24., ex ſententia Synodi Tridentinæ Beneficii quidem titulum *legitimum*, atque *ordinarium*, titulum vero patrimonii extraordinarium eſſe, ac veluti *ex diſpenſatione* admitti. Ne quis tamen putet, patrimonii titulo inſtituto deſiiſſe Clericos certo titulo vi ordinationis adſcribi, facit eadem Tridentina Synodus, quæ *ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Ref.* Textum Canonem Chalcedonenſem confirmat, & errones clericos averſatur. Eadem nunc eſt Eccleſiæ mens, quæ olim fuit. Id ea ſemper habuit ratum fixumque, ordinari Clericos, ut Eccleſiæ deſerviant, eoſque, ut primum ordinantur, certis Eccleſiis in reliquum vitæ tempus defigi. Illud extra omnem dubitationem eſt poſitum, inde uſque a ſæculo XIII., quum patrimonii titulus jam erat inductus, veterem eam loquutionem *ordinari ad titulum*, quæ antea ſonabat, *ordinari ad certam Eccleſiam*, cœpiſſe idem ſonare, atque *ordinari cum certo proventu ad vitam honeſte ſuſten-*

Digitized by Google

ſtentadam idoneo. Hinc poſteriorum temporum Canones, licet de Clericis certæ Eccleſiæ addicendis non taceant, tamen ubi de ordinationis titulo agunt, in id anxie inquirunt, num Clericus Beneficium Eccleſiaſticum, aliave bona habeat, quæ *ſibi ad victum honeſte ſufficiant, ne cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere* compellatur. Trident. *d. ſeſſ. 21. cap.* 2. Non eſt hic prætereundum, a veteribus Canoniſtis quæſitum, an minores etiam Clerici titulo opus haberent: tandem vero Tridentinos Patres *d. ſeſſ. 21. c. 2.* ſolis majoribus Clericis tituli neceſſitatem impoſuiſse. Minoribus Clericis aſſignari ſtipendia juſserunt *ſeſſ. 23. c. 17. ex aliqua parte redituum ſimplicium Beneficiorum, vel fabricæ Eccleſiæ*: quod omnino aliud eſt a titulo. Eſt & aliquid addendum de pœnis, quas contra ordinationes ſine titulo Canones conſtituere. Eas antiqui Canones, qui apud Gratianum proſtant *diſt. 70.*, *vacuas*. atque *irritas* pronunciant: quod ad *effectum*, ſeu *uſum*, non ad ipſam *vim* ordinis referendum eſt. Suſpendebantur igitur ſine titulo ordinati, futuri, ſi ordinis munia exercerent, irregulares. At jure Decretalium remiſſius actum eſt, juſſique tantum Epiſcopi alere majores Clericos ſine titulo ordinatos, *cap.* 2. 4. & 16. *de Præb.*, & *cap. 36. eod. in VI.* Tridentina Synodus *innovare* ſe ait *antiquorum Canonum pœnas*: quo verbo eam ad jus Decretalium ſpectaſſe, non ad Decretum Gratiani, S. Congregatio ejus Synodi interpres declaravit apud Fagnanum in *cap. 16. de Præbendis num.* 63. Et quamquam Sixtus V. in Bulla *Sanctum, & ſalutare* Decreti Gratiani pœnas recentavit; tamen Sixti Bullam abrogavit poſterior Clementis VIII. Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem*. Quod ſi vero Clericus obtruſo per fraudem falſo titulo ordinatus eſt, in hac ſpecie ſtare adhuc antiquas Decreti pœnas, eadem Sacra Congregatio reſpondit apud Fagnanum *n.* 68.

Tempus tria continet, nempe tempus ipſum, quo conferri ordines debent, ordinum interſtitia, atque ætatem ordinandorum. S. Leo *ep. ad Dioſcorum Alexandrin. Epiſcop.* in Decreto Gratiani *can.* 4. & 5. *diſt.* 75. contra antiquam traditionem eſſe inquit, *Sacerdotalem*, quæ vox ad Presbyteros, & Epiſcopos pertinet, *vel Leviticam ordinationem paſſim diebus omnibus celebrari*: tum addit, *His, qui conſecrandi ſunt, nunquam benedictio, niſi in die Dominicæ reſurrectionis tribuatur, cui a veſpera Sabbati initium conſtat adſcribi*. Sunt qui hoc loco loqui Leonem putant de die Paſchatis, & Sabbato Sancto. Eos manifeſti erroris arguit Paſchaſius Quenellus in *d. ep.*, quæ in Quenelliana editione undecima eſt. De quolibet Sabbato, ac de quolibet Dominico die illum loqui, duo ſunt quæ demonſtrant. Unum eſt, Sabbatum Sanctum

Digitized by Google

ctum Leonis ævo diem fuiſſe ſolenni Baptiſmo, Cathechiſmoque dictum, ut proinde veriſimile ſit, non potuiſſe eodem die ordinationes expediri. Alterum eſt, nec Gelaſium, cujus locum mox dabo, neque alium mediæ ætatis Scriptorem, quibus locis de temporibus ordinationum ediſſeruere, Sabbatum Sanctum meminiſſe. Canoniſtis Eccleſiaſticarum antiquitatum imperitis fraudi fuit illud Leonis, *in die Dominica reſurrectionis*. Verum quis eſt hoc tempore, quem fugiat, olim quemlibet diem Dominicum *reſurrectionis diem* appellatum? Succeſſit Gelaſii P. Conſtitutio in *ep. 1. ad Epiſcopos per Lucan. cap. 13. d. diſt. can. ult.*, qua Presbyterorum, & Diaconorum ordinationes quaternis vicibus in annos ſingulos fieri cautum eſt, puta, *jejunio menſis quarti*, hoc eſt, Junii (namque olim Chriſtiani etiam a menſe Martio annum auſpicabantur) *ſeptimi*, hoc eſt, Septembris, *decimi*, id eſt, Decembris, & *quadrageſimalis initii*, id eſt, primæ hebdomadæ Quadrageſimæ. Atque hæc ſunt ſolennia quatuor temporum jejunia, quorum ante Gelaſium nuſquam mentio: Calixti autem Epiſtolam apud Gratian. *can. 1. diſt. 76.*, qua de iis jejuniis agitur, apocrypham habe. Porro quod Gelaſius inquit, ordinationes per ea tempora celebrandas *Sabbati jejunio circa veſperam*, eodem ipſo ſenſu explicandum eſt, quem expreſſerat Leo, nempe Dominico die, aut nocte, ſeu veſpera Sabbati, quæ ad Dominicam ſpectat. Sed dein Leonis, ac Gelaſii loca Sabbati Sancti inter ordinationum tempora referendi occaſionem dedere. Nullam Leo ac Gelaſius mentionem faciunt Subdiaconorum, aliorumque minorum Clericorum; namque horum ordinationes per multa Eccleſiæ ſæcula nulla certa tempora habuere, uti ex Ordine Romano Gratianus tradit *can. 6. diſt. 75.* Præcedere jejunium voluit Eccleſia *ex Apoſtolica doctrina*, namque Apoſtolos Paulo, & Barnabæ jejunantes & orantes impoſuiſſe manus, ſacris literis conſignatum, Leo ait *d. can. 5.* V. *Act. c. 13.* Atque hic monendi ſunt Parochi, ut id fidelem populum edoceant, in eum maxime finem quatuor temporum jejunia Eccleſiam inſtituiſſe, ut is per ea pœnitentiæ opera recte poſſit bonos Eccleſiæ miniſtros a Deo exorare. Variam ſuper iis jejuniis Eccleſiæ diſciplinam dat Gratianus *diſt. 76.*, in quam Romani Correctores multa ſapienter adnotarunt. Modernam do ex Placentina Synodo ſub Urbano II. habita *ann.* 1094. apud ipſum Gratian. *can. 4.*, *Statuimus, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum in initio Quadrageſimæ: ſecundum in hebdomada Pentecoſtes: tertium vero in Septembri: quartum in Decembri more ſolito fiat.* Minorum ordinum aliis diebus Dominicis, feſtisve uni, aut duobus conferendorum jus eſt, *cap. 3. de temp. ord.*, non item majorum, niſi ex Pontificia diſpen-

ſatio-

ſatione, quæ ſi deſit, ordinatus uſu ordinis ſuſpenditur, quoúſque ab Epiſcopo ſuo reſtituatur, *cap. pen. eod.* Uni, inquam, aut duobus; hos enim numeros exprimit Alexander III. in *d. c.* 3. Sed locum hunc ita accipiunt Canoniſtæ, licere Epiſcopis duos, tresve, aut etiam plures ordinare, modo ii generales non celebrent ordinationes.

Porro *uniuscujuſque ordinis gradum habere*, jubet Synodus Sardicenſis *can.* 10. *non minimi temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & conſtantia, & moderatio poſſit cognoſci*. Spatia hæc temporis, quæ interjici inter unum atque alterum ordinem debent, *interſtitia ordinum* appellantur: ſuntque hæc non in majoribus ſolum, ſed in minoribus etiam ordinibus ſervanda. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. 14. & 17. Jus idem in Eccleſia olim fuiſſe, probant Siricii, ac Zoſimi Epiſtolæ apud Gratian. *diſt.* 77. *can.* 2. ac 3. Extat quidem *can.* 1. Caji P. Epiſtola in eamdem ſententiam; ſed ea, ut dictum, νόθον ſapit. Hoc tantum nova diſtat a veteri diſciplina, quod, uti jam præmonui, nunc nemo poſſit ad ſacrum ordinem proſilire, quin omnes, quotquot ſunt, minores ordines ſuſceperit: at vero antiquitus, ſi quem in uno, pluribusve minoribus ordinibus probari non oportere Epiſcopus arbitrabatur, quod fidem ejus, ac pietatem plerique omnes ſatis perſpectam haberent; eum, eosve ordines omitti impune eſſet. Morin. *d. p.* 3. *Exerc.* 11. *c.* 2. Licet autem recte interdum omitterentur, nunquam tamen recte poterant uni plures nullo inter eos interpoſito ſpatio dari: qua de re abunde Thomaſinus *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 35. Minorum ordinum interſtitia Epiſcopi arbitrio permiſit Tridentina Synodus; quod tamen arbitrium tam late patere haud debet, ut ſine gravi cauſſa omnino nulla interjiciantur. Quantum ad majorum ordinum interſtitia, olim Clericus IV. annis (male in *can.* 2. *diſt.* 77. legitur *XIV.*) in Subdiaconatu, qui tamen olim inter minores ordines erat, annis V. in Diaconatu eſſe jubebatur, *d. can.* 2., & *can.* 3. *ead. diſt.* At Tridentini Patres *per annum ſaltem* in Subdiaconatu, perque idem tempus *ad minus* in Diaconatu verſari Clericum voluerunt, *niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videretur*, *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. & 14. Ordinandorum ætas non ſemper eadem fuit. Olim fuiſſe productiorem, tum eſſe contractiorem cœpiſſe, patet ex *diſt.* 77. & 78. Gratiani, *cap.* 7. *§.* 2. *de elect.*, *c.* 14. *eod. in VI.*, & *Clem.* 3. *de ætat. & qualit. ord.* Fuſiſſime hoc argumentum perſequitur Thomaſin. *d. l.* 2. *c.* 67. & *ſeqq.* Jure Concilii Tridentini Clericus XXII. ætatis anno ordinari Subdiaconus poteſt, Diaconus XXIII., Presbyter XXV., *ſeſſ.* 23. *c.* 12. Locus ordinationis temporibus perſequutionum non Eccleſia ſolum erat, ſed & privata quælibet domus, ubi non

rato clanculum peragebatur. Cyprian. *ep.* 45. 52. 68. Sed poſt ea tempora ſolenne eſſe cœpit, ut publice in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia expediretur: quo factum, ut prius ejici catechumenos oporteret, *can.* 5. Laodiceni Concilii. Hæc de majoribus ordinibus cauta ſunt. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Cæterum minores etiam extra ſacrum locum licere conferri, Pontificale Romanum inquit.

TITULUS VIII.

DE MATRIMONIO.

Quam Romani Juriſconſulti dedere, eam ipſam Matrimonii definitionem Canones uſurpant. Eſt igitur maris, ac fœminæ conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens, *cap.* 11. *de præſumt.* Addam & illud ex Eugenio IV., quod rationem explicat Sacramenti, & *conjunctionem Chriſti*, atque *Eccleſiæ* ſignificans. Eſt & Contractus, & Sacramentum. Contractus Principum legibus, Sacramentum legibus Eccleſiæ regitur. Hinc & Eccleſiæ, & Principum impediendi, ac dirimendi juſtas ob cauſſas matrimonii Religionis, Reiq. publicæ bono poteſtas eſt: quod & D. Thomas *lib.* 4. *contr. Gent. c.* 78., & Sanchez *de Matrim. tit.* 7. *diſſ.* 3. *n.* 2., & integris Opuſculis Launojus, ac Gerbeſius demonſtrarunt. Sed jam inde a ſæc. XII. Chriſtiani Principes cœpere curam abjicere impedimentorum, quæ *dirimentia* nuncupantur.

Nuptias conſenſu fieri, ait Ulpianus in *l.* 3. *de R. J.*: idemque repetit Innocentius *cap.* 23. *de ſponſal.* Atque hunc ipſum conſenſum aut verbis, aut, ſi quis mutus, ſurduſve ſit, quavis alia voluntatis ſignificatione edita expreſſum, ſeu, quod idem eſt, hunc ipſum civilem contractum Sacramenti Matrimonii materiam eſſe, receptior opinio fert. De forma, ac Miniſtro hujus Sacramenti non idem omnibus. Miniſtrum fecere ſolum Sacerdotem Theologorum, & Canoniſtarum doctiſſimi. Sententiam illi ſuam adſtruunt luculentiſſimis Patrum omnis ævi teſtimoniis, quæ duo hæc habent, & ſponſis benedici per Sacerdotes debere, & ea benedictione ſanctificantem gratiam produci: quæ duo & Sacerdotem hujus Sacramenti Miniſtrum, & verba Sacerdotis eſſe formam, evincunt: quæ confirmare videtur Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Sacerdotis autem nomine intellige Parochum, non originis, ſed domicilii, aut quemvis alium Sacerdotem, cui a Parocho, aut Epiſcopo venia adminiſtrandi Matrimonii ſit data. Trident. *cap.* 3.

Impedimentorum alia *impedientia* tantum dicuntur, quod impe-

impediant quidem, ne matrimonium contrahatur, ſed contractum non dirimant, alia etiam *dirimentia*, quod & contrahendo obſtent, & dirimant contractum. Inter impedientia fuit aliquando *Catechiſmus*, hoc eſt, ſpiritualis cognatio inter patrinum *catechiſmi*, & eam, quæ offertur baptizanda, *c. 5. de cogn. ſpir.*, & *c. 2. eod. in VI.* Duplex eo tempore patrinus ad Baptiſmum adhibebatur, unus, qui dicebatur *catechiſmi*, quod is catechumenum ſuſciperet erudiendum, offerretque baptizandum: alter, qui Baptiſmo aderat, baptizatumque de fonte emergentem ſuſcipiebat. Quo primum tempore huic diſciplinæ initium ſit factum, non liquet. Certe ejus in antiquis Canonibus veſtigium nullum. Hygini P. de ea teſtimonium, quod extat *can. 100. de conſecr. diſt. 4.* ex apocryphis veterum Pontificum Epiſtolis deſcripſit Gratianus. Impedimentum hoc ſuſtuliſſe videntur Tridentini Patres *ſeſſ. 24. de Ref. cap. 2.*, ubi de ſpirituali cognatione agentes, hanc ſpeciem omittunt, neque ullam præter expreſſas impedimento dein futuram, diſerte ajunt. Hoc tempore impedimenta impedientia quatuor ſunt. Primum eſt *Eccleſiæ vetitum*, hoc eſt, legitimum judicis Eccleſiaſtici interdictum de nuptiis non contrahendis *tit. Decretal. de matrim. contracto contr. interdict. Eccl.* Secundum eſt *tempus feriatum*, quod & *tempus clauſum* nuncupatur. Id erat olim publicæ pœnitentiæ tempus, ut dictum, ac tempus Quadrageſimæ. Synodus Laodicena apud Gratian. *can. 8. cauſ. 33. q. 4.*, & Nicolaus P. *can. 11. ead. cauſ. & q.* Erant olim & alia, uti ex Concilio Ilerdenſi (a) *can. 10. ead. cauſ. & q.*, quo ſpectat etiam *cap. 4. de fer.*, ac Salegunſtadienſi *cap. 3.* Sed deferveſcens Chriſtianorum caritas fecit, ut tempus illud Synodus Tridentina contraxerit *ſeſſ. 24. de Ref. cap. 10.* Noviſſimo igitur jure *ab adventu Domini uſque in diem Epiphaniæ, & a feria IV. cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſivè* procurrit. Tertium ſunt *ſponſalia*, ut ajunt, *de futuro* cum alio contracta. Sane ſponſos fidem præſtare & lex de pactis ſervandis, quæ naturæ vox eſt, & Gregorius IX. jubet in *cap. 31. de ſponſal.* Dixi, *de futuro*, quæ enim *de præſenti* dicuntur, ea ipſum matrimonium ſunt, & novum matrimonium non impediunt ſolum, ſed etiam dirimunt, *d. cap. 31.* Utrumque ſponſaliorum genus habes apud eundem Gregorium. Sponſalia *de præſenti* rident Hotomanus *diſp. de ſponſalib. cap. 7.*, & A. Matthæus *manud. ad jus Canonic. lib. 2. tit. 6.* Verum, uti jam

(a) *Ilerdenſe Concilium an. 524. habitum Canones edidit ſexdecim de Eccleſiaſtica diſciplina, eorumque nullus id habet, quod ex eo Concilio tradit in ſuo Decreto Gratianus.*

Digitized by Google

rectiſſime monuerat Panormitanus in *d. cap.* 31., matrimonium, quod *ratum* dicunt, *ſponſalia de præſenti* appellari mos eſt non conjugalis *vinculi* ratione, namque eſt id jam colligatum, ſed ratione ipſius *exequutionis*, quæ corporum conjunctio eſt. Loquutionem hanc in vulgus probari, & ſæpe vulgares loquendi modos ipſis Romanis Juriſconſultis probatos notius eſt, quam ut id demonſtrari exemplis ſit opus. Quid quod ipſi veteres Romani ſponſalia de præſenti, qualia exhibent Canones, haud videntur ignoraſſe? Tradit id perbelle Huber *obſ. jur. lib.* 2. *c.* 8., quem vide. Nunc de Sponſalibus, & Proclamationibus nonnulla. *Sponſalia* ſunt futurarum nuptiarum promiſſio alteri facta, *cap.* 32. *de ſponſal.* Quod *veteribus moris fuiſſe*, ſcribit Ulpianus *l.* 2. *de ſponſ.*, *ſtipulari*, *& ſpondere ſibi uxores futuras*, id Chriſtianis etiam ſemper moris fuit, nec licere non præmiſſis ſponſalibus matrimonio jungi, ait Synodus Forojulienſis *c.* 8., quum quia periculi plena res eſt ſe ſe perpetuo vinculo temere implicare, tum quia comparare ſe ſponſi debent ad gratiam Sacramenti. Ea mutuo conſenſu perficiuntur, *cap.* 14. *de deſp. imp.*; quoniam autem ea ſunt Sacramenti Matrimonii præambulum quoddam, publice apud Parochum celebrari, paſſim jubent Rituales libri. Impuberes, ſi non ſint ſeptennio minores, recte ſponſalia contrahunt, *l.* 14. *de ſponſal.*, *cap.* 4., *cap.* 13. *de deſp. imp.*, & *cap. un. eod. in VI.*, & recte etiam parentes impuberum, puberumve filiorum nomine futuras nuptias paciſcuntur, pactoque parentum tenentur filii, ſi expreſſus horum, tacitusve conſenſus ſponſalibus aut contrahendis, aut jam contractis accedat, *d. cap. un. §. ult. eod.* Sponſalia diſſolvunt mutuus ſponſorum conſenſus, *cap.* 2. *de ſponſal.*, longior alterutrius abſentia, *cap.* 5., ingreſſus in Religionem, *cap.* 16., in quod interpretem adhibe Cujacium, ſubſequens alterutrius cum alio, aliave fornicatio in ejus gratiam, qui innocens eſt, *cap.* 25. *de jurejur.*, itemque inſignis, & conſtans alterutrius deformitas, quæ ſupervenit, *d. cap* 25., aliæque nonnullæ juſtæ cauſſæ. Sponſalia ſubſequuntur *Proclamationes*, ſeu *Banna*, quæ vox Gallorum propria publica edicta ſignificat, uti Cujacius in *c.* 27. *eod.*, & Du Cange in *Gloſſario*. Parochos utriuſque contrahentis proprios *tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia*, quo tempore frequens eſt populi conventus, denunciare jubet Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 1., *inter quos matrimonium ſit contrahendum*. Proclamationes has eo fine ab Eccleſia inſtitutas, Concilium Lateranenſe tradit in *cap.* 3. *de clandeſt. deſponſ.*, ut ita, ſi quod lateat legitimum matrimonii impedimentum, poſſit Eccleſiæ patere. Proclamationum originem faciunt antiquiſſimam nonnulli, quos ſequitur Jueninus *diſſ.* 10. *de Matrim. q.* 5. *c.* 2. ob locum

Ter-

Tertulliani *lib. 2. ad uxor.* ſub finem, ubi inquit, *Matrimonium*, puta, futurum, *Angeli*, hoc eſt, Epiſcopi, qui *Angeli* dicuntur in Apocalypſi, *renuntiant*, ſubaudi, populo. At vero apud Tertullianum τὸ *Angeli* proprie accipiendum eſſe, & id probat, vix eſſe, ut ea vox alio ſenſu in Eccleſiaſticis monumentis occurrat; & contextus ipſe orationis oſtendit; ait enim, matrimonium, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, *ab Angelis* renunciari, atque *a Patre*, puta, cæleſti ratum haberi. Proclamationum antiquitas ſatis meo quidem judicio adſtruitur hoc argumento, veriſimile non eſſe, veteres Epiſcopos, qui ut ſibi de eorum, qui eligebantur, fide ac moribus conſtaret, populi teſtimonium publice rogabant, futurum matrimonium populo non denunciaſſe, quum alia facilior haud ſuppeteret ratio, qua de legitimo impedimento eis liqueret. Jacobi Cujacii opinio eſt, futuri matrimonii denuntiandi morem ex Gallicana Eccleſia originem duxiſſe. Movere Cujacium Innocentii III. verba ad Belſacenſem Epiſcopum, quæ extant integra in IV. Decretalium Collectione, ſed non integra deſcripſit Raymundus in *d. cap. 27.*, *Bannis, ut tuis verbis utamur, in Eccleſiis ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ editis*. Verum verba hæc id probant, antiquiſſimum proclamationum uſum perpetuo ſtetiſſe in Eccleſia Gallicana, in pleriſque aliis deſiiſſe: tum eum exemplo Gallicanæ Eccleſiæ ad alias rediiſſe. Huc refero Concilii Lateranenſis III. decretum ſub eodem Innocentio III. in *d. cap. 3. de clandeſt. deſponſ.*, quo *ſpecialis quorundam locorum* (fortaſſis Eccleſiæ Gallicanæ) *conſuetudo* futuri matrimonii denuntiandi ad alia *generaliter* producitur. Lateranenſis Canon in multis Hiſpaniæ Eccleſiis abiit in deſuetudinem: quod habet Dominici Soti liber *de Sacramentis*; ſed antiquam diſciplinam in Hiſpaniis reſtituit Synodus Tridentina.

Impedimenta *dirimentia* ſunt numero quindecim. Primum eſt *error*, qui dicitur *perſonæ*, puta, quum is, cum quo contrahitur, omnino alius eſt ab eo, qui creditur, *tot. q. 1. cauſ. 29.*: idque naturali rationi conſentaneum eſt. Error, qui dicitur *fortunæ*, itemque error, qui dicitur *qualitatis*, quum circa ea verſentur, quæ ad ſubſtantiam contractus non pertinent, Matrimonio nihil obſtant, niſi error qualitatis in perſonam redundet, qua de re D. Thomas in *4. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 2. ad 5.* Secundum eſt *Conditio*, puta ſervilis. Leges quidem nullas ſervorum nuptias adgnovere, uti fuſe in *Commentariis* meis in *Libros Civilium Inſtitutionum*. Eccleſia Leges imitata ſervorum quaſi conjugia præter voluntatem dominorum inita fornicationum loco habuit. Fuit hæc certa Eccleſiæ ſententia ſaltem uſque ad IX. ſæculum, uti ex Concilio Cabilonenſi II., quod

an. 813.

an. 813. habitum eſt, apud Gratianum *can.* 8. *cauſ.* 29. *q.* 2. At ſæculo XII. jam de ea re dubitarunt Petrus Lombardus *lib.* 4. *ſent. diſt.* 36., & Eborardus Archiepiſcopus Salisburgenſis. Sed eo ipſo ſæculo XII. contraria primum invaluit diſciplina; namque Adrianus P. ab eodem Salisburgenſi Archiepiſcopo conſultus matrimonia ſervorum invitis etiam dominis contracta valere reſcripſit *cap.* 1. *de conjug. ſerv.* Quod ſi vero in conditione erretur, puta, ſi contrahatur cum ſervo, qui liber putatur, licet error non redundet in perſonam, nulla matrimonii vis eſt, *cap. ult. eod.*: quod vetus jus eſſe probat Juſtiniani *Nov.* 22. *cap.* 10. Tertium eſt *votum* caſtitatis, quod *ſolenne* appellatur, nempe, quod in Religione per Apoſtolicam Sedem approbata eſt emiſſum, quodque ſacro ordini ineſt, uti Bonifacius VIII. definivit in *cap. unic. de voto in VI.* Per quinque priora ſæcula haud fuiſſe nulla ſaltem ubique eam ob cauſſam matrimonia, intelligi poteſt ex Innocentio I. *ep.* 2. *ad Victricium Rothomagenſem cap.* 12., Leone M. *ep.* 82. apud Gratianum *can.* 1. *cauſ.* 20. *q.* 3., & Auguſtino *de bono viduitat. cap.* 10., cujus verba deſcripſit Gratianus *can.* 41. *cauſ.* 27. *q.* 1., ſententiam vero per compendium dedit *can.* 2. *diſt.* 27. In Hybernia aliud jus fuit ex *can.* 17. Concilii Hybern. I. At ſæculo VI. jam dirimebatur eo voto matrimonium. Gregor. M. *lib.* 6. *ep.* 9. *ad Vitalian. Epiſcopum Sipontinum*. Idem habent poſteriorum temporum Canones. Hic te id monitum volo, duo hæc voti epitheta *ſimplex*, & *ſolenne* in antiquis Canonibus nuſquam extare, eaque haud multo antiquiora eſſe Gratiano, cujus tamen ævo receptiſſima erant. Tò *ſimplex* voto additum in Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis apud Gratianum *can.* 3. *diſt.* 27., ipſius Gratiani additamentum eſſe, jam Romani Correctores adnotarunt. Quartum tertio affine eſt *Ordo*. Per XI. Eccleſiæ ſæcula, & fortaſſe uſque ad *an.* 1123. nullus Canon Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ac Subdiaconorum matrimonia irrita pronunciavit. Id primum videtur pronunciaſſe Canon 21. Lateranenſis I., quod *an.* 1125. eſt habitum: idque *an.* 1148. Remenſe Concilium confirmavit *can.* 7., & *an.* 1176. Lateranenſe III., tandemque Tridentinum *ſeſſ.* 24. *can.* 9. Quod vero Lateranenſis I., ac Remenſis Concilii Patres idem antea per Canones cautum ajunt, id de jure moribus recepto explicandum eſt; nam ſcriptum de ea re jus non extat: jamque eorum, qui Eccleſiaſtica prope mille annorum monumenta perluſtrarunt, judicium id eſt, eam conſuetudinem ſæculo X. inductam. Quintum eſt *Cognatio*, de cujus lineis, & gradibus ex jure Civili a nobis actum *lib.* 1. *Civil. Inſtit.* Qua regula in linea recta cognationis gradus ſupputant Leges, ea ipſa regula Canones ſupputant. At vero in linea tranſverſa alia juris Civilis, alia eſt regula

gula

gula Canonici juris. Jure Civili in linea tranſverſa ſive æquali, ſive inæquali tot ſunt gradus, quot perſonæ demto ſtipite: jure Canonico, ſi æqualis ſit linea, collaterales eo gradu diſtant inter ſe, quo a ſtipite communi: ſi inæqualis, eo gradu, quo remotior a ſtipite. Fuſe de hac re Gratianus ad calcem *q. 5. cauſ.* 35. De hoc legum, & Canonum diſcrimine videſis Alexandri II. epiſtolam in Decreto Gratiani *can. 2. cauſ. 35. q. 5.*, & Contium *ad tit. de grad. in fin.* Van Eſpen *p. 2. tit. 13. c. 5. n.* 9 ac 10. & Cujacii conjecturam probat, olim Eccleſiam regulas juris Civilis omnino ſequutam; & teſtimonio motus Alexandri II., qui a nonnullis ſuo ævo quæſitum de ea re ſcribit *d. ep.*, diſcrimen illud ſæculo XI. ſatis quidem notum fuiſſe, ſed non omnino certum, nec receptum ubique arbitratur. Ego conjecturam Cujacii haud longe a veri ſpecie abeſſe ajo; diſcrimen tamen illud multo ante ſæculum XI. & exploratiſſimum fuiſſe, & receptiſſimum contendo. Primum enim eos, qui unam eandemque eſſe juris utriuſque regulam ajebant, Alexander *legum & Canonum imperitos* appellat, ac facere inquit *contra ſacros Canones, & Eccleſiaſticum morem*, eorumque errorem *novum* eſſe, & *inauditum*. Deinde Zacharias P., cujus Pontificatus incidit in annum 741., duos germanos fratres *primum efficere gradum*, inquit *can. 4. cauſ. 35. q. 5.*, quæ computatio eſt juris Canonici propria. Quin Cujacius in *tit. de conſangu. & affin.* hoc idem a Gregorio P. jam ante Zachariæ tempora cautum ait ob *can.* 20. *cauſ. 35. q.* 2. ac 3., & *can. 3. q. 5.* Sed de auctore Canonis 20. eſt cur ambigant Critici, neque is illud habet, quod ex eo Cujacius docet: Canon autem 3. Zachariæ eſt, non Gregorii: quod Romani Correctores recte monent. Id ex *d. c.* 4. haud obſcure intelliges, Zachariam de ea re ſic loqui, ut eam non a ſe primum ad eum modum definitam oſtendat. In recta cognationis linea in infinitum: in collaterali inter fratres, ac ſorores naturalis pudor conſiſtere nuptias non patitur: qua de re *lib. 1. Inſt. Civ. tit.* 10. Quantum ad alias cognatorum nuptias, diu Eccleſia Imperatorum leges ſequuta eſt: eaſque ſequebatur ævo Auguſtini, uti Auguſtinus ipſe teſtatur *de Civ. Dei lib. 15. cap.* 16., qui maxime locus argumento eſt, Fabiani, ac Julii Epiſtolas, quæ apud Gratianum ſunt *cauſ. 35. q. 2.*, omnino ſuppoſititias eſſe. Sed & eædem ſuppoſititiæ Epiſtolæ argumento eſſe debent, ætate Pſeudo-Iſidori, qui eas confinxit, impedimentum cognationis ad ſeptimum lineæ tranſverſæ gradum jam fuiſſe productum: quin ex Gregorii P. reſponſione ad ſextam Auguſtini Anglorum Apoſtoli interrogationem in *d. can. 20. cauſ. 35. q. 2.* & 3., in quem v. Correctores Romanos, & ex *ep. 32. lib.* 12., modo & hæc Epiſtola, & reſponſio illa Gregorii ſint, luculentiſſime apparet, ſub

exi-

exitum ſæculi VI. cœpiſſe impedimentum illud ultra leges ex-tendi ad ſeptimum gradum : quæ diſciplina uſque ad ſæculum XIII. ſtetit. Tandem illud Innocentius III. ad quartum gradum *incluſive* contraxit *cap.* 8. *de conſanguin.*: quo jure nunc utimur. Atque hæc de cognatione naturali, quam Canones *conſanguinitatem*, ac *propinquitatem* dixere. Eſt & *legalis*, & *ſpiritualis* cognatio. Legalem parit adoptio: deque ea Gratianus in *can.* 6. *cauſ.* 34. *q.* 3., & Raymundus in *cap. un. de cogn. leg.* Ea tota eſt juris civilis, quod Canones deſcripſere. V. dicta in *cit. tit.* 10. Ad exemplum legitimæ ſpiritualis cognatio inſtituta eſt, namque ſpiritualis filius adoptivi loco eſt habitus *l.* 26. *C. de nupt.*, & *can.* 1. *cauſ.* 30. *q.* 3. Contrahitur autem ſpiritualis cognatio Baptiſmo, & Confirmatione. Solius Baptiſmi meminere Juſtinianus *d. l.* 26., Synodus VI. in Trullo *can.* 35., & Nicolaus I. *d. can.* 1.: ſed & Confirmatione cognationem hanc contrahi ſupponit Concilium Compendienſe *an.* 757., non *Vermerienſe*, ſeu *apud Vermerias*, uti habet Gratianus *can.* 2. *cauſ.* 30. *q.* 1., & diſerte tradit Bonifacius VIII. *cap.* 1. & *ult. de cogn. ſpirit. in VI.* Ante Synodum Tridentinam ſpiritualis cognatio multo latius patebat: quod videre eſt apud Gratianum *cauſ.* 30. *q.* 3. & 4. At Tridentini Patres, quod experti didicerant, late patente cognationis ſpiritualis impedimento ſæpe per errorem matrimonia contra jus fieri, quæ nec ſine peccato ſtabant, nec ſine offenſione dirimebantur, ad hunc modum caverunt, cognatione, quæ ex Baptiſmo eſt, patrinos, ac baptizatum, hujuſque patrem, ac matrem, ac porro baptizantem, & baptizatum, hujuſque patrem ac matrem contineri, præterea neminem: idemque de ea cognatione conſtituerunt, quæ ex confirmatione eſt, *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. Sextum eſt *Adfinitas*, de qua etiam dictum *cit. tit.* 10. Jure Romano Adfinitatis nulli propriè ſunt gradus, *l.* 4. *§.* 5. *de grad. & adfin.*: ac ſicubi graduum adfinitatis habetur mentio, ibi abuſio eſt nominis, *l.* 10. *pr. ff. eod.* At jure Canonico ut conſanguitatis, ita adfinitatis ſunt gradus ex ratione cognationis deducti quodammodo, ac derivati, uti Cujacius loquitur ad *tit. Decretal. de conſang. & adfin.*, ſecundum hanc regulam, quo gradu quis cognatus eſt viro, eo eſt adfinis uxori, & viciſſim, *can.* 3. *cauſ.* 35. *q.* 5. Deinde jure Romano *conjungendæ adfinitatis cauſſa fit ex nuptiis*, *d. l.* 4. *§.* 3.: jure Canonico ex quavis copula etiam illicita, *cap.* 8. & 9. *de eo, qui cognovit conſanguin. uxor.* Demum genus unum adfinitatis Leges adgnovere, nempe quo cognatus viri eſt adfinis uxori, & viciſſim, Canones autem genera tria, quæ diligenter enarrat Cujacius ad *tit. de conſang. & adfin.* Steterunt ea uſque ad ſæculum XIII., quo tandem ſæculo Concilium Lateranenſe IV. genus unum adfinitatis retinuit *can.* 50.,

nem:

nempe, quod unum admiſerat Civile jus, atque adfinitatis impedimentum jure eodem cenſeri juſſit, quo impedimentum conſanguinitatis. At Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. de Ref. c. 4.* adfinitatis impedimentum, quod ex illicita conjunctione eſt, *ad eos tantum* reſtrinxit, *qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur*. Septimum eſt *publica honeſtas*, hoc eſt, reverentia certis perſonis debita. Hæc facit, ut ſi quis cum aliqua matrimonium, quod *ratum* dicitur, nec *conſummatum*, aut ſi ſponſalia etiam de futuro contraxit, dummodo hæc *pura* & *certa* ſint, *nec nulla ex defectu conſenſus*, uti Bonifacius VIII. loquitur in *cap. un. de ſponſal.*, cum conſanguineis uxoris, ſponſæve ſuæ matrimonio jungi vetetur, ac, ſi jungatur matrimonio, nihil actum intelligatur. Hujus impedimenti antiquitatem adſtruunt nonnulli ex Julii Papæ Decreto *can. 15. cauſ. 27. q. 2.* Sed Decreti hujus ſubleſta fides eſt. Vetus eſſe oſtendit ejus origo in jure Civili haud obſcure expreſſa, de qua jam ante Alexium Symmachum Mazochium omnigenæ eruditionis virum aliquid aliis ſubolueſrat; ſed ſi quæ pauca habent alii cum iis conferas, quæ is ſubtiliter, & copioſe ediſſerit de ea re *Diatrib. 1. in can. Illiberit. 54. not. VI.*, impedimenti hujus originem ei uni deberi totam, jure dicas. Et ſane laudat *l. 12. §. 1.*, & *l. 14. §. 4. de rit. nupt.*, & *§. 9. Inſt. de nupt.* Addit Novellas Alexii Comneni Conſtitutiones tertiam, & quartam apud Gothofredum in *Corp. jur. Civ.*, in quibus de impedimento honeſtatis agitur ex ſententia *veteris legis*: quam in *Addendis in d. Diatrib.* omnino eſſe legem Romanam feliciter demonſtrat. Jam prope exciderat locus Modeſtini, quem idem Vir ſummus laudat, in *l. 42. eod.*, *In conjunctionibus non ſolum quid liceat, conſiderandum eſt, ſed & quid honeſtum ſit*; verum hunc ad rem non facere, mox oſtendam. Id inter Canonicum, & Civile jus diſcrimen eſt poſitum, quod hoc jure inter eos ſolum, qui ſunt loco parentum, ac liberorum, illo etiam inter eos, qui ex latere ſunt, honeſtas impedimento ſit nuptiis. Diſcrimen alterum inter Canonicum, & Civile jus videtur intercedere; namque in Romanis legibus vocabulo honeſtatis id videtur intelligi, quod *non oportet, etiamſi liceat*, uti uſurpem Tullii verba *pro Balb.*; in Canonibus vero quod fieri non licet, quodque, ſi fiat, infecti loco eſt. Diſcrimen hoc noviſſime propoſuit Clariſſimus Mazochius laudato loco. Sane Tribonianus in *d. §. 9.* *conſtare* inquit, *nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe, rectius tamen, & jure facturos eos, qui ab hujusmodi nuptiis abſtinuerint*: ubi *vi rectius* ſuadentis, non imperantis vox eſt. Hanc Triboniano ſententiam affinxit Theophilus; quem & J. Gothofredus in *l. 197. de R. J.*, & interpretes multi Inſt. ſequuti ſunt, cuique a Cl. Mazo-

chio ſubſcriptum. Ego, ſi quid eſt in me judicii, ſic ſentio, nihil fuiſſe per Canones Romano juri derogatum in hac parte. Ulpian. *d. l. 12. §. 1. & 2.*, *Inter me*, inquit, *& ſponſam patris mei nuptiæ contrahi non poſſunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur. Sed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit; quamvis nurus non proprie dicatur.* Paulus quoque *l. 14. §. 4. eod.*, *Ejus*, inquit, *matrem, quam ſponſam habui, non poſſe me uxorem ducere, Auguſtus interpretatus eſt.* In duobus hiſce Pandectarum locis impedimenti honeſtatis extare veſtigia, jam vides; ſed honeſtatem, ad quam ea referuntur, neceſſariam honeſtatem eſſe, ac talem omnino, qualem Canones expreſſerunt, contendo. Ut ita ſentiam, faciunt eæ formulæ, *Nuptiæ contrahi non poſſunt: Sponſa mea patri meo nubere non poterit: Non poſſe me uxorem ducere*: quæ formulæ neceſſitatem imponunt, & certe talem, ut ſecus facere nullo modo liceat, factumque infectum habeatur. Hanc, ubi de nuptiis agitur, frequentem eſſe earum formularum ſignificationem, ex *tit. ff. de rit. nupt.*, ac *tit. Inſt. de nupt.* luculentiſſime patet (*a*). Conſiſtam in *d. l. 14.*, quam de non neceſſaria honeſtate Cl. Mazochius interpretatur. Congerit Paulus §. 4. ejus *l.* exempla nonnulla nuptiarum, quæ fieri non poſſunt, factæque non conſiſtunt. Eorum exemplorum numero ſunt nuptiæ cum matre ejus, quam ſponſam habui: ut proinde omnium una eademque eſſe ratio debeat. Porro Paulus primum ait, *Nunc videamus* &c. *ut ſciamus, quas non liceat ducere*: tum ſubjicit exempla nuptiarum, quæ contrahi *non poſſunt*; ut hinc intelligas *non poſſe* idem omnino eſſe, ac *non licere*. Jam vero quod *non licere* dicitur apud Juriſconſultos ejus, ſi fiat, nullus ut plurimum effectus eſt. Quid quod prior Alexii Comneni Novella hactenus dicta præclare confirmat? In ea de impedimento honeſtatis ex *veteri lege* ſic agitur, ut quod honeſtum, id ſit etiam neceſſarium. Ibi ſcriptum eſt, *veterem legem non ſinere*: & mox de eadem lege ſcriptum eſt, eam *prohibitarum perſonarum catalogum feciſſe*. Addam argumentum meo quidem judicio maximum. Honeſtatem jam uſque ab antiquis Eccleſiæ temporibus neceſſitatem fuiſſe, Cl. Mazochius inquit. Id mihi argumento eſt, eandem fuiſſe Romano jure vim honeſtatis; exploratum eſt enim, antiquam Eccleſiam in iis nuptiarum impedimentis, quæ communia habuit cum jure Civili, leges Principum plerumque ſequutam: quod

(a) *Interdum in jure, ſed perquam raro* non poſſe *nubere eſt* non honeſte, *aut* non impune *nubere, licet nuptiæ conſiſtant. Hæc eſt ejus formulæ vis in l. 11. §. 1. & 2. de his, qui not. inf.*

quod & Cujacius docuit, & ego hoc ipſo titulo admonui: ut ſtatui recte videatur poſſe; ſi dubium ſit Civile jus, optimam ejus interpretem antiquam Eccleſiam eſſe. Et ita quidem Eccleſia in ſpecie, de qua quæritur, jus Romanum interpretata eſt. Argumentum, quo id probaturus ſum, eidem Cl. Mazochio profiteor me debere. Producit is in *Addendis* Synodicam Johannis Xiphilini Patriarchæ Conſtantinopolitani Conſtitutionem in hæc verba, *Quum jus Civile* (in *d. l.* 12. §. 1., & in *d.* §. 9. *Inſt.*, uti rectiſſime Mazochius) *patris, atque filii ſponſam filio vel patri OMNINO conjungi VETET* &c. Quid ſit autem *omnino vetare*, tute intellige. Quantum ad conſanguinitatis lineas & gradus, jure Canonico novo, quod ex Iſidoriana Collectione enatum eſt in Occidente, juri Romano derogari videtur cœpiſſe. Et ſane quod impedimentum jure Juſtinianæo intra certas parentum liberorumque perſonas ſubſiſtebat, id ad conſanguineos ex latere jure Canonico novo productum eſt, & ad gradum uſque ſeptimum exemplo impedimenti adfinitatis. Ad novum iſtud Canonicum jus ſpectat Julii Papæ Decretum in *d. can.* 15., quod plane apocryphum eſt, qualia etiam eſſe alia, quæ a Gratiano in eam rem proponuntur, jam monuit Van Eſpen *p.* 2. *tit.* 13. *cap.* 6. *n.* 26. Theophilo, ac diligentiſſimo Mazochio fraudi fuit Triboniani locus *d.* §. 9., quem nemo ad hunc diem pro dignitate enarravit. Quæ ſunt huc uſque ex Romano jure diſſertata, videri ſatis cuique poſſunt, ut Triboniani ſeu incuriam ſeu inſcitiam accuſet. At nihil eſt, cur Triboniano iraſcamur. Num is hortanti ſimilis jubet? Id primum mihi venit in mentem; namque in libris juris *ſuadet æquitas*, & *æquitas exigit* unum idemque ſunt; & in *l.* 8. *C. de liberal. cauſ. hortabitur* ſonat idem quod *compellet*, uti bene legunt Græci. Sed magis eſt, ut τὸ *rectius* non συγκριτικῶς poſitum dicamus, illudque interpretemur *recte*: quod non eſt in jure novum. Ulpianus *l.* 11. §. 6. *de inſtit. act.*, *Quum magis hic cuſtodis ſit loco, quam inſtitoris*: & Pomponius *l.* 10. *pr. de aur. arg. leg.*, *Id videtur legaſſe, quod magis illius, quam communis uſus cauſſa paratum eſſet*: quæ huc redeunt, *Cuſtos eſt, non inſtitor*: *Illius, non communis uſus*. Sexcenta alia Pandectarum loca tacitus prætereo. Ejuſdem loquutionis exempla apud eundem Tribonianum occurrunt §. 5. *de cap. min.*, *Quibus dignitas magis quam ſtatus permutatur, capite non minuuntur*, hoc eſt, *dignitas, non ſtatus*: & §. 1. *quib. mod. re contrah. obl.*, *Is, qui ſolvendi animo dat, magis diſtrahere voluit negotium, quam contrahere*, hoc eſt, *contrahere, non diſtrahere*: quo etiam pertinet § 6. *de oblig. quæ quaſi ex contr.* Fortaſſe magis appoſitum eſt exemplum ex *l.* 66. §. 7. *ſoluto matr.*, & ex *l.* 82. *de ſolut.*, ubi *melius æquius* eſt *bonum æquum*. Jam ſi

rectius exponas *recte*, Tribonianum eo loco neceſſitatem impoſuiſſe dicas, neceſſe eſt; namque Impp. Marcus, & Commodus in *l.14. de off. Præſid.* Scapulam Tertyllum *recte facturum* reſcripſere, quod officio ejus omnino continebatur. Similia juris loca laudat Briſſonius *de V. S.* Niſi Triboniani locus in hanc ſententiam accipiatur, vix eſt, ut convenire ei poſſit cum Ulpiano, qui eandem ſpeciem pertractans ait, *Nuptiæ contrahi non poſſunt: Sponſa nubere non poterit*. Re igitur conſentiunt Leges, & Canones: verbo ſolo differunt inter ſe, nuſquam enim in jure Civili, quantum memini, *honeſtatis* vox extat, ubi de hoc agitur impedimento. Nec quidquam obturbant Modeſtini verba in *d. l. 42.*, quæ nullum legitimum matrimonii impedimentum, ſed ſolam exprimunt non neceſſariam honeſtatem; in iis enim de non honeſto agitur, quod tamen licet: idque genus honeſtatis Canones pariter ac Leges adgnoſcunt. Ecce, nuptiæ jure Civili intra annum luctus valent quidem, ſed honeſtæ non ſunt, *l. 1. & 2. C. de ſecund. nupt.*: quo exemplo recte mihi videor aperuiſſe ſententiam Modeſtini. Simile eſt exemplum concubinatus, quod adfert Rævardus in *d. l. 197.* Concubinatum jure Romano licitum, ſat norunt omnes: id ſi quis ſatis compertum non habet, adeat Cujac. in *l. 4. de concub.* ex *lib. 21. Reſp. Pauli*. Ei, quæ in concubinatu eſt, ab invito patrono licet diſcedere, & alteri ſe dare in concubinatum, *l. 1. de concub.*; id tamen honeſtum non eſt, unde libertam id facientem Marcellus ſcribit *l. 41. de rit. nupt.*, *matrisfamilias honeſtatem non habere*. Proprie ad exemplum hoc concubinatus ſpectaſſe Tribonianum ajo, quum Modeſtini fragmentum Pandectis inſeruit; namque illa Marcelli verba de liberta, quæ ſe in concubinatum tradidit alterius quam patroni, *Matrisfam. honeſtatem non habuiſſe dico*: in quæ deſinit *l. 41*; illa, inquam, verba proxime excipit locus Modeſtini, *In conjunctionibus &c.*, quæ verba initium faciunt *l. 42.* Hinc vix eſt, ut doctiſſimo Mazochio adſentiar poſt *a*ᵉ *conjunctionibus* addenti *connubialibus*. De quibuslibet licitis conjunctionibus loquitur Juriſconſultus, non de ſolis nuptiis. Venio ad jus Canonicum, quo valent nuptiæ filiorumfam. injuſſu parentum initæ, ſed non ſunt tamen honeſtæ. Synodus Trident. *de Ref. ſeſſ. 24. c. 1. pr.* Primum Canones, ubi de nuptiis cavent, *honeſtatis*, quæ neceſſitas eſt, videntur meminiſſe: Sed & ipſi Romani Juriſconſulti aliud tractantes vocem illam eadem notione interdum uſurparunt. *Convenire honeſtati heredis*, Paulus ſcribit *lib. 3. ſent. tit. 5. §. 2.*, *mortem teſtatoris inultam non prætermittere*. Jam quod *honeſtati conveniens* Paulo dicitur, id in *l. 1. C. de his, quib. ut indign.* Severo & Antonino dicitur *debitum officium pietatis*, cui contrarium eſt *crimen inul-*

Digitized by Google

inulta mortis *l.* 6. *C. eod.* Publicæ honeſtatis impedimentum intra quartum gradum coerceri videtur cœpiſſe, poſtquam Concilium Lateran. III. conſanguinitatem, & affinitatem quarto gradu concluſit. Tandem Synodus Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3. impedimentum honeſtatis ex ſponſalibus quoquo nomine nullis omnino ſuſtulit; ex validis vero conſiſtere juſſit intra primum gradum. Quod autem loquatur ea Synodus de Sponſalibus, quæ proprie dictitant *de futuro*, uti a Pio V. declaratum eſt *an.* 1568. in Bulla, quæ incipit *Ad Romanum*; conſectaneum eſt, impedimentum, quod oritur ex matrimonio rato, adhuc eſſe intra fines a Lateranenſi Concilio præſcriptos. Octavum eſt Crimen, quod duplex eſt, Adulterium, & Homicidium. Adulteram nubere adultero non potuiſſe jure Romano, liquet ex *l.* 11. §. 11., & *l.* 40. *ad L. Jul. de adult.*, & *Nov.* 134. *c.* 12. Secundum Civile jus, quod certe ſequebatur Eccleſia, ſcriptum eſt ab Auguſtino *lib.* 1. *de nupt. c.* 10., *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt, cum quo prius adulterium fuit*. Male apud Gratianum *can.* 2. *cauſ.* 31. *q.* 1. omiſſa negatione legitur, *fieri poteſt*: uti a Romanis Correctoribus adnotatum. Idem Triburienſis Concilii Patres tradidere *an.* 895. *can.* 51. apud eundem Gratianum *ibid. can.* 3., quem perperam Gratianus adſcribit Concilio apud Althæum habito præſente Conrado Rege, quod nuſquam extat. Solo adulterio matrimonium dirimi, diu docuit Eccleſia ex ſententia Romanæ legis. At poſtquam Gratianus veteres Canones his conditionibus coarctavit, *ſi* adulter *nihil in mortem viri machinatus fuerit, vel ſi vivente viro fidem adulteræ non dedit, ſe ſumturum eam ſibi in conjugem, ſi viro ejus ſuperviveret*, quæ ejus verba ſunt poſt *can.* 3. *eod. cauſ.* & *q.*; ſecundum eum jus Canonicum Decretalium cavit *cap.* 6. & *pen. de eo, qui dux. in matrim. quam polluit per adult.* Haud videri quidem Alexandrum III. in *cap.* 1. *eod.* Gratiani conditiones tanquam neceſſarias admiſiſſe, oſtendit verbum illud, quo utitur, *& illam MAXIME*, ſed eas ut neceſſarias admiſit Innocentius III. in *d. cap.* 6. Homicidio quoque dirimitur matrimonium; ſi enim conjux conſpiratione cum tertio facta conjugem neci dedit, matrimonio jungi cum tertio illo non poteſt, *c.* 1. *de converſ. infidel.* Rem totam fuſe, & perſpicue tradit Juenin. *diſſ.* 10. *q.* 7. *cap.* 5. Nonum eſt *cultus diſparitas*. Cultu diſpares ſunt baptizatus, ac non baptizatus. Inter hos non ſine Religionis Chriſtianæ detrimento nuptias iniri, multis a Tertulliano demonſtratum eſt *lib.* 2. *ad uxor. c.* 2. Eas contrahere idem eſſe, ac *proſtituere cum gentilibus membra Chriſti*, ajebat Cyprianus *c.* 2. *de lapſ.* Quam ſevere ſtatuerit in eas Synodus Eliberitana, habes *can.* 15. Sed nullus extat vetus Canon,

qui

qui eas non valere pronunciet. Quin conſtitiſſe S. Monicæ Auguſtini matris cum Patricio ethnico homine, & Clotildis cum Clodovæo Francorum Rege ethnico etiam homine matrimonium, in confeſſo eſt apud omnes. Aliud fuiſſe jus Græcorum, colligere eſt ex Trullano *can.* 72. in quem v. Balſam., & Zonar. Poſtremo conſuetudine inductum eſt, ut fidelium conjugia cum infidelibus irrita haberentur: quod circa ſæc. XII. Eccleſiæ univerſæ jus erat. V. Juenin. *c.* 6. *art.* 2. §. 2. Decimum eſt *metus*, hoc eſt, *inſtantis vel futuri periculi cauſſa mentis trepidatio*, *l.* 1. *quod met. cauſ.*, & metus quidem *non vani hominis*, *ſed qui merito & in hominem conſtantiſſimum cadit*, *l.* 6. *eod.* Licet autem qui metu agit, non videatur nolle, tamen quia omnino libera eſſe matrimonia, Reip., & vero etiam Religionis intereſt, ea metu contracta prorſus ſunt nulla, ſi tamen injuſtus ſit metus, & exterius inferatur, & in eum ſolum finem, ut nuptiæ fiant, *c.* 15. 17. & 28. *de ſponſal.*, & *cap.* 2. *de eo, qui dux. in matrim.* Undecimum eſt *ligamen*, hoc eſt, matrimonium ſive conſummatum, ſive dumtaxat ratum cum conjuge adhuc vivo. Polygamiam, quam dicunt *ſimultaneam*, non humano tantum, ſed & naturali jure interdictam, oſtendi in *tit. de nupt. lib.* 1. *Civ. Inſt.* Adde, quæ graviter in eam rem differit Wiſenbachius in *l.* 2. *C. de inceſt. nupt.* Duodecimum eſt *Impotentia* perpetua, quæ finem matrimonii fruſtratur. Ad faciendum impotentiæ periculum, Juſtinianus primum biennium, tum triennium a celebrato conjugio dilabi juſſit *Nov.* 22. *c.* 6. Idem triennium Canones probarunt, *cap.* 5. *de frigid. & malef.* Decimumtertium eſt *Raptus*. Jure Civili rapta raptori nubere non poterat, licet tum rapta conſentiret, *l. un. C. de raptu virg.*: quod jus Regum Francorum Capitularia confirmarunt, nempe *cap.* 69. *lib.* 6. & *cap.* 395. *lib.* 7., quod male ex Aquiſgranenſi Concilio propoſuit Gratianus in *can.* 11. *q.* 2. *cauſ.* 36. At vero circa ſæc. XI. ratum haberi cœpit matrimonium cum rapta, ſi hujus accederet conſenſus: quod novum jus habes apud Innocentium III. in *cap.* 7. *de raptor.* Quod autem præſumi non debeat, raptam, quouſque in manu raptoris eſt, libere conſentire, *inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium*, Tridentina Synodus decrevit *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Decimumquartum eſt *Clandeſtinitas*, puta, ſi quis *aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium* contraxerit. Trident. *d. ſeſſ. cap.* 1.

TI-

Digitized by Google

TITULUS IX.

DE ECCLESIIS.

POpuli conventus ad ſacra, vel civilia pertractanda *Eccleſia* vocabulo ſignificatur: ſed & uſu receptum eſt, ut locus ipſe, in quem Chriſtiani precaturi, aut ſacris operaturi conveniunt, *Eccleſia* vocaretur: quo ſenſu Synagogis Judaicis, ac Templis Ethnicorum opponebatur. Eundem locum Eccleſiaſtici Scriptores dixere *Oratorium*, quod primum publicæ Eccleſiæ, tum privati ſacelli nomen fuit, uti ex Euſeb. *lib.* 10. *c.* 3., & Juſtin. *Nov.* 58.: *Dominicum*, hoc eſt, Domum Dei; unde *Dominicum aureum* Antiochiæ cœptum a Conſtantino, deinde a Conſtantio abſolutum apud Hieronym. in *Chronic.*: *Baſilicam*, hoc eſt, Regias ædes ad cauſſas audiendas., aliumve publicum uſum poſitas: cujus nominis origo inde repeti videtur poſſe, quod poſt Conſtantinum M. multæ Baſilicæ Chriſtianis fuere ad Eccleſiaſticos conventus datæ: *Titulum*, quam vocem exemplo Fiſci arripuiſſe Chriſtianos, Baronii conjectura eſt ad *an.* 112. *n.*5.; quemadmodum enim Fiſcus impoſito titulo, hoc eſt, velis quibusdam Imperatoris imagine aut nomine inſcriptis rem ſibi addicebat, ita Chriſtiani Crucis imagine, aut Chriſti nomine Eccleſiæ inſcripto locum Divino cultui dictum ſignificabant: *Templum*: qua voce poſt ſæculum III. uſi ſunt primum Chriſtiani, antea abſtinuerunt; quod ea propria eſſet paganorum; unde illud Aureliani Imp. apud Vopiſcum, *Perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in Templo Deorum tractaretis*. Hinc illud in Origenis, Minucii Felicis, Arnobii, ac Lactantii libris haud rarum, *Chriſtianos Templa non habere*. Denique ſi quam Eccleſiam ſuper alicujus Martyris ſepulcrum extruebant, ſi quam ædificabant in memoriam alicujus Apoſtoli, aut Prophetæ, eam *Martyrium*, *Apoſtoleum*, vel *Propheteum* Chriſtiani dixere. Quod ab antiquis Patribus ſcriptum dixi, *Chriſtianos Templa non habere*, id moderniores quoſdam criticos in eam opinionem adduxit, Templorum uſum ſæculo III. recentiorem apud Chriſtianos fuiſſe. At ab ipſis Eccleſiæ primordiis Templorum originem arceſſit Medus peculiari *Diſſ.*, cujus veluti compendium quoddam habes apud Binghamum, qui & ſua quædam in eandem ſententiam addit argumenta *Origin. Eccl. lib.* 8. *c.* 1. §. 13. & *ſeqq.* Selectiora ſunt numero quatuor. Primum eſt. In iis Pauli verbis *ep.* 1. *ad Corinth c.* 2., *Num domos non habetis ad edendum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* τὸ *Eccleſiam* interpretantur locum ipſum, quo Chriſtiani conveniebant, Chryſoſtomus,

mus, Sedulius, Oecumenius, ac Theophilactus in Paulum. Secundum eſt. Therapeutas inde uſque a temporibus Marci loca quædam ad Divinum cultum ſecreta habuiſſe, ſcriptum eſt apud Euſeb. *lib.* 2. *cap.* 17. Tertium eſt. S. Ignatius *ad Philadelphian.* *n.* 4., *Unum*, inquit, *altare*, *ſicut unus Epiſcopus*, ubi altaris mentio certum ad res ſacras locum ſupponit. Quartum eſt. Alexander Severus, *quum Chriſtiani quendam locum*, *qui publicus fuerat*, *occupaſſent*, *contra popinarii dicerent*, *ſibi eum deberi*, *reſcripſit* apud Lampridium *c.* 44., *melius eſſe*, *ut quomodocumque illic Deus colatur*, *quam popinariis dedatur*. Quod vero Origenes, aliique ajebant, Chriſtianos Templa non habuiſſe, id ita accipiendum multis docet Medus, talia eos non habuiſſe Templa, qualia gentes habuere. Antiquiſſima Templa ſubruſtica erant, & rara, qualia fidelium paupertas, ac paucitas, temporumque formidoloſorum ratio patiebatur. Tum aucta fidelibus, atque oblationibus Eccleſia, ac decreſcente Chriſtiani nominis invidia ornari cœperunt, ac frequentari. His duplex acceſſit cauſſa; Chriſtianorum Imperatorum, & quumprimis Conſtantini munificentia, qua ſumtu vere Regio multa extructa ſunt, & Edicta de paganorum Templis in Eccleſias convertendis, quæ proſtant ſub *tit. Cod. Th. de Paganis*. Vetus Eccleſiæ forma, & ſitus non ſemper idem. Eccleſiam voluit *oblongam*, *navi ſimilem* Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 2. *c.* 57. Contra Conſtantinus Eccleſiam ſuper Chriſti ſepulcrum in monte Golgotha rotundam, Antiochiæ octo laterum æqualium, Conſtantinopoli ad formam Crucis poſuiſſe perhibetur. Euſeb. *de vit. Conſtant. lib.* 3. *c.* 38., & 50., Nazianz. *tom.* 2. *carm.* 9. Plerumque Apoſtolica Conſtitutio ſervata eſt. De ſitu hæc addit laudatus Auctor ibidem, *Orientem verſus*. Et vero ut plurimum Eccleſiæ frons ad Occidentem, Sanctuarium ad Orientem ſpectabat, alicubi tamen Sanctuarium ad Occidentem, alicubi neque ad Occidentem, neque ad Orientem. Socrat. *lib.* 5. *c.* 22., Uſſer. *ep.* 49. Jam Eccleſia aut latius, aut arctius accepta. Arctius accepta ea omnia ædificia comprehendebat, quæ erant intra parietes: ejuſque partes tres *Narthex*, quo loco erant Pœnitentes, & Cathecumeni, *Naos*, ubi Communicantes erant, & *Bema*, quo loco erant Clerici ſacris operantes. Latius acceptæ alius erat exterior *Narthex*, qui *Veſtibulum*, & *Atrium*, ſive *Aream* comprehendebat; atque hic etiam pars Eccleſiæ, ac proinde aſylum, *l.* 3. *C. de his*, *qui ad Eccleſ. Veſtibulum* erat primus aditus, inter quem & Eccleſiam anguſtiore ſenſu acceptam interponebatur area ſolis tecta lateribus quatuor, quæ Porticus cingebant. In media Area fons erat, quo fideles Eccleſiam ingreſſuri manus & os abluebant, Euſebio teſte *lib.* 10. *cap.* 4., quo ritu *aqua benedictæ* uſus ſatis contra

tra

Digitized by Google

tra hæreticos vindicatur. Priuſquam Eccleſiæ inferri cadavera cœpiſſent, in area, aut porticibus condebantur. Concil. Nannet. *can.* 6. Aream proxime ſequebantur Portæ Eccleſiæ, quas ingredienti occurrebat interior *Narthex*. Narthecem excipiebat *Naos*, hoc eſt, *Eccleſiæ Navis*, quam a Narthece ſeparabant repagula quædam lignea portis pervia. Navim iſtam *quadratum populi oratorium* dixere Theodoſius, & Valentinianus *l. 4. C.Th. eod.*, quod quadrata ut plurimum eſſet. Erat in Navi editior quidam locus, qui & *Pulpitum* dicebatur, & *Ambo*, qua voce veteres Græci faſtigia montium deſignarunt. In ea a mulieribus viri ligneis parietibus ſecernebantur, quod aperte Chryſoſtomus inquit *Hom. 74. in Matth.*: & hoc plus apud Græcos viri infra, mulieres deſuper in ſolariis erant, uti non obſcure Gregorius Nazianz. *ſomn. de Templo Anaſtaſiæ*: eaque ſolaria Græcis dicta Κατηχούμενα, quod ex eo loco in Eccleſia verbum Dei, atque Eccleſiaſtica officia mulieres audirent. Du Freſn. *in Paul. Silent. p.* 550. Navi ſuccedebat *Bema*, quod & *Sanctuarium*, & *Sacrarium*, & *Presbyterium*, & *Chorus* appellatur. Cancellis muniebatur, uti nunc munitur, ne, quo tempore Divina celebrabantur officia, laicis ad eum locum aditus pateret. Cancelli κιγκλιδωτοί, hoc eſt, portulis pervii erant: portulas autem, & ſpatia cancellorum obtegebant vela quædam, quæ Athanaſio *ep. ad ſolitar. vela Eccleſiæ*, Syneſio *ep. 67. ad Theophil. vela myſtica* dicuntur. Hinc *velotyra*, βηλόθυρα, de quibus v. Cangium in *Gloſſ. Græc. barb.* In hac Eccleſiæ parte erat *Altare*, ſeu *ſacra menſa*, uti nunc eſt. Lignea primum fuere Altaria Chriſtianorum, quod facile eſt multis Patrum teſtimoniis comprobare. Quod ſuſpicatur Bona *rer. liturg. lib. 1. cap. 20. n. 1.*, temporibus perſequutionum lapidea etiam fuiſſe, id nullo idoneo teſte affirmari, ait Binghamus *§. 15.* Sed a veri ſpecie haud longe abeſt, Chriſtianos lapideis quoque tunc uſos; poterat enim quandoque difficillimis iis temporibus ligneorum occaſio deeſſe. Certe tamen ævo Conſtantini lapidea frequentari Altaria cœperunt, quæ & argentea interdum fuere. V. Hoſpinian. *de Templis*. *Exedræ*, ſeu exteriora Eccleſiæ Ædificia, contigua tamen Eccleſiæ, erant *Baptiſterium*, quod ad VI. uſque ſæculum inter Exedras fuiſſe, eodemque ſæculo intra ipſam Eccleſiam conſtitui cœpiſſe, docet ex Gregorio Turonenſi Durantus *de rit. Eccl. lib. 1. c. 19.*: *Diaconicum*, ſeu *Secretarium*, puta, *Diaconicum magnum*, quo adſervabantur ſacra veſtimenta, vaſa, ac reliqua Eccleſiæ ſupellex, uti Du Freſn. *ibid. p.* 593.: nam quod *Diaconicum Bematis* dicebatur, id intra Eccleſiam erat, eoque a Diaconis, quæcumque erant ad ſacram Liturgiam opus, de Diaconico magno adferebantur, ut ad manum eſſent: de quo Auctor *Chronici Alex. p. 390. edit. Par.*: *Pa-*

ſtophorium, de cujus vocis ſignificatione non idem omnibus: ut autem ejus multiplex acceptio ſit, certe tamen ea habitaculum Præpoſiti Templi ſignificatum, ex Hieronymo tradit Schelſtrat. *Concil. Antioch. p.* 186.: *Bibliotheca* demum, & *Schola* Eccleſiarum, de quibus Binghamus §. 12.

Ædificari Eccleſia *ſine conſcientia Epiſcopi* non poteſt. Concil. Chalced. *can.* 4., Juſtinian. *Nov.* 57. Conſecrandæ Eccleſiæ mos ſane vetus. Prætereo nonnullas antiquorum Pontificum Epiſtolas de ea re apud Gratian. *diſt.* 1. *de conſecr.*, namque omnino ſuppoſititiæ ſunt. Euſebium *lib.* 10. *hiſt. c.* 3., & Athanaſ. *Apolog.* 2. *ad Conſtantinum* laudaſſe ſat eſt. Sermones in eam rem habere Epiſcopi conſuevere, quales in *Sermonibus* Auguſtini non pauci ſunt. Vicinos etiam Epiſcopos evocari, mos fuit. Aug. *ep.* 269. *ad Nobilium*. Quin ejus rei occaſione arrepta Synodi quandoque habitæ: exemplique loco eſſe poteſt Antiochena Synodus *an.* 341. Conſecrandæ Eccleſiæ jus proprium Epiſcopi: quumque ſit ordinis, non juriſdictionis, delegari a Diœceſano Epiſcopo non poteſt, niſi Epiſcopo: quo referri poteſt *cap.* 9. *de conſecr. Eccl.* Sed in ſua tantum Diœceſi conſecrare Eccleſiam licet Epiſcopo, non in aliena, niſi bona cum venia Diœceſani. Concil. Arauſicanum *can.* 10., & Aurelian. III. *can.* 15. Quod ſi vero Cathedralis Eccleſia vacaret, unum ex vicinis Epiſcopis conſecratum acciri conſueviſſe, patet ex Sidonio Apollinari *lib.* 4. *ep.* 15., in quem locum videndus Savaro. Vetus expediendæ conſecrationis ritus non idem ubique: quod vel ex una S. Ambroſii Epiſtola 54. manifeſtiſſimum eſt: recentiorem in Pontificali Romano habes. V. Bona *rer. lit. lib.* 1. *c.* 19. Id hoc loco vos ego monitos volo, male paſſim pro eodem haberi Eccleſiam *conſecrare*, ac *dedicare*, quum tamen alterum ab altero non parum diſtet. Conſecrare certis ritibus, conceptiſque formulis: dedicare primo rei uſu continetur, ut proinde idem omnino ſit, atque ἐγκαινίζειν, quod ætate Auguſtini dictum *encaniare*. Diſcrimen hoc debemus ſummo Philologo Alexio Mazochio *de Camp. Amphith. cap.* 3. *diatr. de Dedicat.*, & *Ep. de dedic. ſub aſcia cap.* 1. Repeti Eccleſiæ conſecrationem non poſſe, exemplo Baptiſmi, qui eſt veluti quædam Templi ſpiritualis conſecratio, docet Gratianus *diſt.* 1. *de conſecr. can.* 20., quem is perperam tribuit Concilio Nicæno. Id ut certum ſupponit Innocentius III. in *cap.* 6. *de conſecr. Eccl.* Si pollui, ſeu violari Eccleſiam contingat, in ea, antequam reconcilietur, Divina peragi officia, & quumprimis Miſſarum ſolennia celebrari, nefas, *cap. ult. eod. tit.*, *cap.* 11. *de privileg.*, & *cap.* 18. *de ſent. excom.* in *VI.* Violatur Eccleſia humano ſanguine per injuriam effuſo, & nece hominis etiam citra ſanguinis effuſionem, *cap.* 4. & *ult. de conſecr. Eccl.*, & *cap. un. eod. tit.*

in

Digitized by Google

in *VI.* Duas alias cauſſas, quibus polluitur Eccleſia, dant *cap. 7.*, & 10. *eod. tit.*, in quæ v. Gonzalez. Uti conſecrandæ, ita reconciliandæ Eccleſiæ jus eſt ordinis Epiſcopalis, unde mandari Presbytero non poteſt, *d. cap. 9.* Reconciliari Eccleſiam aqua cum vino, & cinere mixta per Epiſcopum benedicta, protritum eſt. Id *ad exemplum ac terrorem* fieri, quo peccatores *inanimatum Templum purificari videntes delicti horrore concutiantur*, in Colonienſi Synodo *an.* 1536. ſcriptum eſt *p. 9. c. 17.*

Opportunum eſt nunc aliquid de jure patronatus delibare. Quorundam opinio eſt, tribus potiſſimum modis jus patronatus adquiri, Eccleſiæ *fundatione*, *conſtructione*, *dotatione*. Dicunt *Fundatorem*, qui fundum, ſeu aream dat: *Conſtructorem* autem eum, cujus ære Eccleſia erigitur: denique *Dotantem*, qui certam dat pecuniæ ſummam, quæ *ad luminaria*, *ad cuſtodiam*, *ad ſtipendia cuſtodum*, & ad Eccleſiæ cultum ſit ſatis, *can. 7. de conſecr. diſt.* 1. De Fundatoribus loquuntur *can.* 26. *cauſ.* 16. *q. 7.*, & *cap.* 15. & 25. *de jure patron.*: de Conſtructoribus *d. can.* 26., & *can.* 31., & *can.* 33. *ead. cauſ.* & *q.*, & *d. cap.* 25.: de Dotantibus *d. can.* 31. & *d. can.* 9. At vero Van-Eſpen *p.* 2. *tit.* 25. *c.* 3. *n.* 5. & *ſeqq.* nonnullos ſequutus contendit, non ſola fundi datione, aut conſtructione jus patronatus adquiri, fundatoremque eum proprie dici, qui & fundum, & dotem pro ædificanda, tuendaque Eccleſia dedit, quum quia Canones *fundationis* nomine *conſtructionem*, & *dotationem* intelligunt: quod abunde demonſtratum eſt a Franciſco Roye *Prolegom. ad tit. de jure patron. c.* 13.: tum quoniam ædificare Eccleſiam Canones non ſinunt, qui prius non conſtituerit dotem, *d. can.* 26. *cauſ.* 16. *q. 7.*, & *d. can.* 9. *diſt.* 1. Quid ſit ſentiendum in hac re, colligi facile videtur poſſe ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 12., ubi, *Nemo . . niſi Eccleſiam . . de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus Patronatus impetrare aut obtinere poſſit, aut debeat.* Hinc habes, ſola fundi datione, aut conſtructione ſola jus Patronatus non adquiri; ait enim Concilium, *fundaverit, & conſtruxerit.* Potes etiam hinc ſpecies duas diſtinguere, alteram, quum Eccleſia non dum eſt erecta, alteram, quum erecta jam eſt; quæ duplex ſpecies haud obſcure eſt expreſſa in iis Concilii verbis *DE NOVO . . ſeu JAM ERECTAM.* Si quis novam exſtruere Eccleſiam velit, is tum demum patronus erit, quum & *fundaverit*, hoc eſt, aream dederit, & *conſtruxerit*, hoc eſt, ſuo ſumtu curaverit ædificandam, et, quod ſecundum Canones ſubaudiendum neceſſario eſt, congruam dederit dotem. Quod ſi jam exſtructa Eccleſia ſit, hujus tamen dos aut omnino aut ex

 parte

parte perierit, qui eam pro dignitate dotaverit, is, etiamſi nec fundaverit, neque exſtruxerit, nihilominus erit patronus. Sed ſi alius jam ſit Eccleſiæ patronus, hunc interpellari, eſt opus. Eorum autem Canonum, quos laudant prioris ſententiæ auctores, nullus eſt, qui aut ſolam areæ dationem, aut ſolam conſtructionem, ſolamve dotis conſtitutionem ſatis eſſe perſpicue tradat: quin omnes vocabulo *fundationis*, aut *conſtructionis* & dationem ſoli, & ædificationem comprehendunt, & porro dotis conſtitutionem ex regula Eccleſiaſtici juris ſupponunt. In ſolo *can.* 31. per disjunctionem ſcriptum eſt, *qui conſtruxit, vel dotavit Eccleſiam*; ſed quid vetat, quominus verba hæc eo diſcrimine intelligantur, quod ſuperius propoſitum eſt? De jure patronatus præſcriptione, aut privilegio ſummi Pontificis adquiſito v. Van Eſpen *d. c.* 3. *n.* 16. uſque ad finem. Multa ſunt, quæ debentur patrono. Debetur ei *honor proceſsionis*, *cap.* 21. *de jure patron.*, qui honor in eo eſt poſitus, ut ei ad Eccleſiam advenienti Clerus certo ordine procedens occurrat, qui tamen honor nonniſi Regibus, aliiſque Principibus habetur: utque ei in publica proceſſione locus honoratior detur: de quo in Pontificali Romano *tit. de conſecr. Eccl.* Quod vero in *d. cap.* 25. additur, *ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum*, id paſſim referunt ad *can.* 26. & 27. *cauſ.* 16. *q.* 7., quos ſub nomine Gelaſii Papæ proponit Gratianus. Dicitur ibi, nihil fundatori Eccleſiæ deberi, *niſi aditum proceſſionis*. Sed quid iſtud ſit, non liquet. Adeundi Florens, Cironius, Hallierius, Gonzalez, Roye, aliique. Id ego ſatis compertum habeo, nihil iis Canonibus fundatori proprium attribui; namque de eo aditu hæc habentur *can.* 26., *qui omni Chriſtiano debetur*, & *can.* 27. hæc, *qui Chriſtianis omnibus in commune debetur*. Quæ vero comminiſcitur Gloſſa in eos Canones, ea certe riſum movent. Porro ſi patronus *ad inopiam vergat ab Eccleſia illi modeſte* (al. *moderate*) *ſuccurritur, ſicut in Sacris eſt Canonibus inſtitutum*, inquit *cap.* 23. *de jur. patron.*, cujus noviſſima verba ſpectant ad *can.* 38. Concilii Toletani IV. apud Gratian. *can.* 30. *cauſ.* 16. *q.* 7. Sed præcipuum Patroni jus eſt *præſentatio*, *cap.* 1. *de Præb.* in *VI.* Olim honorifica tantum jura debebantur Patrono, jus autem præſentandi a jure patronatus erat omnino ſejunctum, quod patet ex Innocentii III. reſcripto *lib.* 3. *Regeſt. ep.* 192., ubi præſentationem nomine *collationis* deſignari, docet Boſquetus. Sed obtinuit tandem, ut jus præſentandi proprium eſſet Patronorum. Jam præſentare eſt certum hominem offerre Epiſcopo, qui eum in vacante Beneficio inſtituat, ſi idoneus eſt: qua de re interpretes Decretal. in *tit. de jure patron.*, & Van Eſpen *cap.* 5.

TI-

TITULUS ULTIMUS.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

Latiſſime patet hoc Caput; ſed mihi tamen ſatis erit, rerum, quæ eo comprehenduntur, origines indigitaſſe. Res Eccleſiaſticæ primum donatione, tum ſucceſſione ſive teſtamentaria ſive legitima quæſitæ ſunt. Conſueviſſe olim fideles divenditorum prædiorum pretium Eccleſiæ offerre, in *Actis Apoſt. c.* 4. *v.* 34. memoriæ proditum eſt. Ipſi etiam Imperatores Chriſtiani uſque ad Julianum certam pecuniæ quantitatem pendi Eccleſiis de publico ærario juſſere, uti idem Euſeb. *c.* 6., & Sozom. *lib.* 5. *hiſt. c.* 5.: quam liberalitatem reſtituit Marcianus *l.* 12. *C. de SS. Eccl.*: ſæpe etiam paganorum Templa, redituſque Templorum Eccleſiæ adjudicarunt, *l.* 20. *Cod. Th. de pagan.* Spectant huc Primitiæ, ac Decimæ. Primitiarum mentio eſt in *can. Apoſt.* 4., & *lib.* 8. *Conſt. c.* 40.: Decimarum apud Hieronym. *in Malach. c.* 3., Chryſoſt. *hom.* 3. *in ep. ad Epheſ.* Primitiæ ſunt primi rerum fructus: appellatione Decimæ venit decima omnium fructuum, ac proventuum pars. Quis ſit Primitiarum modus, quibusve ex rebus præſtentur, non poteſt una definitione comprehendi, proindeque propria cujusque loci conſuetudo ſpectanda eſt, uti bene Hoſtienſis in *cap.* 1. *de decim.* Decima etiam, licet ubique Decima dicatur, tamen alibi minor, alibi major pars eſt: quodque eſt ſuper ea uſu receptum, id jus eſſe debet. Primitias ac Decimas præcepto Divino Hebræos ſolviſſe, multis ſcripturæ locis ſcriptum eſt. Eodem Divino præcepto Chriſtianos teneri, opinio eſt nonnullorum, quibus ſubſcribit Binghamus *lib.* 5. *c.* 5. §. 1. maxime ob loca Origenis *hom.* 11. *in Num.* 18., Hieronymi in *Malach.* 3., & Auguſtini in *Pſalm.* 146. Sed iis tamen locis conſilium continetur, non præceptum: quin Hieronymus *præcepti* nomine conſilium intelligit; ait enim de Chriſtianis, *Quibus præceptum eſt non ſolum Decimas dare, & Primitias, ſed & vendere quæ habent, & dare pauperibus.* Hoc noviſſimum *præcepto* includit Hieronymus, ſed hoc certe conſilium eſt. Atque id maxime cauſſæ eſt, cur Auguſtini Sermonem *de reddendis Decimis* Critici ad apocrypha ablegent, quod eo id exprimatur, Decimas ab Eccleſia *ex debito requiri*: quum contra ex Auguſtini Sermone 3. *in Pſalm.* 103. *n.* 9., & enarratione *Pſalm.* 146. *n.* 16. & 17. haud obſcure liqueat, ejus ætate Decimas Clericis non dum datas. Confirmat hæc Irenæus *lib.* 4. *c.* 32., ubi Chriſtum *ſuis diſcipulis dediſſe conſilium* ſcribit, ut *Primitias offerrent*. Denique Chryſoſtomus laudato loco refert, rarum

rarum ſuo ævo, ac mirum fuiſſe Decimas dari. Primum igitur Eccleſiaſtica Conſtitutio Primitiarum, Decimarumque impoſuit neceſſitatem: & fortaſſe ex crebris Patrum exhortationibus conſuetudo enata eſt, ex conſuetudine Canon. Circa ſæculum VI. Hiſpalenſis quædam Synodus apud Ivonem Carnot. *p.* 3. *Decret. cap.* 174. Primitias: ſub finem ſæculi V. Cæſarius Arelatenſis, quem Sermonis Auguſtino perperam adſcripti faciunt auctorem, & ſæculo VI. Synodus Matiſconenſis II. *can.* 5. Decimas imperarunt. Quod vero naturali pariter ac Divino jure alimenta debentur iis, qui Altari miniſtrant, Decimas generali alimentorum ſenſu acceptas *non ab hominibus, ſed ab ipſo Domino inſtitutas* recte dici ajo, uti eſt in *cap.* 14. *de decim.* Adi Gonzalez in *cap.* 32. §. 1. *eod.* De *Jure Parochorum ad Decimas* extat peculiaris Tractatus Bernardi Van Eſpen. Maxima igitur Eccleſiaſticorum redituum pars poſita erat in populi donationibus, quæ, quod Deo fierent, Oblationes dicebantur. Oblationum autem duplex genus, alterum earum, quæ Sacrificium, alterum earum, quæ Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem, ipſiuſque Eccleſiæ cultum ſpectabant. Ad poſterius hoc genus ea referuntur, quæ recenſui: quod ad prius illud, ſcitote, jam inde ab Apoſtolicis temporibus inductum, ut populus panem, & vinum offerret ad Altare. Hujus conſuetudinis teſtes laudo Juſtinum Martyrem *apol.* 2., Tertullianum *apol. c.* 39., & Cyprianum *de oper. & eleemoſ.* Nemo cogebatur offerre, uti diſerte Tertullianus: turpe tamen erat, eum non offerre, qui poſſet, uti colligere eſt ex Cypriano, & luculentius ex Auctore *ſerm.* 215. *de temp.*, ſive is Auguſtinus ſit, ſive alius. Eo pane, ac vino corpus, & ſanguis Chriſti conficiebatur, quod ex laudato Cypriani loco patet, & maxime ex Joh. Diacono in *vita Gregorii M. lib.* 2. *c.* 41.: ſi quid vero ſupererat (ſupererat autem ſæpiſſime) id in alendos pauperes, & quum primis eos, qui Chriſti nomen confeſſi vinculis detinebantur, ab Epiſcopo erogatum, ſcribunt Juſtinus, ac Tertullianus. Offerebantur ad Altare panis, & vinum, *can. Apoſt.* 3., & *can.* 24. Carthag. III., oleum etiam ad luminaria, & incenſum, *can. Apoſt.* 4., & *ſolenniſſimo die in infantum myſterio*, hoc eſt, ſabbato magno, quod ſolennis Baptiſmi ſolenne tempus erat, *mel*, & *lac*, quibus recens baptizatos veſci ſolitos, alibi dictum. Sæculo X. cœpiſſe nonnullos pro pane ac vino denarios offerre, ac tandem ſæculo XIII. oblatos paſſim denarios, unde hodierni Miſſarum honorarii origo, demonſtrat Lupus in *can.* 13. Concilii Rom. V. Solos communicantes obtuliſſe, quos laudavi Patres, & Patres Illiberitani docent *can.* 28. Hinc peccatorum oblationes rejiciebantur, uti Auctor Conſt. *lib.* 3. *c.* 8., & *lib.* 4. *c.* 6., Chryſoſt.

hom.

hom. 86. al. 87. *in Matth.*, Concil. Carth. IV. *can.* 93.: item Energumenorum, & Pœnitentium, *can.* 29. Concil. Illib., & *can.* 12. Arelat. II. Denique offerentium nomina publice recitari ex Diptychis (*a*) conſueviſſe, habes ex *d.can.*29., & Innocentii I. *ep. ad Decent. c.* 2. Multa de hac re Albaſpinæus *lib.* 1. *obſ. c.* 17. Utraque etiam ſucceſſione adquiri bona Eccleſiæ cœperunt. Conſtantinus *l.* 1. *C. eod.* unicuique *bonorum, quod optaſſet*, teſtamento Eccleſiis *relinquere* permiſit: quodque morientes multo liberaliores ſunt, vere a Sozomeno dictum *lib.*7. *c.*27., Eccleſiam bona ſua prope omnia ei Conſtitutioni debere, quam a ſucceſſoribus confirmatam, quidquid alii ſentiant, poſt J. Gothofr. probat Binghamus *cap.* 4. §. 6. Idem Conſtantinus, uti in ejus Vita Euſebius ſcribit *lib.* 2. *c.* 36., Martyrum, & Confeſſorum nullo cognato ſuperſtite decedentium hereditates: ac Theodoſius Junior, & Valentinianus III. *l.* 20. *C. de Epiſc.* inteſtatorum Clericorum hereditates, quæ nulli deferebantur cognato, Eccleſiis detulere jure quodam legitimæ ſucceſſionis. Olim Eccleſiaſtici proventus arbitrio Epiſcoporum inter Clericos tribuebantur, *can. Apoſt.* 39., & *can.* 41. Primum Epiſcopi quotidianas ſportulas, hoc eſt, certam panis, vini, carnis, ac reliqui alimenti quantitatem inter Clericos partiebantur; ac porro eis majores quasdam portiones menſtruas dabant: de quo utroque partitionis genere Cyprianus *ep.* 28. al. 34. *ad Cler.*, & abunde Lupus in *can.* 10. Concilii Tholoſani Victoris II. Hinc Clericos *menſurna diviſione* pœnæ nomine abſtineri, mos fuit: ſed & Eccleſia, & maxime pauperes veniebant in partem, uti Epiſcopus arbitrabatur: unde Eccleſiæ bona *patrimonium pauperum* dicta: qua de re Van Eſpen *de inſt. & off. Canon. p.* 2. *cap.* 5. §. 5. Volventibus annis deficiente ſive Epiſcoporum, ſive Oeconomorum in diſtribuendis Eccleſiarum reditibus fide, Clericiſque de ea re conquerentibus, diſpeſci in certas partes cœperunt. Paſſim quatuor eorum partes factæ ſunt, quarum prima Epiſcopo, ſecunda Clero, tertia pauperibus, quarta ceſſit fabricæ: datuſque ſingulis Oeconomus ab univerſo Clero eligendus, qui adminiſtrationis ſuæ redderet rationes. De hujus partitionis auctore non conſtat. Eam Concilio Toletano I. videtur tribuiſſe Gratianus

*can.*31.

(a) *Diptycha Eccleſiaſtica erant* ſacræ tabulæ, *uti ea appellat Auctor Librorum de Eccl. Hier. lib.* 3., *ex quibus quorundam quum viventium, tum defunctorum nomina inter ſacra myſteria Diaconus de pulpito recitabat. Multiplex fuit eorum uſus, de quo Cabaſſutius in Notit. ſac. II. diſſ.* 15., *&* Binghamus *Orig. lib* 8. *c.* 5. §. 4., *lib.* 15. *c.* 3. §. 18., *lib.* 16. *c.* 3. §. 12., *& lib.*19. *c.* 2. §. 11.

can. 31. *cauſ.* 12. *q.* 1., ſed, ut alia deſint argumenta, quibus is Canon ad ſuppoſititia rejiciatur, certe hoc uno rejicitur ſatis, quod Hiſpanica Eccleſia tres redituum ſemper fecerit partes, non quatuor, ut aliæ: quod ex Synodo Emeritenſi *can.* 16., aliiſque tradit ibidem Lupus. Ejus meminit S. Simplicius P. apud Gratian. *can.* 12. *cauſ.* 28. *q.* 2.: ejuſque auctorem ſua ætate antiquiorem eſſe S. Gelaſius inquit *ep.* 9. ad Brutiorum, Lucaniæ, ac Siciliæ Epiſcopos; ſed quis is fuerit, omnino tacet. Simplicius *an.* 468., Gelaſius *an.* 492. Pontificatum iniere. Tum invaluit, ut Clericis, qui egregiam Eccleſiæ præſtabant operam, Epiſcopi prædia ipſa darent ad tempus utenda: quod ineunte ſæculo VI. fieri jam cœptum, probat Symmachi P. Epiſtola *can.* 61. *cauſ.* 19. *q.* 1., in quam v. Baron. ad *an.* 502. Demum non uno tempore, aut generali aliquo, certoque Canone, ſed citius alibi, alibi ſerius uſu ipſo inductum eſt, ut dividerentur fundi inter Clericos, qui de iis ipſi ſibi fructus perciperent ad vitam: qualia Eccleſiaſtica Beneficia nunc ſunt: quæ vox ex intima latinitate defluxit; nam quod Barbaris *Feudum*, id Latinis eſt *Beneficium*, uti multis Hothomanus *comm. de verb. feud.* Quod autem uti militibus bene merentibus initio data ſunt feuda, ſic prædia Eccleſiæ bene merentibus Clericis tanquam Chriſto militantibus dari cœperunt, hinc factum Beneficiorum nomen: Recte igitur Beneficium definiunt Canoniſtæ perpetuum jus percipiendorum fructuum de bonis Eccleſiaſticis officii cauſſa ab Eccleſia conſtitutum. Momentoſa ſunt verba illa *officii cauſſa*, nam *Beneficium datur propter officium*, *cap. ult. de reſcript. in VI.* Jam ſi qua proventuum pars, quæ Beneficiario ſuperſit, ad levandam alicujus Clerici inopiam ſeponatur, ea Eccleſiaſtica Penſio dicitur: cujus, ſi ea, uti debet, jure eleemoſynæ cenſeatur, antiquiſſima origo eſt: extantque ejus exempla in Chalcedon. Concilio *act.* 10. 12., & 14. De Penſionibus late, & ſcite Van Eſpen *p.* 2. *t.* 28.

Pag. 88. v. ult., & Pag. 95. v. 3. *pro* Multa, *lege* Aliquid. Pag. 155. v. 41. *pro Contrahere, non diſtrahere, lege Diſtrahere, non contrahere.*

Denum verba illa, quæ ſunt pag. 94. *v.* 8., Nec prætereundæ, *& quæ ſequuntur uſque ad verbum* Adveniente, *omnino delenda. Si quando fiet, ut Opus hoc meum recudatur, argumentum illud multo diligentius perſequar. Interim adi Binghamum Orig. Eccl. lib.* 12. *c.* 4. §. 10. *Hæc ſunt graviora menda, quæ in Librum* 2. *irrepſere: quæ ſequuntur, pertinent ad Librum* 1., *tuque ea iis adde, quæ p.* 76. *adnotata ſunt.*

Pag. 2. v. 34. *pro hipocritos, lege hipocritas.* Pag. 65. v. 12. *pro* TITULUS IX., *lege* TITULUS VII. Pag. 68. v. 8. *pro* TIT. X., *lege* TIT. VIII. Pag. 70. v. 7. *pro* TIT. XI., *lege* TIT. IX.

Denique tit. ult. Lib. 1. Metatum *oneribus perſonæ accenſui. Onus illud patrimonii eſt, l.* 3. *de mun. & hon., & l.* 3. *C. de mun. patrim.*

Digitized by Google

TITULUS I.

DE ECCLESIASTICA JURISDICTIONE.

Poteſtatem in Chriſtianos a Chriſto Eccleſiæ datam, verba hæc Chriſti non obſcure commonſtrant *Luc. 10. v. 16.*, *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*: Latinis autem, uti & Hebræis, & Græcis, quod *Audire*, idem eſt etiam *Obedire*. Porro ei parendum, cui jubendi jus eſt. Jam vero Eccleſiæ poteſtas duplex, altera, quæ in interiori, altera, quæ in exteriori foro exercetur. Utraque a Chriſto eſt. Priorem expreſſit Chriſtus his verbis *Joh. 20. v. 23.*, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: poſteriorem his *Matth. 18. v. 15.*, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes: ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, hoc eſt, Conciliis, aut Epiſcopis; accepta eo loco Eccleſia ex ſententia Judæorum, quales erant Apoſtoli, quos Chriſtus compellat: Judæi autem Eccleſiam dixere aut conventum in Synagoga habitum, aut Principes Synagogæ. *Si Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*, quos Judæi Synagoga excludebant. *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*.

Sacerdotii autem, atque Imperii certi ſunt fines. *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, inquit Chriſtus *Joh. 18. v. 36.*, hoc eſt, temporale Regnum non eſſe, uti ex Patrum ſententia eum locum exponit Auguſtinus Calmet: proindeque cuidam judicium, ſeu potius arbitrium ejus expoſcenti ſuper familia erciſcunda, reſpondit *Luc. 12. v. 14.*, *Quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?* quo verbo nihil ſibi eſſe cum temporalibus oſtendit. Calmet in eum locum. Porro Paulus Apoſtolus *ad Rom. 13.* diſerte ait, *omnem animam*, hoc eſt, laicos æque atque Clericos, uti Paulum interpretantur Aug. *ep. 197.*, Bernard. *ep. 42.*, Chryſoſt., Theophylact., Oecumen. in *d. c. 13.*, *Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe*, hoc eſt, Poteſtati civili, cui tantum conveniunt *gladius*, ac *tributum*, quorum Apoſtolus mox meminit. S. Baſil. in *Monaſt. Inſtit. c. 27.* (a) Igitur ſpiritualia Sacerdotum, temporalia ſunt Principum. Oſius Cordubenſis Epiſcop. apud S. Athanaſ.

(a) *Fuſe hoc argumentum perſequor lib. 1. tit. de Cleric.*

naſ. ep. ad ſolit. vit. agent., Nicolaus I. *ep. ad Michael. in can. quum ad rerum diſt.* 96., Symmachus *Apolog. adv. Anaſtaſ. Imp.*, Syneſius *ep.* 57., Nazianz. *ep.* 227. *ad Nectar.*, Gelaſius P. *ep. ad Anaſtaſ. Imp. in can. duo ſunt diſt.* 96., Gregorius II. *ep. ad Leon. Iſaur. ante VII. Synodi acta*. Et certe nimio zelo tribuendum, quod Bonifacius VIII. Philippo Pulcro iratus ſcripto expreſſit, in temporalibus etiam ſibi Reges ſubeſſe: & rectiſſime id Clemens V. emendavit, *Extravag. com. cap.* 2. *de Privileg.*

At vero Apoſtoli temporalia quoque tribuerunt ſibi, non jure ſuo, hoc eſt, non jure, quod vi inſtitutionis ſibi tanquam Epiſcopis competeret, ſed ſtudio caritatis ac Religionis, tanquam bene morati, & Chriſtiani viri. Et ſane Chriſtiana morum Philoſophia in caritate poſita eſt: caritas ne levem quidem patitur animorum diſſenſionem; nec ſine animorum diſſenſione lites exercentur. Hinc Patrum ſententia, Chriſtianum caritate perfectum non decere ſibi ablata repoſcere. Conceptiſſimus eſt in hanc rem Pauli locus 1. *ad Corinth.* 6. *v.* 7., *Omnino delictum* (a) *eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos: Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* itemque Pauli locus 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 24., *Servum Dei non oportet litigare*. Paulo præivit Chriſtus ipſe *Matth.* 5. *v.* 38., *Non reſiſtere malo . . . & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*: & *Luc.* 6. *v.* 30. *Qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas*. Doctrina hæc tam alte inſidebat animis veterum Chriſtianorum, quorum tanta caritas fuit, quantam omnes norunt, ut plerique litibus abſtinerent: juſti vero, ſed ii tamen minus perfecti *Eccleſiaſtico judicio, non forenſi*, uti loquitur Aug. *lib.* 2. *ad Bonif. c.* 1., repeterent ſua: quod *delictum* quidem fuiſſe, inquit *Aug. lib.* 50 *Hom. ult.*, puta, leve peccatum, quod vulgo dicimus *imperfectionem*, ſed *ferendum tamen* ex ſententia Apoſtoli ajentis 1. *ad Corinth.* 6. *v.* 1., *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* quo loco *iniqui* ſunt ethnici, quos *ep. ad Galat.* 2. *v.* 15. *peccatores* appellat; *Sancti* ſunt fideles, & maxime Epiſcopi, & Clerici; non enim Apoſtolus nominatim Epiſcopis, & Clericis id onus impoſuit, ut ad componendas lites adhiberentur; nec laicos ſapientia & ſanctitate morum præclaros rejecit: quin diſerte ſubdit *v.* 4., *Contemtibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum*, quaſi dicat, deſpectiſſimos fidelium optimis ethnicorum præponendos eſſe: & mox *v.* 5., *Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſ-*

(a) *Species nonnullas, quibus judicio contendere* delictum *non eſt, recenſent Eſtius, & Calmet in hunc locum.*

Digitized by Google

quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum? Quod vero laici vulgo judicium Epiſcoporum, & Clericorum ſanctius habeant, quam laicorum; hinc factum, ut Chriſtiani olim ſuas lites deferrent ad Epiſcopos tanquam ab arbitris componendas; atque Epiſcopis religio eſſet id oneris detrectare. Ceterum Silvanum pientiſſimum Troadis Epiſcopum, quum ſuos Clericos, quos dirimendis controverſiis dare judices ſolebat, aliquod inde ſibi captare lucrum animadvertiſſet, laicos æquitatis ſtudioſos dediſſe cognitores, apud Socratem ſcriptum eſt *lib.7. c.37.* Hæc fecere, ut & antiquam Epiſcopos in civilibus cauſſis adeundi conſuetudinem confirmarint, & Epiſcoporum auctoritatem multis pro ſua pietate acceſſionibus adauxerint Principes Chriſtiani, Conſtantinus M., cujus Conſtitutionem Euſebii, ac Sozomeni teſtimoniis falſi nota vindicat contra Jac. Gothofredum, Carolum Loyſeum, & Fevretium Alteſerra *de juriſd. Eccl. lib.* 1. c. 7.; Arcadius, Honorius, ac Theodoſius *l. 7., & 8., C. de Ep. aud.*, aliique, modo *ex conſenſu* Epiſcopus adiretur. Hæc eadem fecere, ut vel poſt excluſos Curia gentiles vetus diu ſteterit diſciplina, & forte uſque ad exitum ſec. XII.: quod fuſe enarrat Thomaſinus *de Benef. p. 2. lib. 3. c. 101., & ſeqq.* Et vero per id tempus, quo judicia apud ethnicos agitabantur, ea quoque ratio & quidem ſumma Chriſtianum hominem abſtinere litibus jubebat, quod ejus nomen vileſceret apud profanos, & Chriſtianorum diſſidiis Religio ipſa fieri apud gentes deſpectior videretur: quo pertinet τὸ *iniquos* in textu Pauli: quod momentoſum verbum eſt. At non hoc uno peccabant Corinthii, quod agerent apud *iniquos*. Eo etiam peccabant, quod litigarent (*a*), ferendi tamen, ſi negotia ſua arbitrio committerent Epiſcoporum, qui arbitrium accipientes id ſpectabant unum, ut ne ſanctiſſima lex caritatis læderetur. Sane, quod experimento compertum eſt, qui ſunt judicio victi, ut ut recte judicatum intelligant; eos vel mediocriter commoveri; Epiſcopi ſtudio pacis æquitatem ſequebantur, tanquam pacis interpretes inter amicos, non jus ſcriptum (*b*), tanquam judices inter litigatores, & temperamento aliquo diſſidentes in concordiam adducebant, uti de Gregorio Thaumaturgo Nyſſenus *in ejus Vit.*, ac de ſe ipſe teſtatur Ambroſius *ep. 24.*: ſtudebantque temporis compendio, ut animorum motus quam citiſſime reſideret, Auctor *Conſt. Apoſt. lib. 2. c. 45.*: atque ut omnino reſideret, ſæpe jurejurando ſuper altare,

 vel

(a) *Si tam ſevere cum laicis, quanto ſeverius cum Clericis actum? V. Thomaſin. p. 2. de Benef. lib 3. c. 102.*

(b) *Ubi obſcurum jus erat, conſultos ab Epiſcopis honeſtos, legumque peritos laicos, liquet ex Aug. de Diverſ. ſerm. 49.*

vel reliquias Martyrum lites finitæ, Gregor. Turon. *lib.* 5. *c.* 32. V. Cironium 2. *Obſ.* 4. Quod ſi arbitrium haud feliciter ceſſurum proſpicerent, judicium ne reciperent, monebat Ambroſius *de Off. lib.* 2. *c.* 24., *conſtantiæ* tamen *eſſe* ajebat *adeſſe æquitati*.

Poſtquam vero Clerici imperio Magiſtratus in pecuniariis cauſſis exemti ſunt, qua de re latiſſime *lib.* 1. *tit. de Cleric.*; contra eos apud Epiſcopum neceſſario agendum eſt: earumque cauſſarum *judex* proprie Epiſcopus, non *arbiter*: atque hinc judicia Epiſcoporum *Civilia*, de quibus agere inſtituo hoc *lib.* 3., de *Criminalibus* acturus *lib.* 4.

Porro &ſi olim, quum Epiſcopi non inter Clericos ſolum, ſed & inter laicos arbitria ſuſcipiebant, exercendorum judiciorum ratio expeditiſſima eſſet: nec forte minus expedita, quum rite inſtituto judicio adverſus Clericos civili foro exemtos agebatur; unde Juſtinianus *Nov.* 83. conveniri Clericos apud Epiſcopos juſſit, ne eos longæ fori ſecularis ambages a ſacris avocarent; tamen procedente tempore cœpit obturbari, ac poſtremo forenſes tricæ in Eccleſiaſtica Tribunalia irrepſerunt: quam ego cauſſam ſtatuo, cur tandem deſierint Epiſcoporum arbitria in cauſſis laicorum. Id vero Clericis tribuendum, qui quod poſt occupatam a barbaris Italiam Romanis legibus viverent, ac fere ſoli Latine ſcirent, in Eccleſiaſticum forum intulerunt fori Romani formulas, quas laici judices, ut plurimum milites, ignorabant: quumque cœpiſſent Clerici laicis adſidere, mox eo ventum eſt, ut vel ipſa ſecularis fori ratio implicatior per eos facta ſit: quod non uno hujus libri loco exemplis patebit.

TITULUS II.

DE JUDICE, ACTORE, ET REO.

TRes ſunt, qui in judiciis maxime ſpectantur, Judex, Actor, Reus; quid enim aliud Judicium, niſi diſceptatio, quæ fit ex parte actoris, & rei apud Judicem litis finiendæ gratia? Judicem definio Virum bonum ad lites dirimendas publice conſtitutum. Sæpe in libris juris civilis judex *vir bonus* dicitur *l.* 137. §. 1. *de V.O.* Romanorum diſcrimen inter *Judicem*, & *Magiſtratum*, quæ duæ voces paſſim ſeparantur in Pandectis, hic nihil moror: Judicemque generaliter eſſe ajo, qui de re aliqua cognoſcit, & judicat, ſive ſuo jure, ſive ejus auctoritate, cujus juriſdictio eſt; maxime quum temporibus Juſtiniani, & jam inde uſque a Diocletiano, & Maximiano dandorum judicum more ſublato Magiſtratus ipſi judicarent, *l.* 2. *C. de pedan. judic.*, quo ſpectat titulus Codicis

dicis *de juriſdictione omnium judicum*: qui *de juriſdictione* inſcribitur in Pandectis. Duaren. in *tit. ff. de juriſd. c.* 2. Diſtinguunt Canones inter *Ordinarium* Judicem, & *Delegatum*: proſtatque de utroque judicum genere duplex titulus in Decretalibus. Ordinariorum judicum extat quoque mentio in Legibus, ſed ſenſu longe alio. V. Cujac. in *l.* 2. *de judic.* Extat & mentio *Delegatorum* in *l.* 5., 11., & 14. *C. de judic.* eo ſenſu, quo *dati judices* dicuntur. Briſſon. *de V. S. v. Delegari*. Sed & *Ordinarium* Latinis dictum in eam ipſam ſententiam, in quam Canones *Ordinarium judicem* appellant; nam Latine *Ordinariis* Conſulibus *Suffecti*, & *Ordinariis* ſervis opponuntur *Vicarii*, Suet. *in Galba c.* 6., & *in Domit. c.* 2. *Ulp. l.* 18. *de pecul.*, uti in Canonibus *Ordinariis* judicibus *Delegati*: & quemadmodum ſuffecti, & vicarii ſervi ordinariorum Conſulum, & ſervorum vices explebant, ita delegati vice funguntur judicum ordinariorum. Utriuſque generis judicum definitiones confice ex Juliani verbis *l.* 5. *de juriſd.*, *More majorum ita comparatum eſt, ut is juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure, non alieno beneficio habet.* Quam quis *ſuo jure habet*, eam Canoniſtæ *ordinariam* jurisdictionem dicunt: tu non ineleganter *propriam* quoque dices: quam *habet beneficio alieno*, dicunt *delegatam*: tu & *alienam*, & *mandatam* recte etiam dices. Igitur Ordinarius judex eſt, qui *juriſdictionem habet ſuo jure*, hoc eſt, ex officio, ſeu ex lege, quæ officium explicat, *cap.* 2. *de off. Vic. in* 6. Delegatus eſt, qui *juriſdictionem habet beneficio alieno*, hoc eſt, ab alio *mandatam*, ſeu *translatam*, *l.* 1. §. 1. *de off. ejus, cui mand. eſt jurisd.* Sed ne putes, quod ſatis multi, judicem *datum*, eumque, *cui mandata eſt jurisdictio*, nihil differre. Hi longe diverſi ſunt inter ſe. Primum is, cui mandata eſt jurisdictio, mandare jurisdictionem non poteſt, *l.* 5. *ff. eod. tit.*, & *d. l.* 5. *de jurisd.*, judicem dare poteſt, *l.* 12. §. 1. *de judic.*, quem dare judex datus vetatur, *l.* 5. *C. eod.* Deinde is, quum recte det judicem, certe jurisdictionem habet, *l.* 3. *de jurisd.*, quumque habeat jurisdictionem, & imperium habet cum jurisdictione cohærens, proinde ſuam ipſe ſententiam exequitur: at datus judex *notionem* habet, quam vulgo *nudam* dicunt, hoc eſt, ſimplicem cognitionem, ſeu audientiam, *l.* 5. *de re judic.*, ejusque ſententiam exequitur, qui eum dedit *l.* 15. *eod.* Poſtremo quum is, cui mandata eſt jurisdictio, vice mandantis fungatur, *l.* 16. *de jurisd.*, ab eo non provocatur is, qui mandavit, *ſed qui provocaretur ab eo, qui mandavit juriſdictionem*: contra a judice dato *is appellatur, qui dedit judicem*, *l.* 1. *quis a quo appell.* Duaren. in *eund. tit. c.* 8. Num vero delegatus judex apud Canoniſtas is ſit, cui mandata jurisdictio eſt, an judex datus, quæſitum video. Utrumque judicum genus *Delegati* nomine Leges deſignant. *l.* 1. *de damn. infect.*, & *l.* 5., 11., & 14. *C. de judic.*

judic.: at vero Canones *Delegatum* proprie dicunt, cui mandata eſt juriſdictio, namque exequi eum poſſe ſententiam, tradunt. Gonzalez, & alii, qui in id laudant *cap.7.*, *26.*, *& 29. de off. & pot.deleg.*, parum meo judicio vident in hac re; namque iis locis de eo agitur, qui a Summo Pontifice delegatus eſt: conſtat autem, vel datum judicem, ſi a Principe ſit datus, juriſdictionem habere, unde & judicem dat, *l.12. C. de judic.*, *& l. unic. C.qui pro ſua juriſd.*, ac proinde exequi judicatum *l. 15. de re judic.* Mihi laudare lat eſt *cap.9. eod.tit.*, ubi Alexander III. Brixienſi Epiſcopo reſcribit in hæc verba, *Ex quo judex delegatus per ſe, aut per alium ſententiam exequutioni mandavit, vel præcepit mandari, ejus auctoritas & juriſdictio ceſſat*: quæ quum generaliter de delegato judice ſcripta ſint, non mihi videtur bona fide agere vetus ejus capituli Gloſſator, qui textum accipit de eo, quem Papa delegavit.

Agere poſſunt omnes, qui non prohibentur. Jure civili minor *curatore conſentiente intendere litem debet l. 2. C. qui legit. perſ. ſtand. in judic.*: jure Canonico pubes *in beneficialibus, & aliis cauſſis ſpiritualibus, nec non & dependentibus ab eiſdem* etiam ſine curatoris conſenſu poteſt, *cap. 3. de judic. in 6.* Jure civili filiusfamilias ſuo nomine agere *ſine patris voluntate* regulariter non poteſt, *l. 8. C. de bon. quæ lib.*: jure Canonico poteſt in iis cauſſis, *d. cap. 3.*

Reus in competenti foro conveniendus. Forum, ſeu *Forus*, uti Iſidorus loquitur *cap. 10. de V. S.* non jure a Polleto reprehenſus *Hiſt. Fori Rom. lib. 1. c. 1.*; nam virile ejus nominis genus Lucilii, Salluſtii, & Victorini Afri teſtimoniis adſtruit Cujacius in *tit. Decret. de for. compet.*; Forum, inquam, & negotiationis, & exercendarum litium locus fuit. Egregie præter cæteros de hac re Polletus *lib. 1. c. 1.*, *& 2.* Competens forum eſt forum judicis rei proprii, quem & *competentem* paſſim dicunt; & recte etiam dixeris *congruum*, uti e contrario non competens judex *incongruus* appellatur, *l. 1. C. de juriſd. omn. judic.* Facit huc vulgata juris utriuſque regula, *Actor rei forum ſequitur*, *l. 3. C. ubi in rem actio*, *l. 2. C. de juriſd.*, *cap. 5. & cap. 8. de for. comp.*; quod enim reus in judicium venit invitus, unde olim in jus per vim raptus, cogi niſi a judice ſuo non poteſt, *l. 3. C. de judic.* Locum habet ea regula inter Clericum, & laicum, ſi temporales cauſſæ agantur, in quibus fori ſæcularis gratia Clericis facta eſt; ſpirituales enim ſive cum Clerico, ſive cum laico agantur, jure Divino ſemper apud Eccleſiaſticos judices diſceptandæ, uti principio dictum. Niſi igitur ſpiritualis ſit cauſſa, Clericus adverſus laicum apud laicos: laicus adverſus Clericum apud Eccleſiaſticos judices agit. Juſtiniani Conſtitutione in *l. 51. de Ep. & Cler.* poterat Clericus *in conſcribendo inſtrumento* paciſci *non uſurum* ſe *fori præſcriptione* ob regulam juris antiqui, *omnes li-*

cen-

centiam habere his, quæ pro ſe indulta ſunt, renunciare; unde & mulier Vellejano, *l. ult. §. pen. ff.*, *&* *l. 21. C. ad Vellej.*, & Princeps, qui ſolutus eſt legibus, *l. 31. de leg.*, *l. 23. de leg. 3.* a ſuo interdum privilegio renunciat, *l. 4. C. de legib.*, *l. 4. C. ad l. Falc.*, *§. ult. Inſt. quib. mod. teſt.*: at Innocentii III. reſcripto in *cap. 12. de for. compet.*, quod contra Cujacium tuentur Cironius *Parat. de pact.*, & Gonzalez *in d. cap.*, & contra Fevretium Alteſerra *de juriſd. lib. 3. c. 4.*, ne juratus quidem poteſt. Ita ſapientiſſimus Pontifex dignitati ordinis conſuluit. Quod ſi quis poſt citationem in Clerum adſcitus eſt, is uti præſcriptione fori non poteſt. *Si quis, poſtea quam in jus vocatus eſt, miles, vel alterius fori eſſe cœperit; in ea cauſſa jus revocandi forum non habebit, quaſi præventus*, verba ſunt Ulp. *l. 7. de judic.*: atque hoc *generaliter & in omnibus hujuſcemodi caſibus obſervandum* eſſe, idem Ulp. tradit *l. 19. de juriſd.* Hujuſcemodi caſus habes in *l. 17. §. 5. de excuſat. tut.*, *l. 5. §. 3. de jure immun.*, *&* *l. 21. C. ad l. Corn. de falſ.*, quibus non obſtat *l. 4. §. 5. de re milit.*, quam acute Cujacius expendit in *cap. 19. de for. comp.* Ne quis vero ſpeciem excipiat Clericatus poſt ſuſceptam a Judice laico cauſſæ cognitionem obvenientis, facit Pauli textus in hanc ipſam ſpeciem conceptus, quem Pandectis inſeruit Tribonianus *l. 32. §. 4. de recept. qui arbitr.* Haud alia eſt Canonum ſententia. Juris Civilis definitionem in *d. l. 7. de judic.* iiſdem Ulpiani verbis expreſſit Gregorius IX. in *cit. cap. 19. de for. comp.*: nec ſpeciem Clericatus poſtea obvenientis ullus Canon excepit: quinimo Innocentius P. Curiales fieri Clericos vetuit; nam ſæpe *a Curia repetebantur*, *can. 2.*, *&* *3. Diſt. 51.*: quod vel ipſi Juſtiniano, apud quem gratioſiſſimi fuere Clerici, æquum viſum eſt, *l. 53. de Ep.*, *& Cl.* V. Johannem Dartis in *d. Diſt. 51.* Clericus etiam, qui apud laicum judicem egit adverſus laicum, reconveniri apud eundem judicem poteſt. Appoſite Juſtinianus *l. 14. C. de ſent. & interloq.*, *Liceat judici vel contra actorem ferre ſententiam, & aliquid eum daturum, vel facturum pronunciare, nulla ei opponenda exceptione, quod non competens judex agentis eſſe cognoſcatur; cujus enim in agenda obſervat arbitrium, eum habere & contra ſe judicem in eodem negotio non dedignetur*: quumque contrarium jure Canonico cautum non ſit, nihil cauſſæ eſt, cur non idem Canonibus placere putes arg. *cap. 1. de nov. op. nunc.* Jam vero nonnulli ſunt, qui eam juris Civilis regulam diſerte per Canones confirmatam arbitrantur, quod ipſiſſima Juſtiniani verba in *d. l. 14.* deſcripta ſint in *can. 1. c. 3. q. 8.* ſub nomine Zephirini Papæ. Sed næ iſti errant: Zephirinus Juſtiniano antiquior fuit, & abſunt ea verba ab Epiſtola Zephirini, & veteribus Codicibus Gratiani. Forte huc referri non abſurde poteſt *cap. ult. de mutuis petit.*, quod integrum extat apud Gonzalez. Ait ibi Cæleſtinus III., *Nec ci-*

vilis

vilis juriſperitus ab hac ſententia diſcrepat , quia præter Authenticum , quod incipit , Et conſequenter , in quo id de facienda reconventione expreſſe habetur &c. : in Auth. autem ſub *cit. tit. Cod.* ſcriptum eſt, *Et conſequenter ego ab aliquo conventus, ſi viciſſim ipſum pulſare velim , ſtatim quidem non licet , niſi apud eundem judicem .*

Sed non eſt ſatis , Clericum in quolibet foro Eccleſiaſtico conveniri . Forum eſſe Eccleſiaſticum , & porro proprium debet . Jam quatuor potiſſimum ſunt , quæ proprium faciunt forum , *Delictum, Contractus , Domicilium , Res ſita , cap. ult. de for. comp.* : quod argumentum abunde pertractant interpretes juris civilis. Ego hic ſumma ejus capita attingam. Sicubi Clericus deliquit , ibi judicio in perſonam convenitur , *l. 3. de off. Præſ.* , *& cap. 1. de rapt.*, quum quia ubi delictum admiſſum eſt , facilior eſt copia probationum, & majus expenſarum compendium: tum quoniam æquum eſt , reum exemplo pœnæ prodeſſe , ubi obfuit exemplo delicti, *l. 28. §. 15. de pœn.*, S.Cyprianus *ep.55.*, *cap. 2. de calumn.* Sicubi Clericus contraxit , ibi in eum in perſonam actio inſtituitur , *l.19. §. 1. de judic.* , *cap.1. §. 3. de for. comp. in 6.* Si formula contractus locum non expreſſit , quo ſolvenda pecunia eſt , convenitur reus , ubi vere contractus eſt initus : ſi expreſſit , *contractum non utique eo loco intelligitur, quo negotium geſtum ſit , ſed in quo ſolvenda eſt pecunia* , *l. 3. de bon. auct. jud. poſſid.* Eadem habent, *l. 20 ff. de jud.*, *& l.21. de obl. & act.* Quod ſi is , qui certo loco ſolvere promiſit, ad locum non accedat , quod vel data opera facit , vel quia alibi neceſſario diſtringitur , compoſita eſt in eam rem utilis actio de eo, quod certo loco, *l. 1. de eo , quod cert. loc.* , qua actione actor, cui aliquid certo loco promiſſum eſt , nec tamen datum , alio etiam loco experitur toto *tit. ff. de eo , quod cert. loc.* , modo idoneus , & legitimus locus ſit , nempe is , quo non adjecto alio loco conveniri reus debuiſſet , qualis eſt locus contractus , itemque locus domicilii , quidquid obloquantur nonnulli . In hanc ſententiam ſcripta eſt *l. 19. §. ult. de judic.* : atque in hanc eandem ſententiam actionem de eo , quod certo loco jus Canonicum recepit, *cap. 17. de for. compet.* Sicubi domicilium reus habet , ibi cum eo agitur actione in perſonam , *l. 2. C. de juriſd.* , & *d. cap. ult.* Domicilium vulgo duplex faciunt , alterum *originis* , alterum *habitationis* . Domicilium , quod dicunt *originis* , ubi de competenti foro agitur , ignorant Canones , *cap. ult. de for. comp.* , & *cap. ult. de Paroch.* : ignorare etiam leges videntur , *l. 190. de V.S.* Domicilium , quod dicunt *habitationis*, certe forum proprium facit , *d. c. ult. de for. comp.* Verum ſola habitatio non eſt ſatis ; permanendi quoque animus probandus eſt : quod genus probationum ſuppeditant multa Juriſconſultorum loca ſub *tit. ff. ad municip.* Denique ubi res , propter quam con-

contenditur, conſtituta eſt, ibi, *In rem actio adverſus poſſidentem movetur*, *l. 3. C. ubi in rem actio*, *cap. 3. de for. comp.* Num vero neceſſarium omnino ſit, actione in rem cum reo agi in loco, ubi ſita res eſt, an liberum petitori ſit adverſarium convenire in foro domicilii, vetus diſputatio eſt. Hoc poſterius videtur fori uſus recepiſſe: prius illud juri magis conſentaneum eſſe, *& d. l. 3.*, *& cit. cap. 3.* non obſcure probatur. V. Duaren. *ad tit. de judic. c. de for. comp.*, Hotom. 3. *obſ.* 3., Donel. 17. *comm.* 17., & Vin. 1. *ſelect.* 18. Mihi digitum intendiſſe ad fontes, ſat eſt.

T I T U L U S III.

DE PROCURATORIBUS.

PRocurator, quem *alieni juris vicarium* eleganter Cicero appellat *pro Cæcin. cap.* 42., Ulpiano definitur, *qui aliena negotia mandatu domini adminiſtrat*, *l. 1. de procurat.* In libris juris *negotium* eſt quum res, quæ extra judicium explicatur, tum etiam lis, ſuntque exempla apud Briſſon. *de V. S.*: proinde & Procuratorem, qui *ad negotia*, & eum, qui *ad lites* dari dicitur, Ulpiani definitio comprehendit. Hoc titulo de poſteriore Procuratorum genere tractatio inſtituitur; plerumque enim qui judicium vel intendit, vel ſuſcipit, quod aut non vult, aut non poteſt, vicaria alterius opera utitur. V. *Comm.* meum in *tit. de iis*, *per quos ag. poſſ. lib.* 4. *Inſt.* Quibus in cauſſis, & qui facere, fierive Procuratores non poſſint, petendum eſt ex jure Civili, cujus proprium hoc Caput. Quæ potiſſima ſunt in hoc tractatu, paucis dabo. In pecuniariis controverſiis, ſi hæ ſint de privato cujuſque commodo, vel damno, inferri actio, & ſuſtineri per procuratorem poteſt, *l. 42. ff.*, *& l. 26. C. h. t.*, ubi quod additur, *niſi forte quoſdam*, *juſtiores nonnunquam ob cauſſas vehementiores*, *maximi* (a) *judicis vocabit auctoritas*, accipiendum eſt hoc ſenſu, poſſe interdum co-

(a) Maximos judices, *quorum & in d. l. 27.*, *& in l. ult. C. ubi cauſ. ſtat. eſt mentio*, *bene interpretatur* Gutherius *de Off. Dom. Aug. lib.* 1. *c.* 44 Spectabiles, *aut* Illuſtres, *de quibus Pancirolus in Notit.*, *puta*, *Proconſules in Provinciis*, **Romæ** *Præfectum Urbi*, *Conſules*, *Prætores*. Ordinarii *quidem judices ſic formula juris Civilis adligabantur*, *ut nihil præter illam eorum daretur arbitrio*: Maximi *vero judices multa poterant ſupra formulam*, *ſi qua illis juſta*, *& gravis cauſſa videretur*, *l. 1. §. ult. ex quib. cauſ. major.*, *& d. l. 27.*

Digitized by Google

gi litigatores ipſos, ſi qua gravior cauſſa urgeat, ſeſe judicibus præſentes ſiſtere, ac per ſe reſpondere. Eſt id poſitum in arbitrio judicis: advocabit autem litigatores judex, ſi quid lucis in re obſcura ex eorum voce, ac vultu acceſſurum prænoſcat, *l.* 10. *§.pen. de quæſt.*: quo videtur ſpectaſſe Gregorius IX., quùm juramentum, quod dicunt *perhorreſcentiæ*, ab ipſo litigatore præſtari juſſit *cap.* 11. *§.* 1. *de reſcript. in* 6. Fortaſſe eo etiam ſpectan' *can.* 9. *cauſ.* 1. *q.* 7., *cap.* 4., *cap.* 26. *de ſent. excom.*, *&* *cap.* 47. *§.* 1. *de teſt.* In criminalibus cauſſis fruſtra pro actore procurator intervenit, multoque magis pro reo, *l. pen. §. ult. de publ. judic.*, *l.* 1. *an per alium cauſ. appell.*, excepta ſpecie *l. ult. C. de injur.* Idem Canonico jure cautum, *can.* 2. *q.* 3. *cauſ.* 5. Sed res eſt non ſine aliquo diſcrimine tranſigenda. V. Duaren. ad *h. t. cap.* 6., & Vinnium *lib.* 3. *Partit. c.* 21. Procuratores dare poſſunt, qui non prohibentur. Eorum, qui prohibentur, multiplex genus. Quidam natura prohibentur, quod quum conſentire nequeant, mandare non poſſint, quales ſunt infans, furioſus, mentecaptus, *l.* 5. *de reg. jur.*: quidam lege, ſive quod domini non ſint, ſive quod liberam rerum ſuarum non habeant adminiſtrationem, quales ſunt ſervus, *l.* 33. *h. t.*, filiusfamilias, excepta ſpecie *l.* 8. *h. t.*, & *l.* 22. *§.* 6. *ſolut. matrim.*, tutor, & curator ante conteſtatam litem, *l.* 11. *C. h. t.*; nam lite conteſtata litis domini effecti ſunt, *l.* 22. *C. eod.*: & pupillus, ac minor non auctore tutore, & curatore non conſentiente, *d. l.* 11. Surdus & mutus procuratorem dare non prohibentur *ad eum modum, qui procedere poteſt*, *l.* 43. *h. t.*, puta, hic ſcripto, is voce. Procurator facere procuratorem non poteſt, niſi aut conteſtata jam lite, *l.* 8. *§.* 3. *ff. mandat.*, *l.* 8., *&* 23. *C. h. t.*, *&* *cap.* 1. *§.* 1. *de procurat. in* 6., aut ex ipſius domini auctoritate, aut niſi in rem ſuam ſit datus, *d. cap.* 1. Dari etiam procuratores poſſunt, qui non prohibentur: prohibentur autem natura furioſus, mentecaptus, infans, quia *in his animus deeſt*, *l.* 2. *§.* 1. *h. t.*: lege ſervus, *l.* 33. *h. t.*: miles, *l.* 8. *§.* 2. *h. t.*, præter ſpecies in *d. §.* 2. expreſſas: femina, *l.* 18., *&* 21. *C. h. t.*, exceptis quibuſdam caſibus, *l.* 41. *ff.*, *&* *l.* 4. *C. h. t. &c.*: potentior, *l.* 1., *C. ne liceat potent.*: redemtor alienæ litis, *l.* 15. *C. h. t.*: Monachus, niſi qua agatur Monaſterii utilitas, idque Monaſterii Præfectus probet., *can.* 35. *cauſ.* 16. *q.* 1.: Clericus apud judices ſeculares: quæ vetus eſt Eccleſiæ diſciplina per Juſtinianum confirmata *Nov.* 123. *c.* 6.: excommunicatus, *cap.* 7. *de probat.*, *cap.* 1. *de except. in* 6.; is enim, extra convictum & conſuetodinem hominum verſari jubetur: tantumque eſt excommunicati hominis odium, ut nec per ſe poſſit, nec per alium agere; conventus autem *per alium* debeat *in judicio reſpondere*, *cap.* 7. *de judic.*, quum regulariter per procuratorem reſpondeat, qui *ita mavult*, *l.* 26. *C. h. t.*: infamis, *can.* 1. *&* 2.

& 2. *cauſ.* 3. *q.* 7., quum tamen jure Civili Juſtiniani infamia, niſi manifeſta ſit, procuratori non obſtet, *§. ult. Inſt. de except.* Sed jam fori Civilis uſus jus Canonicum recepit. Gail. 1. *obſ.* 43. *n.* 7., & 8., Gudelin. 4. *de jur. novis. c.* 4.

XXV. annis minorem dari procuratorem ad lites, Bonifacii VIII. Conſtitutio vetat in *cap.* 5. *§. ult. h. t. in* 6. Contra XXV. annis minorem, modo ſit major XVII., lites procurare leges non vetant; nam domino minori XX. annis ſervum manumittere, ut ſit procurator, L. Ælia Sentia licet, *l.* 13. *de man. vind.*, & *§.* 5. *Inſt. quib. ex cauſ. man.*: quod de procuratore ad lites dato intelligendum eſt; nam negotiorum cauſſa ſervum manumitti, nihil eſt opus, *l.* 7. *§.* 1. *de inſtit. act.*, & *l.* 3. *§. ult. de min.*

Jure Civili mandato, quod ſolo conſenſu conſtat, *tit.* 23. *Inſtit. lib.* 3., conſtituitur procurator: jure Canonico ad eum conſtituendum ſcripto eſt opus, *cap.* 1. *h. t.*: jamque id in civilem forum ex jure Canonico traductum eſt. Duaren. *ad tit. de Procurat. c.* 7. Quid præſtare procurator debeat, vel in ipſis Inſtitutionum Civilium Libris expreſſum eſt: neque a Legibus Canones abludunt.

TITULUS IV.

DE PACTIS, ET TRANSACTIONIBUS.

Quod moleſta eſt litium perſequutio, & incertus exitus, interdum ſit, ut ſatius ducant actor, & reus pacto aliquo, vel tranſactione lites præcidere. Igitur non de pactis in univerſum hic Titulus agit, ſed de eo pactorum genere, quibus a lite receditur, quæque *liberatoria pacta* dictitant vulgo. Pactorum id generis, ac Tranſactionum finis unus, atque idem. Quæ ad Pactorum, Tranſactionumque vim ac poteſtatem explicandam pertinent, ea maximam partem ex jure Civili ſunt. Dicam de iis pro inſtituto meo nonnulla.

Pacti liberatorii exempla hæc ſunt. Ulpian. *l.* 7. *§.* 14. *de pact.*, *Si paciſcar, ne operis novi nunciationem exequar . . . ſi ex re familiari operis novi nunciatio ſit facta, liceat paciſci.* Paulus in *l.* 27. *§.* 5. *eod.*, *Si quum decem mihi deberes, pepigero, ne a te viginti petam, in decem prodeſſe tibi pacti conventi, vel doli exceptionem, placet.* Aliud exemplum eſt in *l.* 7. *§.* 15. *eod.* Ex *d. l.* 27. habes, liberatorium pactum prodeſſe ad exceptionem, quæ vel pacti conventi exceptio, vel exceptio doli dicitur, nam dolo agit, qui agit contra fidem pacti. *Doli exceptionem ſubſidium eſſe pacti exceptionis*, inquit Ulp. *l.* 10. *§.* 2. *de pact.*, quod quid ſit, idem Ulp. exponit *l.* 7. *§.* 18. *eod.*

Digitized by Google

Pacto proxima, imo pacti ſpecies quædam eſt Tranſactio, quæ & *pacti* nomine nonnunquam venit, *l. 28. §. 2. ff., & l. 1. C. de pact.*, *l. 4. de jur. fiſc.*; ubi vero opponuntur, hoc diſtare paſſim docent, quod pactum gratuitum ſit; unde *donationis cauſſa fieri* dicitur in *l. 1. de tranſact.*; tranſactio autem ſemper aliquo dato, vel retento, ſeu promiſſo fiat, *l. 38. C. de tranſact.*: quod adeo verum putant, ut hanc ſtatuant interpretationis regulam, ſi quando in Libris juris pactum re data, aut retenta, aut promiſſa fieri dicitur, ut in *d. l. 28. ff.*, *& l. 1. C. de pact.*, *& d. l. 4. de jur. fiſc.*, ſemper *pactum* accipi pro tranſactione. Sed falſi ſunt. Tranſactio quidem nunquam gratuito, *d. l. 38.*: at contra pactum gratuito fit, *d. l. 1.*, & *cum pretio*, *l. 6. §. 3. de his, qui not. inf.*, ubi certa res pretio accepto remittitur. Lex 1., quæ aliis fraudi fuit, non de omni pacto, ſed de gratuito tantum ſcripta eſt. Non igitur interpungendum, ut vulgo, *qui paciſcitur, donationis cauſſa rem certam &c.*, ſed, ut Græci, *qui paciſcitur donationis cauſſa, rem certam &c.*; quemadmodum in *d. l. 28. §. 2.* ſcriptum eſt, *ſi donandi cauſſa pactus ſit*. Jam tranſactio eſt incertæ litis conventa deciſio: quod diſcrimen vere poſitum eſt inter pactum, & tranſactionem. *Qui tranſigit, quaſi de re dubia, & lite incerta, neque finita tranſigit: qui vero paciſcitur donationis cauſſa, rem certam & indubitatam liberalitate remittit*, Ulpianus *d. l. 1. de tranſact.* Quandoque ſuper metu futuræ litis tranſigitur, *l. 2. C. eod.* Tranſigi de re ſpirituali, aut quaſi, cujuſmodi eſt Eccleſiaſticum Beneficium, non poteſt; nam non gratuitæ de ea re pactiones turpes ſunt, & ſapere ſimoniam videntur, *cap. 4., & 5. de pact., & cap. 4. de tranſact.*, dempta ſpecie *cap. 7. de tranſact.*, quæ ad titulum pertinet *de Simonia*; at de temporalibus Eccleſiæ bonis tranſigi bene poteſt, ſi ea ſerventur omnia, quæ titulo *de reb. Eccl. alienandis lib. 2.* traduntur; tranſigere enim alienare eſt. Tranſactionis, quod lites finiat, quas & non moveri, & motas facile expediri Civilis, & maxime Chriſtianæ Reip. intereſt, uti *tit. 1.* hujus libri traditum eſt; tranſactionis, inquam, multus in jure favor, & uberrimi fructus. Ei mutuæ tranſigentium renunciationis vis ineſt, quo fit, ut eorum jura tollantur omnia, *cap. 1. h. t.*, ac ſi bona fide, & non ex falſis inſtrumentis inita ſit, *l. pen. C. de tranſact.*, reſcindi non debeat, etiamſi nova ſe ſe offerant inſtrumenta: quod licet primo obtutu habere aliquid ex iniquo videatur, tamen *utilitate publica contra ſingulos rependitur*, ut Taciti verba uſurpem *14. Annal. 44.* Ita Diocletianus & Maximianus reſcripſere in *l. 19. C.*, & Gregorius M. in *cap. 1. eod. tit.* Non obſtat *l. 3. §. 1. ff. eod.*, quæ interpretum ingenia miſere torſit; namque, uti acute, ac vere Giphanius in *d. l. 19.*, non de reſcindenda tranſactione ea lex agit, ſed de re una ad rem omnino aliam non producenda: quod perlegenti

textum liquido patebit. Diocletiani & Maximiani reſcriptum multis vindicavi contra Cl. Virum Lud. Muratorium in meis *Obſervat.* in ejus Librum Italice ſcriptum *de Vitiis Juriſprudentiæ*. Tranſactio jure Civili & *nudo* tantum *pacto*, & ſubjecta pacto convento *Aquiliana ſtipulatione* fieri poteſt, *l.* 2., & 15. *ff.*, & *l.* 28. *C. de tranſact.* Si pacto fiat, exceptione ſubmovetur actio, *l.* 28. *C. eod. tit.*: ſi Aquiliana ſtipulatione ſubjecta, tollitur actio ipſo jure, *l.* 2., & 4. *C. eod.* Verum Canones nimiam iſtam, & miſeram juris Romani diligentiam inſuper habent, & quamvis Aquiliana ſtipulatio interpoſita non ſit, obligationes quoquo modo contractas tranſactione omnino perimi jubent, *d. cap.* 1. *de tranſact.*, in quod v. Gonzalez *n.* 15.

TITULUS V.

DE ARBITRIS.

NOn ſolum pacto, & tranſactione, ſed & Arbitris electis finiri lis poteſt. Arbiter in libris juris Civilis ſæpe eſt judex a Prætore datus, *l.* 19. *ff.*, & *l.* 3. *C. comm. div.*, §. 1. *Inſt. de act.*; is tamen a judice ſeparatur *l.* 7. *ad L. Jul. repet.*, *l.* 15. *de re judic.* Qui ſtrictis judiciis, *Judex*: qui bonæ fidei, aut arbitrariis dabatur, *Arbiter* proprie dictus. Cic. *Orat. pro Roſc.*, & Senec. *lib.* 3. *de benef. cap.* 7. Arbiter eſt hoc loco privatus judex a partibus ad cognoſcendam, judicandamque cauſſam *ex recepto*, hoc eſt, *ex compromiſſo ſumtus*, *l.* 81. *ff.*, & *l.* 12. *C. de judic.* Arbitri notio de re eſt, non juriſdictio: quod ex dictis *tit.* 2. exploratiſſimum fit: nec proprie judex eſt, quod *privatorum conſenſus judicem non facit*, l. 3. *C. de juriſd.*, ſed *judicis partes ſuſcipit*, *l.* 13. §. 2. *de recept.*, *qui arbitr.* Compromiſſi nomen ex eo factum, quod litigatores ſub certa pœna ſe arbitri ſententiæ ſtaturos, mutuo promittant, hoc eſt, id acturos, quantum in eis eſt, ut arbitri ſententiæ pareatur, *l.* 11. §. 2., *l.* 23. §. 2., & paſſim *de recept. qui arbitr.*, *cap.* 4., & 10. *de arbitr.* Id autem promittunt vel mutua ſtipulatione, vel nudo pacto, *d. l.* 11. §. 2. & 3. Olim etiam jurisjurandi religione ſe obſtringebant: tum id vetuit Juſtinianus *Nov.* 82. *c.* 11. §. 1. *Auth. decernit C. de recept. arbitr.* At juramentum illud jure Canonum valet, & porro omitti etiam pœnæ pactio poteſt, *cap.* 2., & 9. *eod. tit.*, uti & jure civili poterat, *l.* 27. §. 7. *de recept.* Pœna compromiſſo adjecta placuiſſe Ulp. inquit *l.* 2. *eod. tit.*, *ex compromiſſo exceptionem rei judicatæ non naſci, ſed pœnæ petitionem*; namque arbitrium vim rei judicatæ non habet: quod ſi quis *non adjecta pœna ſimpliciter ſententiæ ſtari, promiſerit, incerti*

actio-

Digitized by Google

actionem naſci *d. l.* 27. §. 7. Ex Juſtiniani Conſtitutione in *l.* 5. *C. eod.*, ſi non adjecta pœna pactum eſt, *arbitri ſententiæ ſtari*, & partes aut ſententiam ſubſcripſerint, aut decem dierum ſilentio confirmaverint, & pacti exceptio reo, & in factum actio actori datur. Jure etiam Canonico ſi adjecta eſt pœna compromiſſo, *ad pœnam* agitur, *d. cap.* 9.; ſin minus, & exceptio, & actio datur, etiamſi nudo pacto ſit compromiſſum; receptior enim ſententia eſt, jure Canonico ex nudis quoque pactis naſci actionem. V. Vin. *de Pactis c.* 7.

Multiplex Arbitrorum genus plerique omnes interpretes faciunt. Alios arbitros juris eſſe, alios voluntarios arbitros ajunt. Hi ſunt, *qui conſenſu partium eliguntur*, uti eſt in *vet. Gloſſar.*; unde *capi*, *ſumi*, atque *eligi* dicuntur, Plaut. in *Mercat. act.* 4. *ſc.* 3., *l.* 44., & 50. *de recept.* Illi ſunt, quos Magiſtratus conſtituit, aut partes adhibere neceſſitate juris adſtringuntur. Arbitrorum juris exempla ſunt, in *l. ult. C. de judic.* ibi, *Compelli arbitrum, vel arbitros eligere, & apud eos litigare*: in *cap.* 39. *de off. deleg.*, *Suſpicionis cauſſa contra judicem aſſignata, non ipſe, qui forſan provocatus obeſſet, ſed arbitri potius; coram quibus probatio eſt facienda, & ad quos omnia, quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noſcuntur, poſſunt ad hoc terminum aſſignare*: itemque in *cap.* 14. *de reſcript.*, *cap.* 4. *de for. comp.*, *cap.* 41. §. 1., *cap.* 61. *de appellat.*, & *cap.* 11. *de off. deleg. in* 6. Magnum inter arbitros juris, & voluntarios diſcrimen intercedit. Ab arbitris juris recte provocatur, *d. l. ult. C.* ibi, *Niſi fuerit provocatum*, & *d. cap.* 11. *in* 6. ibi, *Ab arbitris, qui ſecundum formam juris . . eliguntur, ad Sedem Apoſtolicam appellandum*. Ab arbitris voluntariis non appellatur, *l.* 27. §. 2., & *l.* 32. §. 14. *de recept. qui arbitr.*, *can.* 33. *cauſ.* 2. *q.* 6., *cap.* 10. *de Conſtit.* Non obſtat *l.* 9. *qui ſatiſd. cog.*, *Arbitro ad fidejuſſores probandos conſtituto . . . perinde ab eo, atque a judicibus appellare licet*: neque obſtat *l.* 23. *de appell.*, *Ex conſenſu litigantium circa compromiſſum a Præſide Provinciæ judice dato, victus poteſt provocare*: ac demum non obſtat *can.* 34. *cauſ.* 2. *q.* 6., *Sane ex conſenſu partium ſi judices electi fuerint, etiam a pauciori numero, quam conſtitutum eſt, liceat provocare*; nam *l.* 9. de arbitro *conſtituto* loquitur, puta, per Magiſtratum: qualis arbiter juris eſt: l. 23. de judice, h. e. arbitro a Præſide dato *citra*, ſic enim legendum, uti vulgata habet, non *circa compromiſſum*, ut male Florentinus Liber. Canon autem 34., qui ex Concilio Carthag. III. deſumtus eſt, addita negatione legendus ita; *non liceat*, uti in ipſo Carthag. Concilio impreſſo, & MS. cum multis exemplaribus collato legitur, & in Codice Africano *can.* 122., & apud Ivonem in Decreto. V. Correctores Romanos in eum *can.*, Ant. Aug. *lib.* 2. *de emend. Gratian. c.* 3., & Van Eſpen *Comm. in Gratian.* Quæ in eun-

eundum *can.* habet Cironius 2. *obſ.* 2., bene refellit Gonzalez in *cap.* 2. *h. t.* Quamquam autem ab arbitri ſumti ſententia, ſeu laudo (*a*) provocari jus non patitur, quod incivile ſit, me iniquum dicere, quem ipſe mihi judicem delegi; ac mihi debeam *imputare, qui compromiſi*, *l.* 27. §. 2. *de recept.*; tamen jure Civili ſi dictam ab inimico arbitro ſententiam *manifeſte apparuerit*, *doli mali exceptio in pœnæ petitione* obſtat, *l.* 32. § 14. *eod.*: & generaliter ſi iniquam ſententiam arbiter dixit, uſu fori receptum eſt, ut *reductio* detur *ad arbitrium boni viri*, de qua ſatis multa in *Comment.* meis *de jure Civili Neapolitano lib.* 4. Porro alios proprie *arbitros*, alios dicunt *arbitratores*: hos præter ſolennem judiciorum ordinem lites, ut bonum æquum, componere: illos ſervato judiciorum ordine tanquam judices judicare arbitrantur. Contra Coraſius 4. *Miſcell.* 18., Bachovius *ad tit. ff. de recept.*, Vinnius 1. *ſelect.* 16., & Gonzalez in *cap.* 1. *h. t. n.* 14. unum eſſe arbitrorum genus contendunt, ad quos ſpectat tit. *ff.*, *& C.*, itemque titulus Decretalium: quoſque illi dicunt arbitratores, ad lites exemplo judicum dirimendas nuſquam adhibitos, ſed ad extrajudiciales tantum actus, ut in *l.* 76. & *ſeqq. ff. pro ſoc.*, *l.* 25. *ff. locat.*, *l. ult. C. de contrah. emt.*, *l.* 1. §. 1. *de leg.* 2., *l.* 6. *de cond. & dem.* Meum de hac re judicium habes in *Comm.* meis *de jur. Civ. Neap. lib.* 4. De quibusdam cauſſis arbitri notio non eſt, quales ſunt criminales, ſi criminaliter agantur, *l.* 32. §. 6. *de recept.*, *l.* 7. *C. de Epiſc. Aud.*, *cap.* 9. *de in integr. reſt.*, *& cap.* 16. *de jurejur.*: liberales, *d. l.* 32. §. 7., *& cap.* 9.: matrimoniales, *cit. cap.* 9.: cauſſæ etiam reſtitutionis in integrum, *d. cap.* 9., & generaliter quæ majores judices habere debent, *d. l.* 32. §. 7., & *d. cap.* 9. De iis, qui compromittere poſſunt, vel non, hanc paſſim ſtatuunt regulam, eos non poſſe, quibus non eſt jus alienandi: quam regulam exemplis con-

(a) *Arbitri ſententiam vulgo* laudum *dicunt*. Laudare *ſequiore Latinitatis ævo* judicare *erat*. *Obertus de Orto lib.* 2. *de Feudis cap.* 20., Laudatum, *inquit*, ſæpe ſcio, *hoc eſt*, judicatum. *V. Hotom. de verb. Feud. Putare Juriſconſultos*, *ſcribit Turneb.* 14. *Adverſ.* 12., *nullum eſſe verbum Latinum*, *quo ſententia arbitri vocetur*: *itaque eos verbum cudiſſe* laudum, *ſane quidem illaudatum*: *tum Feſto auctore arbitri ſententiam Latine* arbitrium *poſſe dici arbitratur*. *Rectiſſime Turnebus*; *ſed is tamen de more grammaticorum Juriſconſultis infenſus ſaltem politioribus parcere debuiſſet*. *Arbitri ſententia in libris juris* arbitrium *dicitur*. *Cajus l.* 9. *qui ſatisd.*, Si in alterutram, *inquit*, partem iniquum arbitrium videatur, *ubi vel ipſe Accurſius* arbitrium *arbitri ſententiam interpretatur*.

Digitized by Google

confirmat Gonzalez in *cap.* 5. *tit.* Exemplum unum hic dabo ex *d. cap.* 5. Si qui per ſummum Pontificem Ordinarii juriſdictione exemti ſunt, ii ſuper exemtione inutiliter compromittunt; namque ut libere poſſint jus ipſi ſuum remittere, certe vero jus, quod ſibi in eos ſummus Pontifex reſervavit, intervertere non poſſunt. Arbitri eſſe vetantur ſervi, *l. 7. de recept.*: pupilli, furioſi, aut ſurdi, aut muti; *l. 9. §. 1.*: mulieres, *l. ult. C. eod.*, in quam v. Cujac. 13. *obſ.* 23., & Wiſenbach. in *cit. tit. C.*, niſi lege, aut moribus ordinariam habeant juriſdictionem: quæ exceptio eſt ex jure Canonico in *cap. 4. de arbitr.*, cujus hiſtoriam dat Manrique *tom. 3. Annal. Ciſtercienſ. an.* 1204. *cap.* 5.: judices in ea re, de qua judices ſunt, *d. l. 9. §. 2.*, *Can.* 2. ſub finem *c. 3. q. 7.*, qui canon ex Digeſtis deſcriptus eſt: ſed contra ab Innoc. III. reſcriptum in *cap.* 5., & 7. *h. tit.*, multorum opinio eſt: mea eſt hæc, eum, qui juriſdictionem habet, & Canonico, & Civili jure ſuſcipere arbitrium poſſe, *d. c.* 5., & 7., & *l. 3. §. ult.*, & *l. 4 h. tit.*, quibus Pandectarum locis unum dicatur, Magiſtratus ſuperiores cogi ſuſcipere arbitrium non poſſe, inferiores poſſe; patet, eos, ſi velint, non prohiberi: at datum judicem ſuper cauſſa, cui datus eſt judex, recipere arbitrium non poſſe, ne ita a præſcripta ſibi formula recedere videatur. De dato judice agitur in *d. l.* 9., & *can.* 2.: idque apertiſſimis argumentis adſtruit Duaren. in *tit. ff. de recept.* Hoc unum habe. Ait *l.* 9., *Si quis judex ſit, arbitrium recipere ejus rei, de qua judex eſt, prohibetur.* Paſſim in Legibus *judex* eſt judex datus: atque hunc ea l. indigitari, probat τὸ *ejus rei*, quod judicem deſignat certæ rei datum, ſeu *addictum*, uti eum non raro Leges vocant, puta *l. 4. §. 1. de eo, quod cert. loc.*, *l.* 59. *§. ult. ad Trebell.*, & fortaſſe etiam *l.* 7., & 16. *fam. erciſc.*, ubi legendum *judex addictus*, non *aditus*, ut perperam vulgo: laici de cauſſis ſpiritualibus, *cap.* 8., cui contrarium non eſt *cap.* 9., in quod v. Gonzalez: denique hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, infideles, excommunicati, cum quibus fidelem ſine juſta cauſſa agere non oportet.

Jure Civili *ſi in tres fuerit compromiſſum, ſufficit duorum conſenſus, ſi præſens fuerit & tertius: alioquin abſente eo, licet duo conſentiant, arbitrium non valet; quia in plures fuit compromiſſum, & potuit præſentia ejus trahere eos in ejus ſententiam*, *l. 17. §. 7. de recept. qui arbitr.*: jure Canonico, ſi tertio abſente duo conſentiant, arbitrium valet, *cap. 2. de arbitr. in* 6., ubi id diſerte exprimit Bonifacius VIII., *licet lex Civilis aliud innuere videatur.* Sed tum demum valet arbitrium, quum tertius arbiter legitime advocatus nulla juſta cauſſa detentus recuſaverit convenire, quod verbis *d. cap.* comprehenſum eſt.

Th.

TITULUS VI.

DE IN JUS VOCANDO.

SI neque pacto, aut tranſactione, neque arbitrio finita lis eſt, judicio contendendum. Judicii proprie ſumti, quo ea tantum comprehenduntur, quæ Romæ olim expediebantur apud judicem datum; partes omnino tres, litis Conteſtatio, cauſſæ Cognitio, Sententia. Judicii minus proprie & latius accepti, quo ea continentur omnia, quæ & in jure, & in judicio peragebantur; partes numero quinque, Vocatio in jus, litis Conteſtatio, Cognitio cauſſæ, Sententia, & ſententiæ Exequutio. Judicii nomen expendi in *Comm. in pr. tit. de act. Inſt. lib.* 4.

In jus vocare *eſt juris experiundi cauſſa vocare*, *l.* 1. *de in jus voc.* Experiri Latinis eſt periculum facere: quumque is, qui apud judicem agit, ſuæ actionis periculum faciat, ſcite Juriſconſulti *experiri*, & *agere* in eandem ſententiam dixere. Donat. in *Terent. Adelph. act.* 3. *ſc.* 2. Apud veteres Juriſconſultos *in jus vocare*, & *citare* plane diverſa. Reus ab actore privata auctoritate, & vero etiam privata vi vocabatur in jus, puta ad eum, qui præerat jurisdictioni: qua de re latiſſime *Commentarius* meus in *pr. tit.*, *&* §. 12. *de act. Inſt. lib.* 4. Contra & reus, & actor, & patroni, & teſtes præcepto judicis in judicium citabantur ac proprie per Præconem, interdum et am edicto. Briſſon. *de V. S.*, & A. Matthæ. *diſp.* 7. *de Judic.* uſque ad *theſ.* 43. Sublato autem veteri in jus vocationis ritu, itemque diſcrimine inter judicem, eumque, qui præeſt jurisdictioni, ipſa in jus vocatio cœpit *citatio* appellari. Hoc ſenſu *citationem a judice emanare*, inquit Clemens V. *Clement.* 2. *ut lit. pend.*

Igitur jure Civili novo, quod Trajano recentius oſtendi in *d.* §. 12., juſſu judicis vocatur reus per apparitorem ſeu litis exequutorem. Forma in jus vocationis eſt hæc. Actor *in judicio poſtulationem deponit*, uti loquitur Honorius *l.* 3. *C. de præſcript.* 30. *an.*, ac Juſtin. *l. ult. eod.*, hoc eſt, libellum, quo continetur actio, deponit apud acta, *Nov.* 53. *c.* 3.; tum Judex vocari reum ſcripto decernit: poſtremo exequutor litis libellum reo offert, *d. Nov.* 53., & *Auth. offeratur C. de lit. conteſt.*: atque hoc eſt jure novo *actionem edere*; namque oblatus reo libellus *ſpeciem futuræ litis demonſtrat*: quod de actione edicta dicitur in *l.* 16. *C. de edend.* Varia libellorum genera enarrat Briſſon. de *V. S.* In pecuniariis cauſſis, de quibus hic, libellus *conventionis* adhibetur, §. 24. *Inſt. de act.* Canonico etiam jure actionem ſcripto inſtitui, atque edi ne-

ceſſe eſt, *cap.* 1. *de libel. obl.* Antiquitus Eccleſiaſtica judicia ſine ſcripto exercebantur, *Nov. Juſt.* 83., *can.* 45. *cauſ.* 11. *q.* 1. (*a*) Nudo verbo intendebatur actio, nudoque verbo appellabatur. De S. Cyrillo Hieroſolymitano Epiſcopo, qui a Seleucienſi Concilio depoſitus libello provocavit, ita Socrates *lib.* 2. *c.* 32. *Solus & primus contra Canonis Eccleſiaſtici conſuetudinem id fecit Cyrillus libellis appellatoriis uſus, proinde ac in publico judicio.* Hinc Alteſerra *de juriſd. lib.* 7. *c.* 1. inquit, Marcello Pontifici aliud agenti excidiſſe illud *can.* 1. 17. *diſt.*, *Nam ſi ſeculares in publicis judiciis libellis utantur appellatoriis, quanto magis Sacerdotibus hac eadem agere licet, qui ſuper illos ſunt?* Ego vero in verbo *libellis* momentum nullum poſitum arbitror. *Libellis appellatoriis uti* in eo *Can.* perinde eſt atque appellare, uti Pontificis ſententia ſit omnino hæc, ſi ſecularibus appellare licet, multo magis Sacerdotibus appellare licere. De jure, non de ratione appellandi dicere, propoſitum Pontifici fuit. Conjecturam hanc meam confirmant verba illa Canonis, quæ proxime præcedunt, *Neque poteſtis ullum Epiſcopum, qui ad hanc appellaverit Apoſtolicam Sedem, damnare.* Ita eſt is Canon explicandus. Cæterum Marcelli P. Epiſtolam, unde deſcriptus eſt, ſuppoſititiam habe. De Epiſtolis Romanorum Pontificum ante Siricium P. nonnulla *lib.* 1. Non omittam, in pecuniariis fidelium cauſſis, quæ olim ad Epiſcopos, tanquam ad arbitros deferebantur, uti dictum *tit.* 1., aliquem libellorum uſum fuiſſe. De Sylvano Troadis Epiſcopo hæc apud Socratem ſcripta ſunt *lib.* 7. *c.* 36., *Acceptis ſupplicantium libellis, unum ex fidelibus laicis ... ei cauſſarum cognitioni præfecit.* Nunc diſcrimen accipe inter Civile, & Canonicum jus. Civili jure actionis nomen libello exprimi eſt opus, *l.* 3. *C. de edend.*, *l. ult. C. de interd.*, & *Nov.* Valentiniani *de Epiſcop. judic.*: jure Canonico opus non eſt, *cap.* 6. *de jud.*, in quod v. Cujac.: ſicque nunc obtinet in foro Civili.

Habes ex dictis, citationem novo jure omnino actum juriſdictionis eſſe, nec niſi a competente judice rite expediri, *d. Clement.* 2. Quid ſi judex competens non ſit? Generaliter apud Paulum ſcriptum eſt *l.* 2. *ſi quis in jus voc. non ierit*, *Ex quacumque cauſſa ad Prætorem, vel alios, qui juriſdictioni præſunt, in jus vocatus venire debet, ut hoc ipſum ſciatur, an juriſdictio ejus ſit*: & apud Ulp. *l.* 5. *de judic.*, *Si quis ex aliena juriſdictione ad Prætorem vocatur, debet venire ... Prætoris eſt enim æſtimare, an ſua ſit juriſdictio: debet autem non contemnere auctoritatem Prætoris; nam & Legati, cæterique, qui revocandi domum jus habent, in ea ſunt cauſ-*

(*a*) *Nam idem de pecuniariis, ac de criminalibus Clericorum cauſſis jus fuerit, expendam lib.* 4.

Digitized by Google

cauſſa, ut in jus vocati veniant, privilegia ſua allegaturi: quæ duo juris loca quum de Prætore nominatim agant, aliiſque, qui præſunt juriſdictioni, producenda ad judices non ſunt. Duaren. *ad tit. de judic. cap. de for. comp.* Sed recte interpretes eam juris Civilis ſententiam ita accipiunt, niſi notorium ſit, judicem eſſe non competentem: & jam hoc jure utimur. Ubi id notorium non eſt, in jus vocatus venire ad judicem debet, cujus eſt æſtimare, num ſua ſit juriſdictio, *d. l. 2.*, *d. l. 5.* & *l. 2. §. 6. de judic.*: neque alia eſt mens Canonum, *cap. 14. de reſcript.* Non obturbat regula juris, *neminem ſibi eſſe judicem, vel jus ſibi dicere debere*, *l. un. C. ne quis in ſua cauſ. judic.*, namque Ulp. palam eſſe ſcribit *l. 1. §. 11. quand. appelland. ſit*, *eum eſſe propriam cauſſam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet*. Sive autem ordinarius ſit judex, ſive delegatus, præcepto ejus parere reus debet; ſed quoniam delegatus alienam exercet juriſdictionem, *citatoriis literis inſerere* debet exemplum literarum, quibus ei mandata juriſdictio eſt, *cap. 2. de dilat.*: quod mihi primum jure Canonico expreſſe ſancitum videtur; ſed haud eſt tamen a ſententia juris Romani alienum, *l. 1.*, & *2. C. de mandat. Princ.*, *l. 5. C. de jur. fiſc. lib. 10.* Citatoriis literis exprimi nomen judicis debet, ut ita videat reus, num ad proprium judicem vocetur: porro cauſſa, cur vocetur, ut is ea cognita ſtatuat vel cedere, vel ſe contra actorem tueri, eaque patet omnia, quæ ad inſtruendam cauſſam pertinent: hoc plus certus locus, & dies. Si delegatus ſit judex, certum literis citatoriis exprimi locum omnino neceſſe eſt: quod ſi vero ordinarius judex ſit, nihil eſt opus; hic enim ſuum certo loco tribunal habet, ille non habet. Referri huc poteſt illud Ulp. *l. 59. de judic.*, *Si locus in jubendo judicare non eſt comprehenſus, videtur eo loco judicare juſſiſſe, quo ſolet judicari ſine incommodo litigantium*; atqui ordinarius quidem ſolet certo loco judicare, non delegatus. Ex noviſſimis Ulpiani verbis hoc etiam infer, locum eſſe eum debere, ut nihil ſibi inde metuant litigatores: & exertiſſime ſcribit Clemens V. in *Clement. 2. de ſent. & re judic.*, contra naturam eſſe reum ad locum non tutum cogi venire. Sive autem locus ipſe judicii tutus non ſit, ſive alius, per quem neceſſario tranſitus faciendus eſt reo, idem juris eſt, *cap. 4. ut lit. non conteſt.*, in quo v. Gonzalez. Eſt id hoc diſcrimine accipiendum, ut ſi notorium ſit, locum reo tutum non eſſe, citatio ipſo jure ſit nulla, *d. Clement. 2.*: ſi notorium non ſit, valeat citatio, incumbat autem reo onus probandi, eum ſibi tutum non eſſe, *cap. 1. §. 3. de ſent. excom. in 6.* At enim ubi tutus non eſt judicii locus, reſpondere per procuratorem reus poteſt. Video; ſed hoc ipſo excuſatur reus, quod liberum ei non eſt reſpondere per ſe. Dies quoque certus eſſe debet, atque hunc arbitratu boni

viri præſtituet judex ſpectatis locorum, temporum, ac perſonarum adjunctis; nonne enim iniquum eſt ad id tempus reum evocare, intra quod is ſui præſentiam facere aut nullo modo poteſt, aut ſaltem minus commode poteſt? Is dies feriatus ne ſit. Feriati, ſeu *feriatici* dies, uti eos vocat Ulp. *l. 2. de feriis*, ſunt quibus *lite vacant aures*, uti Ovidii verbo utar 1. *Faſt.* 73. Feriarum aliæ ſunt Religionis gratia, aliæ ad humanum uſum inſtitutæ. Hæ ſunt feriæ meſſis, aut vindemiarum, de quibus in *l.* 1., & 3. *ff.*, ac *l.* 2., & 7. *C. eod.*: illæ ſunt *dies devotionum*, ut loquitur *l. ult. C. Th. de navicul.*, ſeu *feſti* dies, quibus *communes* dies opponit *l. 2. C. de ſtat. & imag.* De utroque feriarum genere eſt *cap. ult. de fer.* Jure Civili judiciales actus feriatis diebus inutiliter expediuntur, *l.* 2. in fine *C. eod.*, niſi litigatores ſponte ſua veniant ad judicem, *l. 1. §. 1. cit. tit.* Sunt qui contra cautum jure Canonico putant. Moventur *cap. 6. de dol. & cont.*, *Ipſi mandavimus, ut uſque ad Dominicam... tranſactam per ſe, vel per procuratorem... ad præſentiam noſtram accederet*: itemque *cap. 15. de accuſ.*, *Epiſcopum ad feſtum Dominicæ peremtorie nos meminimus citaviſſe*. Reſpondent nonnulli, *uſque ad*, & *ad* idem ſæpe eſſe, quod *infra*, ut in *cap. 1. de in integr. reſt.*, & *cap. 9. de fid. inſtr.* Sed his obſtat τὸ *tranſactam* in *d. c. 6.* Ajo igitur, utroque *cap.* reum juſſu Summi Pontificis citatum: multa autem Rom. Epiſcopus præcipua habet, quæ aliis Epiſcopis denegantur. Cæterum in *cap. ult. de fer.* diſertiſſime Gregorius IX. debere inquit *judicialem ſtrepitum diebus conquieſcere feriatis*. Jam ante Greg. IX. judicia feriatis diebus agitare vetuerant Canones. Ex Concilio *apud Compendium*, Galliæ Urbem, verba hæc traducta ſunt in *cap. 1. eod.*, *In eis* (de Dominicis diebus agitur) *mercatum minime fiat, neque placitum*, hoc eſt *judicium*: quo ſenſu occurrit ſæpe ea vox in Legibus Wiſigoth. Aleman. Ripuar., & in Capitularibus Caroli M.: unde *placitare*, ideſt, judicio contendere. V. Lindeborg. in *Gloſſar. v. placitum*, & Voſſ. *lib. 4. de vitiis ſerm. c. 16.* Eadem habes in Concil. Hiſpal. 1, *c.* 2., Tribur. *c.* 35., Aquiſgran. 2. *c.* 17. Quod autem addit Greg. IX. *d. cap. ult.*, judiciales actus feriatis diebus expeditos omnino irritos eſſe, id nullo ante id tempus Canone comprehenſum videtur: & certe Gregorius jus Romanum ſpectavit in *d. l. 1. ff.*, & *l. 2. C. eod.* Sed, quantum ad feſtos dies, id Gregorius expreſſit, quod Romana Lex non expreſſerat, iis diebus judiciales actus ne conſentientibus quidem litigatoribus utiliter expediri.

Manifeſtari decretum citationis reo debet: manifeſtatur autem aut denunciatione, aut literis, aut edictis: quæ tria ſeparat Paulus 5. *ſent.* 5. §. 7. Denunciationes per officia, & exequutores fiunt: literæ mittuntur ad reum: edicta publico loco affiguntur. Cu-

jac.

Digitized by Google

jac. in *d.* Pauli *loc.* Nuncius reo denunciare citationis decretum debet *vel in faciem*, *vel ad domum*, *l.* 15. §. 1. *de excuſ. tut.*, & præſenti quidem in faciem, abſenti ad domum: ſi rei copiam habere poteſt, in faciem: ſi non poteſt, tum demum denunciat ad domum, arg. *l.* 1. §. 1. *de agnoſc. & alend. lib.*: quod idem non obſcure tradit Alex. III. *cap.* 3. *de dol. & cont.* De denunciatione ad domum ſcite Cujac. 7. *Obſ.* 15. De vocatione per literas ſunt *l.* 49. §. 1. *de recept.*, *qui arbitr.*, & *l.* 26. §. 9. *de fideic. lib.* Quod ſi reus abſit, atque ubi ſit, ignoretur, edicto publico loco affixo evocandus, ut ita reus abſens per propinquos, aut amicos, quibus Edictum patet, admoneatur: id quod lex præſumit, imo *violenter* præſumit, uti Bonifacius VIII. loquitur *Extrav. unic. de dol. & cont.* De hujuſmodi citationibus ita Bonif. ibidem, *Statuimus, ut citationes auctoritate Apoſtolica de quibuſcumque perſonis undecumque, & ubicumque ſint . . . præſertim ſi impediant . . . quoquo modo, ne citationes ipſæ ad eos perveniant . . . etiam extra ſolennes dies, in quibus Romani Pontifices ſuos facere conſueverunt generales proceſſus . . . factæ in audientia literarum noſtrarum, aut in aula noſtri Palatii, poſtmodum affigendæ januis majoris Eccleſiæ . . . ſic valeant, ac arctent citatos poſt terminum lapſum . . . ſicut ſi eos perſonaliter apprehendiſſent*, hoc eſt, perinde ac ſi eis denunciatum in faciem fuiſſet, *Clement.* 1. *de judic.* Verum Clemens V. in *d. Clem.* 1. aliquid de ſeveritate ſui deceſſoris remiſit, & *præfatum modum citandi* reſtrinxit *ad illos tantum, qui faciunt, impediunt, vel procurant per ſe, vel per alios quoquo modo, ne ad eos poſſit citatio pervenire, vel quorum domicilia, ſive loca non poſſunt tute, libereve adiri.*

Reo citato lis dicitur pendere, *Clem.* 2. *ut lit. pend.*, ſi tamen *in citatione talia ſint expreſſa, per quæ plene poſſit inſtrui reus, ſuper quibus in judicio convenitur*, *d. Clem.* 2.: quod ita cautum eſt ex ſententia juris Civilis in *Auth. litigioſa C. de litig.* Pendet autem lis poſt citationem *quo ad hoc*, *ut nihil debeat innovari*, *d. Clem.*; namque alias nonniſi poſt conteſtationem lis pendet. V. *cap.* 20. *de V. S.*, & Gonzalez in *d. cap.*, & in *cap. unic. de lit. conteſt.* Hinc conſequitur, poſt citationem, quæ reum inſtruit de cauſſa, rem fieri litigioſam, *d. Auth.*, & *d. Clem.*, proindeque alienari non poſſe *l.* 18. *de rei vind. c. ult. cauſ.* 11. *q.* 1., *cap.* 3. *ut lit. pend.*

TITULUS VII.
DE DOLO, ET CONTUMACIA.

DOlum malum definit Labeo apud Ulp. *l.* 1. §. 2. *de dol. mal. omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*: in qua definitione nihil ocioſum eſſe, demonſtrat Huber 3. *Obſ.* 25. Dolus hoc loco eſt fraudulentum conſilium litigatoris contumacis judicium detrectantis. Contumax a tumendo potius, quam a contemnendo dictus, & ſi poſteriorem originationem præferre Juriſconſulti videantur; ſuperbus eſt: & appoſite ad hanc rem Auctor *ad Herenn. lib.* 1. ſcribit, in ſuperiores aliquem dici contumacem: in inferiores vel pares faſtidioſum; unde Stoici Magiſtratuum, & Regum contemtores proprie dicti contumaces, Senec. *ep.* 72. Contumax definitur Hermogeniano *l.* 53. §. 1. *de re jud., qui tribus Edictis propoſitis, vel uno pro tribus, quod vulgo peremtorium appellatur, literis evocatus præſentiam ſui facere contemnit*. Hoc idem Paulus tradit 5. *Sent.* 5. §. 7. Tu ſic habe. Jure Romano citatio eſt aut ſimplex, aut peremtoria. Simplex peremtorii comminationem non habet: debetque eſſe trina, quod legis manſuetudo introduxit, neque ante reum facit contumacem, quam tertio ſit facta. Peremtoria comminationem peremtorii habet, ac licet tertio non facta, reum, ſi ſui præſentiam non fecit præſtituto die, facit contumacem. Poſt tres ſimplices citationes actor peremtorium Edictum impetrat, *l.* 70. *de judic.* Nonnunquam autem, inquit Ulp. *l.* 72. *eod.*, hoc Edictum poſt tria Edicta dari, nonnunquam poſt unum, & alterum, nonnunquam ſtatim, quod appellatur *unum pro omnibus*: ſubditque, hoc æſtimare jus dicentem debere, ac pro conditione cauſæ, vel perſonæ, vel temporis ita ordinem Edictorum, vel compendium moderare (a). Jam in peremtorio comminatur is, qui Edictum dedit, etiam abſente adverſa parte cogniturum ſe, & pronunciaturum, uti Ulp. docet *l.* 71. *eod.*: quo & illud patet, quod eſt apud eundem Ulpianum *d. l.* 70., peremtorium inde nomen ſumſiſſe, quod perimat diſceptationem, hoc eſt, ultra non patiatur adverſarium tergiverſari. Porro Edicta (b), quibus citatur reus, Jure Pandectarum ſic da-

(a) *V. Cujac.*, *&* *Schulting. in Paul.* 5. *ſent.* 5. §. 7.

(b) *Edicta hæc in c.* 15. *Concilii Africani ſub Cæleſtino* Conteſtationes: *apud Anianum in Paul.* 5. *ſent.* 5. §. 7., & *can.* 6. *cauſ.* 24. *q.* 3. Auctoritates *vocantur*. *Sequiore Latinitatis ævo quæ Latinis* Denunciatio, *paſſim* Auctoritas *dicebatur*. *V. Car. du Freſne in Gloſſ.*

dabantur, ut ſingula darentur per intervallum non minus X. dierum, *l. 69. eod.*; ſed jure Novellarum intervallum illud X. dierum ad dies XXX. productum eſt, *Nov. 112. c. 3.* Quæ de tribus Edictis, aut uno pro omnibus dato Civile jus ſtatuit, eadem videtur Innoc. III. conſtituiſſe in *cap. 24. de off. jud. deleg.* Sed & ante Innoc. III. Pariſienſe Concilium tempore Ludovici Romanam Legem (*a*) de tribus Edictis, aut uno pro tribus omnino probavit apud Gratianum *can. 6. cauſ. 24. q. 3.* Quantum vero ad XXX. dierum intervalla, hæc jure Canonico poſita ſunt in arbitrio judicantis, *cap 7. de dol., & cont.*, & *Clem. 1. de judic.* Profecto æquius eſt, ut diverſa locorum ratio poſtulabit, tempus contrahere, aut producere: ſicque Civilis etiam fori uſu receptum eſt.

Sæpe reus per contumaciam abeſt, quandoque etiam actor: unde quæ pars in libris Decretalium inſcribitur, *de dolo, & contumacia*, in antiquis Collectionibus inſcribitur, *de dolo, & contumacia alterius partis punienda*, ubi τὸ *alterius partis* ſic accipitur, *actoris*, vel *rei*. Primum de actore, tum de reo videamus.

Non uno modo actoris contumacia coercetur. Intereſſe ajunt, num is ante conteſtatam litem, an lite conteſtata contumax ſit. Moventur *Nov. 112. c. 3. §. 1.* & *2.*, ubi de actore agitur, qui actione propoſita cœpit abeſſe, quum *apud judicem initium lis non acceperat*, hoc eſt, quum non dum erat conteſtata; & contra dicitur, eum poſtea fieri contumacem. Vulgarem hanc diſtinctionem rejicit Gonzalez in *cap. 3. de dol., & cont.* hoc argumento, quod ſi propoſita ab actore actione reus ad judicem venit, abſente etiam actore conteſtata lis intelligitur: quum ſaltem de jure Canonico utriuſque partis præſentia non ſit ad conteſtandam litem neceſſaria, ſitque ſatis, actorem petiiſſe, reum reſpondiſſe; ut proinde fingi ſpecies non poſſit, qua non conteſtata lite actor contumax puniatur. Novellam autem hoc ſenſu exponit Gonzalez, non fuiſſe quidem, quo tempore abeſſe actor cœpit, litem ex parte actoris, & ex parte rei conteſtatam; at fuiſſe tamen conteſtatam ex parte actoris, quæ imperfecta quædam conteſtatio eſt: tum veniente in judicium, ac reſpondente reo, quo tempore actor aberat, conteſtationem fuiſſe perfectam. Ego vulgarem diſtinctionem ſic retineo, ut omnibus probetur. Aut actor lite non dum perfecte conteſtata contumax eſt, aut perfecte conteſtata lite: ſi prius, id urgere reus præſens recte poteſt, ut is impenſum rependat, *cap. 1. de dol., & cont. in 6.*, quin damna omnia reficiat, *l. 15. C. de jud.*;

(a) *Legis verba Concilium deſcribit; verum ea non Legis, ſed Aniani verba ſunt laudatum Pauli locum interpretantis, ex ſententia Legis Romanæ: quod ejus Canonis Gloſſator haud vidit.*

jud.: & hoc amplius contumax actor ad aliam citationem non eſt admittendus; niſi præſtita cautione judicio ſiſti, *d. cap.* 1. Denique cum actore abſente agi poteſt ex *Nov.* 112. *c.* 3., ubi, *Licebit pulſato ire ad competentem judicem, & per eum ſuum adverſarium ſimili modo vocare . . . Si vero actor propoſitis edictis vocatus ad judicium venire . . . noluerit; tunc & aliud unius anni ſpatium ei concedimus, intra quod, niſi ſuam intentionem fuerit proſequutus, damus licentiam judici, & abſente adverſario partis permanentis allegationes . . . examinare, & . . . legitimam proferre ſententiam*. Juſtiniani Conſtitutionem jus Canonicum confirmavit *cap.* 3. *de dol., & cont.*; ſed temporis compendio ſtudens tria illa edictorum intervalla, & præterea annum neceſſaria non duxit, ſatiſque habuit denunciationes ad domum fieri. Si poſterius, ſalubriter in actorem a Juſtiniano ſtatutum, *l.* 13. *C. de judic.* Is litis inſtantiam certo tempore perimi juſſit. Litis inſtantia eſt actionis proſequutio a lite conteſtata ad ſententiam definitivam: quo eodem prope ſenſu *inſtantiam debiti* dixit Marcianus *l.* 32. §. 1. *de uſur.* Et criminales quidem cauſſas biennio, pecuniarias, nonnullis exceptis, triennio finiri voluit, *pr.*, & §. 1. Deinde §. 2. hæc de actore inquit, *Si pars actoris ceſſaverit . . . & triennii metæ poſt litem conteſtatam jam prope in finem veniant, ut ſemeſtre tempus tantum ei ſuperſit; licentia erit judici per exequutores negotii actorem requirere . . . & ſi per tres vices hoc fuerit ſubſequutum, decem dierum ſpatio per unumquemque introitum deſtinato, & nec ita pars actoris fuerit inventa . . . tunc judicem negotii acta apud ſe confecta conſpicere cenſemus; & ſi quidem nihil ſufficiens actitatum eſt, ex quo poſſit termino cauſſa certa fieri conjectura; volumus non ſolum partem fugientem* (puta, reum, quem ſæpe Juſtinianus *fugientem* vocat more Græcorum, qui reum [illegible] appellant) *ab obſervatione judicii relaxare*, (non ab actione, ſed ab inſtantia, niſi reus ſua ſponte ſuſcipiat in ſe onus probandi, ut abſolvatur, Nov. 112. c. 3.) *ſed etiam in omnes expenſas . . . eum* (actorem) *condemnare . . . ſin autem, ex geſtis apud ſe habitis, parte actoris minime inventa, poſſit invenire viam, qua manifeſtum ei fiat, quid ſtatuendum ſit, etiam abſente actore, ſi eum meliorem cauſam habere perſpexerit, pro eo ferre ſententiam non moretur, & præſentem reum abſenti actori condemnare, expenſis tantummodo litis, quas reus legitime ſe expendiſſe juraverit, condemnatione excipiendis; quia hanc pœnam actori, & meliorem cauſſam habenti propter ſolam abſentiæ contumaciam imponimus, nullo penitus ei regreſſu ad eandem litem conſervando. Sed actor contumax cadat omnino de lite, ſi reus abſolvatur*. Quod habet Juſtinianus de actore *per tres vices* vocando *decem dierum ſpatio per unumquemque introitum deſtinato*, id jure Canonico ſecus ſe ha-

habet; *cit. cap.* 3. *de dol.* Num alia, quæ habet Juſtinianus, jure Canonico confirmata ſint, video quæri. Quod ad litis inſtantiam, ſic Tridentini Patres *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de reform.*, *Cauſſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur: atque omnino ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur*. Spatium hoc biennii ad judicem refertur, non ad litigatores, quos ſpectat Conſtitutione ſua Juſtinianus. Patet id ex eo, quod Tridentini Patres continuo addunt, *Alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire*. Quod ſi vero litigatorum vitio cauſſa in longum trahatur, ego inſtantiam triennio finiri ajo ſecundum Canones, uti triennio ſecundum Leges finitur: mihique ad id probandum illud ſatis idoneo argumento eſt, quod nullo juris Canonici loco Civile jus abrogetur. Hoc etiam argumento, quæ reliqua ſunt in *d. l.* 13., Canonibus probari contendo. Contra Alteſerra *de juriſd. lib.* 7. *c.* 1. jure Canonico inſtantiam triennio haud perimi tradit. Honorii III. reſcriptum laudat in *cap.* 20. *de judic.*, ubi exceptionem inſtantiæ triennio peremtæ non obſtare ſcriptum eſt. Laudat quoque duo Auguſtini loca ex *lib.* 1. *contra Donatiſt. poſt collat.*, alterum *cap.* 12., alterum *cap.* 23., & porro tertium Marcellini Comitis, qui Collationi interfuit, *cap.* 30. *Collat.* 1.: quibus locis triennii, ut ipſe ait, præſcriptio, quæ in Donatiſtarum cauſſa opponebatur, *magis forenſis* dicitur, *quam Epiſcopalis*. Verum is turpiſſime labitur. De juriſdictione ad triennium delegata loquitur Honorius, aitque, exceptionem exacti triennii non obſtare, quod litis conteſtatio perpetuam fecerat juriſdictionem *cap. de off. & pot. deleg.* Videndus in eum textum Cironius in *V. Compilat.* Auguſtinum autem, & Marcellinum Juſtiniano antiquiores ad ejus Conſtitutionem ſpectaſſe, quam ridiculum dictu eſt! Primus Juſtinianus triennii itus auctor fuit: & omnino errat Rævardus 4. *Var.* 14., ubi Sidonii Apollinaris teſtimonio ex *lib.* 8. *ep.* 6. docet, vel ante Juſtinianum jus idem fuiſſe; namque eo loco legendum eſt *tricennium*, uti rectiſſime in editione Sirmondi, non *triennium*, ut vulgo; nec de peremtione inſtantiæ agitur, ſed de præſcriptione actionis: de qua etiam loqui videtur Auguſtinus. Si reus a per dolum abſit, plane intereſt, num is ante conteſtatam, an conteſtata jam lite contumax ſit. Si prius, jure Civili poteſt ei judex multam dicere, *l.* 2. §. 1. *ſi quis in jus voc.*, *l. un. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Num etiam jure Canonico? Dicam *lib.* 4. Poteſt etiam judex jure Civili reum rapi ad judicium jubere, *l.* 8. *C. quom., & quand. judex*. Num etiam jure Canonico? Dicam *lib.* 4. Jure Canonico poteſt rei contumaciam excommunicatione coercere, *cap.* 1. 2. 3. *& ult.* §. *ult.*

h. t., quibus ex locis patet, id poſitum in arbitrio judicantis. Verum, ne excommunicationis fulmen vileſceret, a Tridentinis Patribus ſtatutum *de Reform. ſeſſ. 25. c. 3.*, ut tum demum Eccleſiaſticus judex excommunicationi reum ſubjiciat, quum perſona, aut re coerceri non poteſt. Utroque jure mittitur actor in poſſeſſionem bonorum rei. Proſtat Innocentii III. juriſconſultiſſimi Pontificis Conſtitutio ſuper hac re in *cap. ult. ut lit. non cont.*, maximam partem ex jure Civili deſcripta. Ait Innocentius, *Prudenter eſt attendendum, utrum contumax* (ante litem conteſtatam) *actione reali, an perſonali conveniatur. Si reali, mittendus eſt actor in rei petitæ poſſeſſionem*, (quæ non tam poſſeſſio, quam cuſtodia eſt, *l. 5. ut in poſſeſſ. legat.*, & *cap. 3. ut lit. non cont.*) ut *tadio* (*cuſtodiæ*, uti eſt in *d. l. 5.*) *affectus reus veniat reſponſurus. Qui ſi* (poſt miſſum actorem in rei vindicatæ poſſeſſionem) *venerit infra annum, judicio ſiſti præſtita cautione, ac exhibita ſatisfactione congrua expenſarum, poſſeſſionem recuperet.* (Id jam caverat Juſt. *l. 8. §. 3. C. de praſcr. 30. an.*) *Quod ſi cautionem offerre neglexerit infra annum, actor poſt annum verus conſtituetur poſſeſſor.* (Ita Pontifex controverſiam definivit, quæ Pilæum, & Bulgarum ex una, Johannem, Martinum, & Azonem ex parte altera exercuit, ſententiamque firmavit Pilæi, & Burgari, actorem ſola in poſſeſſionem miſſione non ſtatim poſſeſſorem fieri, ut Ich., Martinus, & Azo exiſtimabant, ſed poſt annum: quæ opinio jure Civili probabilior erat ex *d. l. 8. §. 3.*) *Quod ſi ſuper rebus immobilibus quiſquam conveniatur, qui eas poſſidet nomine alieno*, (puta, tanquam procurator) *debet ſtatim in judicio dominum nominare certo dierum ſpatio a judice ſtatuendo, eoque ad ejus notitiam perducendo, ut vel ipſe veniens, vel idoneum dirigens reſponſalem* (h. e. procuratorem, qui pro eo reſpondeat, *l. 2. C. ubi in rem actio*) *actoris intentionem excipiat. Si vero poſt tempus indultum, quod diſpoſitum eſt, noluerit adimplere, tanquam lite, quæ ingeritur, ex eo die, quo poſſeſſor ad judicium vocatus eſt, ad interrumpendam præſcriptionem longi temporis, conteſtata: dominum poſſeſſionis judex tribus edictis legitimis evocabit: & tunc ipſo in eadem voluntate manente, negotium ſummatim examinans, in poſſeſſionem ipſarum rerum actorem mittere non tardabit: omni allegatione abſenti ſuper principali quæſtione reſervata* (Hæc fere ad verbum in *d. l. 2. C. ubi in rem actio*) *Si autem ſuper perſonali actione conveniatur, vel mittendus eſt actor in poſſeſſionem mobilium bonorum ipſius, vel immobilium, ſi forte mobilia non habeat, pro modo debiti declarati*. Poſtrema hæc capituli pars deſumta eſt ex *Nov. 53. cap. 4. §. 1.*, ubi tamen de *mobilibus*, & *immobilibus* bonis verbum nullum. Quod de *mobilibus*, atque *immobilibus* bonis Innocentius addit, id ex Gloſſis deſcripſit. Si po-

poſterius, puta, ſi reus conteſtata jam lite contumax ſit, & ex actis liqueat de cauſſa, judex ſua ſententia definiet litem, *l.* 73. *pr. ff.*, & *d. l.* 13. §. 3. *C. de judic.*; ſi non liqueat, actor in poſſeſſionem mittendus, ſalva reo dominii lite, *l.* 8. *C. quom. & quand. jud.*, *cap.* 4. *de dol. & cont.*

TITULUS VIII.

DE EXCEPTIONIBUS, ET REPLICATIONIBUS.

PRopoſita, editaque actione, ſi velit reus judicio contendere, legitimis exceptionibus utatur, neceſſe eſt. Exceptio eſt actionis excluſio, *l.* 2. *de except.* Ea eſt aut *perpetua & peremtoria*, aut *temporalis & dilatoria*, *l.* 3. *eod.* Hæc agenti ad tempus obſtat, & cauſſam moratur: illa ſemper obſtat, & omnino perimit cauſſam, §. 8., & 9. *Inſt. h. t.* Dilatoriarum exceptionum exempla ſunt hæc, veluti, ſi quis pactum conventum opponat, ne pecunia intra certum tempus petatur, *d.* §. 9., aut ſi judicem ſibi incongruum, ſuſpectumve dicat. Num jure Civili qui ordinarii judices vulgo appellantur, recuſari tanquam ſuſpecti, ut dati judices, poſſint, an potius adjungi eis collegæ debeant, ſatis exploratum non eſt. Hoc poſterius Duareno viſum *ad tit. de judic. cap.* 4.: prius illud viſum pleriſque, in quibus eſt Cujac. 9. *Obſ.* 23., & in *Nov.* 53. At jure Canonico cujuſcumque generis judices poſtulantur ſuſpecti, *cap.* 39. *de off. deleg.*, *cap.* 4. *de for. comp.*, & *cap.* 6. *de appell.* Id etiam Civile jus haud videtur definiviſſe, num certam, juſtamque ſuſpicionis cauſſam adferre, ac probare ſit opus: hinc affirmant alii cum Cujacio 9. *Obſ.* 23., alii negant cum Donello 17. *Com.* 15. Verum jure Canonico certa, & juſta ſuſpicionis cauſſa probanda eſt, *d. cap.* 39. *de off. deleg.*, *cap.* 41., & *cap.* 61. *de appell.*: quod & naturali rationi conſentaneum eſt, & paſſim in Civili quoque foro probatur. Gail. 1. *Obſ.* 33. Denique eo diſtat ſuper hac re Canonicum jus a Civili, quod hoc jure poſt oblatum recuſationis libellum cogatur, qui ſuſpecti egit, *illico*, *id eſt*, *infra triduum proximum* (qua de re v. Cujac. *de Præſcr. temp. c.* 5.) *ſine ulla dilatione arbitrum vel arbitros eligere*, *& apud eos litigare* ſuper ipſa re, cui recuſatus judex eſt datus, *l. ult. C. de judic.*: illo cogatur arbitros eligere, apud quos recuſationis tantum cauſſa expendatur, *d. cap.* 41., & *cap.* 61.: quo jure nunc utimur in foro Civili. Perpetuarum exceptionum exempla ſunt, veluti, tranſactionis, juriſjurandi, rei judicatæ, quas vulgo *litis finitæ* exceptiones dictitant, namque impediunt litis ingreſſum, *cap.* 1. *de lit. conteſt. in* 6.: itemque exceptiones doli mali, metus,

D 2 aut

aut pacti de pecunia omnino non petenda, *d. §. 8. Inſt.*: quas vulgo *ſimpliciter peremtorias* dicunt, quod non impediant litis conteſtationem, & recte in qualibet judicii parte opponantur, *d. cap. 1.*

Dilatorias exceptiones *inter exordia litis*, uti Julianus Imp. inquit *l. 12. C. h. t.*, hoc eſt, ante litis conteſtationem opponendas eſſe, utriuſque juris regula eſt, *d. l. 12.*, & *l. 13. C. eod.*, & *cap. 20. de ſent. & re judic.* Contra peremtoriæ recte opponuntur quandocunque ante rem judicatam, *l. 4.*, & *8. C. eod. tit.*, *l. 2. C. ſent. reſcind. non poſſ.*, & quandoque etiam poſt rem judicatam in actione judicati, *l. 11. de SC. Maced.*, *l. 1. §. 18.*, *l. 20. §. ult. de tut. & rat. diſtr.*, *l. 41. §. ult. de re judic.*, *l. 41. §. 1. de fidejuſ.* & *l. 1. C. de jur. & fact. ignor.* V. Cujac. in *cap. 29. de teſt.* Dilatoriarum autem prima opponi debet præſcriptio fori; nam ſi ſciens, judicem tibi competentem non eſſe, aliam prius opponas, jam hoc ipſo conſentis in eum: quo fit, ut ejus in te jurisdictio ſit, quæ propria ejus non erat, *l. 1.*, & *2. ff. de judic.*, niſi tamen Clericus in laicum conſentiat ſecundum ea, quæ *tit. 2.* dicta ſunt. Fit tamen interdum, ut dilatoriæ exceptioni vel poſt conteſtatam litem ſit locus, puta, ſi juſta recuſandi judicis cauſſa lite jam conteſtata ſuboriatur, quæ ante non ſuberat, *cap. 21. de off. jud. deleg.* Sola poteſt excommunicationis exceptio in qualibet parte litis opponi, etiamſi eam reus intra tempus dilatoriis exceptionibus opponendis præſtitutum ſciens omiſerit: quod jure ſingulari ſancitum eſt, *ne quiſquam in periculum animæ ſuæ excommunicato communicare cogatur*, *cap. 12. h. t.*: id autem de excommunicatione majore accipiendum eſt, *cap. 1. de except. in 6.* Quoniam vero litigatores exceptione excommunicationis ad defatigandos adverſarios abutebantur, ſapientiſſime Innocentius IV. certam ejus opponendæ formam præſcripſit *d. cap. 1.* in hæc verba, *Si quis excommunicationem opponit, ſpeciem illius* (hoc eſt, majorem excommunicationem) *& nomen excommunicatoris exprimat, ſciturus, eam rem ſe deferre debere in publicam rationem, quam infra octo dierum ſpatium* (*die, in quo proponitur, minime computato*) *probare valeat apertiſſimis documentis. Quod ſi non probaverit, judex in cauſſa procedere non omittat: reum in expenſis prahabita taxatione condemnans. Si vero poſtmodum inſtantia durante judicii, & probationis copia ſuccedente de eadem excommunicatione, vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in ſequentibus excludatur . . . proviſo, quod ultra duas vices hac non opponatur exceptio, præterquam ſi excommunicatio nova emerſerit, vel evidens & promta probatio ſupervenerit de antiqua. Sed ſi poſt rem judicatam talis exceptio proponatur, exequutionem impediet.* Dixi, *intra tempus præſtitutum*; nam ne dolo rei cauſſa in lon-

gum

gum trahatur, ita eſt Canonico jure cautum in *cap. 4. eod. tit.*, debere a judice certum dilatoriis opponendis diem dari, poſt quem eas tantum licet opponere, quas nova reo obtulit cauſſa, quaſve reus ſibi non fuiſſe cognitas juratus affirmaverit, *d. cap. 4.*: atque huc etiam pertinet *cap. 6. qui matrim. accuſ. poſ.* Id de dilatoriis exceptionibus Civile jus nuſquam expreſſit, quidquid contra obnitantur nonnulli.

Quo jure reum defendi contra actorem eſt æquum, eodem jure hunc defendi contra illum, æquum eſt. Hinc inſtitutæ Replicationes, quæ ſunt exceptiones, ſeu excluſiones exceptionum, *l. 2. pr.*, *&* *§. 1. h. t.*: & quamquam *a parte actoris veniant*, uti Ulp. loquitur *d. §. 1.*; tamen magis exceptiones ſunt, quam actiones, quia excipienti reo opponuntur, qui *in exceptione actor eſt*, *l. 1. eod.* De Replicationibus, Duplicationibus, ac Triplicationibus actum *lib. 4. Inſt. Civ. tit. 14.* Illud hic moneo, quod Caniſius, & ſatis multi monent, in foro Eccleſiaſtico Duplicationes, ac Triplicationes iſtas non obtinere, judicemque cauſſam concludere. Referunt huc nonnulli *cap. 13. de teſt.*; ſed is tamen alio ſpectat.

TITULUS IX.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

EXceptionibus proximæ ſunt mutuæ Petitiones, ſeu Reconventiones, non quod hæ exceptiones ſint, quam opinionem nonnullis probatam aperte rejicit *cap. 2. §. 2. de ord. cognit.*; ſed quod eis, ut exceptionibus, juvetur reus. Si quid igitur cauſſæ ſit, cur poſſit reus cum actore agere, eo nomine actorem reconvenire apud eundem judicem poteſt, *tit. Decretal. de mut. petit.*, ſive actione in perſonam, ſive actione in rem conventus ſit reus; non enim admiſſa eſt A. Fabri opinio, quam 20. *Conject.* 8. ſubtiliter quidem more ſuo, ſed non ex vero tuetur, eum, cum quo actione in rem eſt actum, reconvenire non poſſe: & ſive eadem, ſive alia ſit cauſſa, *Nov. 96. cap. 2. §. 1.*, & *cap. 2. pr.* *&* *§. 1. de ord. cogn.*: quæ duo loca A. Fabro contendenti 20. *Conject.* 5., non licere reo actorem ex diverſa cauſſa reconvenire, luculentiſſime obſtant. Quæ compenſationem, eadem æquitas reconventionem ſuadet: & bene Tertullianus 2. *adv. Marcion.* 20. reconventionem dicit *compenſationem*. De reconventione dictum aliquid *tit. 2.*: reliqua nunc accipe. Quum apud ordinarium, tum apud delegatum judicem reconveniri actor poteſt, *cap. 3. §. 1. de reſcript. in 6.*: apud arbitrum, qui debet fines compromiſſi ſervare, non pot-

poteſt, *cap.6. de arbitr.* Cui jus agendi, ei reconveniendi jus eſt, nam reconvenire eſt agere; unde inutiliter reconvenit excommunicatus, quod inutiliter agat, *cap.* 5. in fine *de except.* Actoris & rei reconvenientis par eſſe conditio debet: atque huc ſpectat Cæleſtini III. reſcriptum in *cap.* 2. *h. t.*, ſi actori ex reſcripto Pontificis judex ſit datus, qui *remota appellatione* cognoſcat, (quod quid ſit in jure, perbelle Cujac. exponit in *cap.* 2. *h. t.*) hunc *remota* etiam *appellatione* cognoſcere de reconventione debere. Mutuo agere reus debet *ſtatim*, uti dicitur *in Auth. & conſequenter C. de ſent. & interloq.*, ſeu *in ipſo litis exordio*, uti eſt in *Clem.* 2. §. 1. *de V. S.*, hoc eſt ante conteſtatam ſuper actoris petitione litem, nihil obſtante *d. cap.* 3. §. 1. *de reſcript. in* 6., ubi verba *eodem durante judicio*, quæ videntur obturbare, explicari in hanc ſententiam non inconcinne poſſunt, *apud eundem judicem*: quibus verbis nihil de tempore reconventionis definitur. Sunt cauſſæ, in quibus reconventioni locus non eſt, puta criminales, *l.* 1., & 19. *C. de his, qui accuſare*, *can.* 2. *c.* 3. *q.* 1., namque *innocentia, non relatione criminum reus purgatur*, *l.* 5. *de publ. jud.*: depoſiti, *cap. ult. depoſ.*; atque, ut alias omittam, cauſſa ſuper interdicto unde vi. Quod in Legibus *interdictum unde vi*, in Canonibus dicitur *actio ſpolii*, de qua in *tit. Decret. de reſtit. ſpoliat.* Si quis agat interdicto unde vi, fruſtra ab adverſario ſuo reconvenitur, *d. cap. ult.*, nec quidquam habere prius debet judex, quam ut per vim dejectum reſtituat, *l.* 1. §. 1. *de vi arm.*, *l. ult.* §. 2. *C. de compenſ.*, *cap.* 1. *de reſt. ſpoliat.*: adeo inimica eſt juri privata vis; niſi tamen reus eodem interdicto experiatur, *d. cap. ult.*; quæ enim juris ratio actorem, eadem & reum defendit. Jam & Civili, & Canonico jure conſulitur dejecto. Jure Civili is tantum, qui vi dejectus eſt de poſſeſſione rei ſoli, interdicto unde vi adverſus eum agit, qui aut ipſe per ſe, aut per alium dejecit, *l.* 1. *pr.*, & §. 12. *de vi, & vi arm.*: atque hoc interdictum Canones probarunt *can.* 2. & 3. *cauſ.* 2. *q.* 2., *can.* 1. *cauſ.* 3. *q.* 1., *cap.* 15. *de reſt. ſpol.* Quod ſi alius ab eo, qui dejecit, rem poſſidere cœperit, jure Civili dejectus cum alio, quam cum eo, qui dejecit, interdicto experiri non poteſt, *l.* 7. *eod.* At vero Innoc. III. in *cap.* 18. *de reſt. ſpol. non obſtante*, ut ipſe ait, *juris Civilis rigore*, interdictum dedit etiam in eum, ad quem non ignarum vitii res pervenit, *quum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium*: quod jure Civili de eo vere dicitur, qui alteri in jus univerſum ſuccedit, *l. pen. C. de adq. poſſ.*, quam docte expendit Cujac. in *d. cap.* 18.; unde recte agitur interdicto cum herede prædonis, *l.* 1. §. *ult.*, *l.* 2. *de vi, & vi arm.*; jure autem Canonico vere etiam de emtore, donatario, & quovis alio ſucceſſore ſingulari. Denique huc pertinet *can. redintegranda* 3. *cauſ.* 3. *q.* 1., pro cujus Canonis

Digitized by Google

nonis interpretatione multæ ſunt turbæ. Rectiſſime Cujac. *ibid.* ſcribit, eum Canonem id velle, quod etiam jure civili locum obtinet, ut etſi interdictum unde vi ſit annale, *d. l. 1. de vi*; tamen rerum vi ablatarum perpetua ſit perſequutio, *l. pen. de interd.*

TITULUS X.

DE LITIS CONTESTATIONE.

Quid olim Romæ fuerit litem conteſtari, Feſtus tradit v. *conteſtari*, locumque Feſti multis exornant Cujac. 9. *Obſ.* 21., & Salmaſ. *Obſ. ad jus Attic. p.* 818. Veterem conteſtandi formam vel ante ſublata formularum ſolennia exoleviſſe, ex *l. un. C. h. t.* Vinnius tradit 1. *ſelect.* 17. Quid ſit novo jure conteſtari litem, in *d. l. un.* expreſſum eſt his verbis, *Lis conteſtata videtur, quum judex per narrationem negotii cauſſam audire incipit*: audiri autem cauſſa intelligitur *narratione* ab actore *propoſita*, & *contradictione* a reo *objecta*, *l.* 41. §. 1. *C. de judic.*: quo juris loco manifeſtum fit, contradictione opus eſſe ad conteſtandam litem, ut qui de hac re diſputant, næ illi ingenio, ac tempore abutantur. Hoc ſenſu accipiendum illud Gregorii IX. in *cap. un. h. t.*, *Per petitionem in jure propoſitam, & reſponſionem ſequutam conteſtatio litis fit.* Quamquam autem jure Civili controverſum ſit, num ad conteſtandam litem utriuſque partis præſentia, & voce ſit opus; tamen vulgo a Canoniſtis in hanc ſententiam itum eſt, neutrum neceſſe eſſe ob textum in *d. cap. un.*, ubi Gregorius ad conteſtationem litis *petitionem in jure propoſitam*, & *reſponſionem ſequutam* generaliter requirit, præterea nihil. V. Gonzalez in *d. cap. un. n.* 8.

Conteſtationis præcipui effectus hi ſunt. Mandatam jurisdictionem facit perpetuam, *cap.* 19. *de off. deleg.*: judicis recuſandi poteſtatem adimit, quod accipe ſecundum ea, quæ de ſuſpectis judicibus præmonui *tit.* 8.: facit, ut lis pendeat: de quo dictum *tit.* 3.: temporales actiones perpetuas reddit, *l.* 24. *de liberal. cauſ.*: interrumpit præſcriptionem, *l.* 26. *C. de rei vind.*, *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *an.*, *can.* 9. *cauſ.* 16. *q.* 3.: exceptiones dilatorias præcidit, uti *d. tit.* 8. traditum eſt; atque, ut alios miſſos faciam, malam fidem inducit, *l.* 25. §. 7. *de pet. her.*

Reus ultra viginti ab oblato libello dies differre conteſtationem non debet, *Auth. offeratur C. h. t.* V. Gratian. in *can.* 4. *c.* 3. *q.* 3. §. *offeratur*. Litis conteſtationem non deſiderant cauſſæ ſpirituales, *Clem.* 1. *de judic.*, juncta *Clem.* 2. *de V. S.* cauſſæ appellationum ab interloquutionibus, *cap.* 69. §. *ult. de appellat.*: itemque cauſſæ breviores. V. *d. Clem.* 2.

TI-

TITULUS XI.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

DE hoc juramento multa congeſſi in Comm. ad §. 1. *de pœn. tem. litig. lib. 4. Inſt.* Jurare actor debet, *non calumniandi animo litem ſe moviſſe, ſed exiſtimando bonam cauſſam habere*, reus autem, *putantem ſe bona inſtantia uti ad reluctandum perveniſſe*, *l. 2. C. h. t.* (a). *Calumnia* hoc loco eſt *fraus*, *deceptio*, quam Græci vocant ἐξαπάτην; unde *ingenii calumnia ludificari* dixit Tullius apud Nonium. Lite conteſtata ad hunc modum juratur, *cap. pen. h. t.*: nec videtur ſecus cautum jure Civili, *d. l. 2.* Verum *ſi in primo litis exordio non juretur, ut debet, poſſe poſtmodum in qualibet parte litis jurari*, inquit Bonifacius VIII. in *cap. 1. h. t. in 6.*, *quum hujuſmodi juramenta præſtari ab initio, de ſubſtantia ordinis judiciarii non exiſtat*. Niſi velit actor jurare, protinus cauſſa cadit: niſi velit reus, confeſſi, & judicati loco eſt: quas pœnas propoſuit Greg. IX. in *cap. ult. h. t.* ex *d. l. 2. §. 6.*, & 7., & *Nov. 124.* In omnibus cauſſis jusjurandum propter calumniam dari voluit Juſtin. *l. 1. C. eod.*: tamen ſatis multi ſunt juris Civilis interpretes, qui criminales cauſſas excipiunt. Quid ſit Legibus ſtatutum, nunc non quæro. Certe eas cauſſas non videntur Canones excepiſſe, *cap. 1. h. t.* Quod ad cauſſas ſpirituales, pugnant Eugenius III. in *cap. 2. h. t.*, & Bonifacius VIII. in *d. cap. 1. §. ult.* Hic in iis cauſſis de calumnia jurari, ut in aliis, ait: ille negat. Cujacius, aliique non pauci de hoc diſſidio tollendo non parum laborant; ſed id eſt cum ratione inſanire. Antiquum jus a Bonifacio abrogatur: & ſane Bonifacius antiqui juris expreſſe meminit: tum contrà ſtatuit ea motus cauſſa, quod *frequenter calumniari* viderit *in ipſis*, puta, in ſpiritualibus cauſſis. De calumnia jurant ipſi litigatores, *d. l. 2. C.*: tutores, & curatores in cauſſis, quas agunt, *Auth. principales §. 5. C. eod.* Per procuratorem jure Civili de calumnia non juratur arg. *d. l. 2.*, & *l. pen. §. 4. C. de reb. cred.*: jure Canonico juratur recte, ſi id procuratori ſpecialiter mandetur, *cap. 3. h. t. in 6.*: quod fori Civilis uſu receptum eſt. De Clericis ita Honorius II. (non III., uti perpe-

ram

(a) *Hoc potiſſimum eſt hujus ſacramenti caput. Alterum habes in Auth. in iſto C. h. t. Eſt & tertium in Nov. 124. c. 1. pr.; ſed hoc ad juramentum calumniæ non pertinere, contendit Giphanius de Ord. judic. c. 15. ſub initium.*

Digitized by Google

ram Gironius) in *cap.* 1. *h. t.*, *Legibus comperimus eſſe cautum*, *ut nullus Clericus jurare præſumat*. Ita cautum *l.* 25. §. 1. *C. de Ep. & Cler.*, qua vetus Eccleſiæ diſciplina per Marcianum confirmatur ibi, *Eccleſiaſticis regulis*, *& canone a beatiſſimis Epiſcopis antiquitus inſtituto Clerici jurare prohibentur* (a). Eccleſiaſticam hanc diſciplinam firmant *can.* 1., & 5. *cauſ.* 2. *q.* 4., & *can. pen.*, *& ult. cauſ.* 22. *q.* 5. Nominatim Honorius laudat Conſtitutionem Marciani, qui mendoſe Marcus dicitur in *d. cap.* 1.: tum deſcribit Conſtitutionem Henrici II. Imp. (non V., ut male nonnulli) *lib.* 2. *Leg. Long. tit.* 47., qua Marciani Conſtitutio de ſolis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clericis ſcripta ad omnium Eccleſiarum Clericos, & vero etiam Monachos, producta eſt. At enim in *cap.* 5., 6., & 7. *h. t.* Clerici de calumnia jurant. Placet quod Cujacius habet in *d. cap.* 1., nullum Clericum per ſe quidquam jurare cogi, vel poſſe ultro, *inconſulto Rom. Pontifice*, ſi ſit Epiſcopus, *inconſulto Prælato ſuo*, ſi ſit Clericus, ut dicitur in *d. cap.* 1.; poſſe vero per alium, puta Procuratorem, Oeconomum, Syndicum, *d. c.* 5., 6., & 7. Ita, ſi licet leges gentium cum Eccleſiaſtico jure componere, Romæ olim, Gellio teſte *lib.* 10. *c.* 15., edixit Prætor his verbis, *Sacerdotem Veſtalem*, *& Flaminem Dialem in omni mea juriſdictione jurare non cogam*: quod idem confirmaſſe Caligulam, auctor eſt Dio *lib.* 59. (b); recte tamen per alium jurabant: idque Plebiſcito comprobatum eſt apud Liv. *lib.* 31. ſub fin. Hoc diſtant a Clericis laici, quod hi *tactis*, illi *propoſitis* tantum Evangeliis jurent, *cap. ult. h. t.*, quod eſt ex *Nov.* 123. Clericos Evangelia, aut reliquias martyrum manu tangere de more laicorum, Canones vetuere. Presbyteri, & Epiſcopi *vice juramenti per ſanctam conſecrationem interrogabantur*, *can.* 4. *cauſ.* 2. *q.* 5.: quandoque etiam *ante corpus* alicujus Sancti *tantummodo* quæſiti reſpondebant, *can.* 8., & 9. *ead. cauſ.*, & *q.* Si qua tamen gravior cauſſa urgere viſa eſt, vel ab ipſis Epiſcopis tactis Evangeliis juratum, *cap.* 4. §. *ult. de jurej.*, *cap.* 5. § *ult. de purg. canon.* (c) Ita Severum Epiſcopum *non canonice juraſſe*, quod

(a) *Juraſſe Clericos*, *ſi qua juſta urgeret cauſſa*, *conſtat ex Sozom. lib.* 6. *c.* 30., *& Juſtiniano Nov.* 123. *cap.* 1., *Nov.* 137. *c.* 2. *V. Joh. Dartis in Decret. Gratiani cauſ.* 2. *q.* 4. *Dicam nonnulla de hac re lib.* 4. *tit. de purg. can. & vulg.*

(b) *Caput hoc in Edictum perpetuum non inſeruit Julianus. V. Bertrand. in Juliano.*

(c) *Capiti* 5. *de purg. canon. inſcribitur nomen Innoc. III. Male Innocentio II. certe tribuendum*; *namque illud ſubſequuntur Canones aliquot Alexandri*, *ac Lucii III. Pontificum Innocentio III. antiquiorum*: *ſunt autem Capita Decretalium hoc ordine digeſta*, *ut ratio temporum omnino ſervetur*. *V. Correctores Rom. in can.* 17. *cauſ.* 2. *q.* 5.

quod tactis Evangeliis non juraſſet, ſcriptum eſt apud S. Baſilium *ep. ad Amphyloch. c.* 10.

Jure Civili calumniæ juramentum remitti non poteſt, *quia non pro commodo privatorum*, *ſed pro communi utilitate* inſtitutum eſt, *l.* 2. *§.* 4. *C. h. t.* Hinc & juramentum illud per judicem exigi neceſſitatis eſt, quod diſerte expreſſit Juſtinianus *d. §.* 4., & eo omiſſo judiciarium proceſſum vitiari, boni legum interpretes docent. Jure Canonico *tacite* omitti poteſt, eoque tacite omiſſo non vitiatur proceſſus ex Conſtitutione Bonifacii VIII. in *cap.* 1. *§.* 1. *h. t. in* 6.: quæ Baldi, aliorumque nonnullorum opinio fuit contra Azonem, Martinum, alioſque. *Tacite*, inquam; parte enim expreſſe id urgente, ut adverſarius juret, remitti hoc juramentum ſine judiciarii proceſſus vitio non poteſt. Hinc etiam conſequitur, jure Canonico, ſi taceant partes, jusjurandum propter calumniam exigi, judicis officio non contineri. In civili etiam foro jus Canonicum nunc paſſim obtinet.

TITULUS XII.

DE PROBATIONIBUS.

PRobatio eſt rei controverſæ fides judici legitime facta. *Ei incumbit probatio*, *qui dicit*, *non qui negat*, *l.* 2. *ff. h. tit.*: quo fit, ut actoris ſit probare: quæ utriuſque juris regula eſt, *l.* 18. *pr.*, & paſſim *ff.*, & *l.* 23. *C. eod.*, *can.* 1. *cauſ.* 6. *q.* 5., & *cap.* 23. *§.* 2. *de elect.*: quumque *per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit*, uti eſt in *d. l.* 23.; ſi actor non probet, reus *neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringitur*, *d. l.* 18., proindeque abſolvi eum, eſt opus, *l.* 2. *C. eod.* Quoniam vero reus *in exceptionibus actoris partibus fungitur*, is quoque debet *exceptionem implere*, hoc eſt, probare, *l.* 19. *ff.*, & *cap.* 8. *h. t.*: primum autem actor debet, tum reus probare, *l.* 19. *C. h. t.*, *l.* 9. *C. de except.*, paucis caſibus exceptis, de quibus Maſcardus *de Probat. vol.* 3. *concluſ.* 37., & Joh. Dovjatius in *Lancellot. pr. h. t.*

Probationum diviſionem in *plenas*, & *ſemiplenas*, ſeu *perfectas*, & *imperfectas* ab antiquis juris Civilis interpretibus traditam, & in foro receptiſſimam multis oppugnant Duaren. 2. *diſp.* 33., A. Faber *Dec.* 19. *er.* 1., & Don. 24. *Comm.* 19., quorum hæc eſt ſententia, ſemiplenam probationem nullam eſſe, quodque perfecte probatum non eſt, omnino probatum non eſſe, quemadmodum *vitioſe cautum non videtur cautum*, *l.* 6. *ff. qui ſatiſd. cog.*, & ſtipulatio, emtio, teſtamentum, niſi perfecta, non valent, *l.* 115. *de V. O.*, *l.* 9. *de contr. emt.* Ego vero ſemiplenas probationes admitto, quæ licet ſolæ legiti-

mam

mam judici fidem non faciant, non ſunt tamen omnino nihil, ac deferendi juramenti neceſſitatem imponunt: qua de re inferius. Moveor *l. 31. de jurejur.*, *Solent ſæpe judices in dubiis cauſſis exacto jurejurando judicare*. Moveor etiam *l. 3. C. de reb. cred.*, *Inopia probationum per judicem jurejurando res decidi oportet*. Jam τὸ *dubiis cauſſis*, ac τὸ *inopia probationum* alio referri, quam ad ſemiplenas probationes non poſſunt: quod latius ſuo loco. Denique moveor *cap. 4. de in integr. reſt.* ibi, *licet non conſtet ad plenum*; & *cap. 6. de frig. & maleſ.* ibi, *quamvis ſemiplene nobis expreſſeris*. Fruſtra autem exempla cautionis, ſtipulationis, emtionis, ac teſtamenti opponuntur; ſunt enim iſti actus individui, probatio autem dividua eſt; unde eam plus, minusve evidentem ſæpe dicimus, quandoque etiam *luce clariorem*, qualem probationem criminales cauſſæ requirunt, *l. ult. C. de prob.*

Probationum ſpecies ſunt Confeſſio, Teſtes, Inſtrumenta, Jusjurandum, Præſumtiones. Sic vulgo. At nonnullorum, in quibus eſt Ant. Matthæus *Manud. ad jus Canonic. lib. 3. tit. 6.*, opinio ſic fert, Confeſſionem, Jusjurandum, Præſumtionem proprie probationes non eſſe. Ego ſubtiliora iſthæc nihil moror. Igitur vulgarem partitionem ſequutus ajo, Probationum potiſſimam eſſe ipſius rei Confeſſionem; unde confeſſum pro judicato eſſe, ſeque ſua ſententia quodammodo damnare, eleganter Paulus ſcribit *l. 1. de confeſſis*. In civili judicio actor poſitiones adhibet, quibus reus calumniam abfuturam initio litis juratus reſpondere compellitur, ita ut ſi quod actor ſcripto proponit, verum eſſe reus affirmet, is ſua ipſius confeſſione damnetur, ſi reſpondere renuat, confeſſi loco ſit, *cap. 2. de conf. in 6.* Poſitiones, quas *Articulos* forenſi ſermone appellamus, ſunt capita quædam, quibus comprehendit actor facta præcipua, unde jus enaſcitur. In Poſitionum originem haud eſt multo labore inquirendum, quod faciunt nonnulli. Certe eas Civile jus ignoravit, primumque Canones meminere *cap. 54. de elect.*, & *cap. un. de lit. cont.*; quodque Clemens V. in *clem. ſæpe de V. S.* inquit, eas *longævo uſu* in cauſſis admiſſas, de fori Eccleſiaſtici uſu intelligendum eſt.

Quod ſi reus neget, quod actor ait, hic probare aliis legitimis modis propoſitum debet. Plurium teſtium in idem conſentientium fides plurimi eſt in foro judiciiſque. Unius teſtimonium recte quidem facit, ne quid fiat, quod temere fieri ſine flagitii periculo non poteſt, *can. 112. diſt. 4. de conſecr.*, *cap. 22. de teſt.*; tamen ſi de infirmando, quod jam eſt factum, ſive de probando agitur, quod negatur, unius, cujuſcumque dignitatis ſit, omnino nulla eſt fides, *l. 9. C. de teſt.*, *can. 3. cauſ. 6. q. 2.* Hinc *in ore duorum,*

Digitized by Google

vel trium omne verbum ſtare, ſcriptum eſt *Deut.* 19., & *Matth.* 18. (*a*) De numero teſtium ita generaliter Ulp. *l.* 12. *de teſt.*, *Ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficiunt*: generaliter etiam Alex. III. in *cap.* 23. *eod.* (quod eſt ex ejus Epiſtola ad Angliæ Prælatos data, uti bene Gonzalez) *in qualibet cauſſa Chriſtiani, & maxime Clerici ad minus duorum vel trium teſtimonium admitti* jubet. At ſunt tamen certæ quædam ſpecies, quæ plures eo numero teſtes requirunt, *l.* 1. §. 2. *de teſt.*, in quam v. Briſſon. 2. *ſelect.* 17., *d. cap.* 23. in fin. Huc referunt nonnulli *can.* 2. *cauſ.* 2. *q.* 5., ubi ex Concilio Romano ſub Sylveſtro ſcriptum eſt, *Præſul non damnabitur, niſi cum* 72. *teſtibus* ... *Presbyter Cardinalis niſi cum* 44. ... *Diaconus Cardinalis Urbis Romæ niſi cum* 27. ... *Subdiaconus, Acolythus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius niſi* 7. Verum nunc ſatis norunt critici, Concilium illud ab Iſidoro Mercatore confictum. Et vero, ut alia deſint argumenta, manifeſtam ſuppoſitionis notam habet is Canon, quo loco Diaconos, & Presbyteros Cardinales meminit Sylveſtro longe recentiores: qua de re *lib.* 1. Sed etſi apocryphus ſit is Canon, ambigendum tamen non eſt, vel a primis Eccleſiæ ſeculis teſtes 72. contra Epiſcopum productos: quod primum decreviſſe Zephirinum, auctor eſt Luitprandus in ejus vita. In *l.* 19. *C. Th. quor. appel. non recip.*, ad Chronopium Epiſcopum damnandum adhibitos 70., hoc eſt, 72. (nam rotundo numero ſcripta lex eſt) tradunt Valentinianus, Valens, & Gratianus (*b*). Eundem numerum præſcripſit Leo IV. in *can.*

(a) *Unius Epiſcopi teſtimonium accipere juſſi olim judices conſtitutione Arcadii, & Honorii de Epiſcopali judicio in fine Cod. Th. Tantam de ſe ſanctiſſimi Epiſcopi fidelium animis injecerant opinionem. V. can.* 36. *cauſ.* 11. *q.* 1., *Cujac. in cap.* 7. *de probat.*, & *Gonzalez in cap.* 10. *de teſt.*

(b) *Eundem teſtium numerum in Concilio Sinueſſano contra Marcellinum Papam, qui Idolis thus adoleverat, fuiſſe adhibitum, in ejus Concilii Actis proditum eſt his verbis*, Hi omnes electi ſunt viri libra occidua, qui teſtimonium perhibent: *ea autem libra* 72. *teſtes ſignificari, ex iiſdem Actis exploratiſſimum eſt. Marcellini lapſum, & Sinueſſanæ Synodi acta puram putam fabellam eſſe, jam demonſtrarunt Critici, & egregie præter cæteros Papebrochius in Conatu Chronol. Hiſtoric. Sed in id nunc non inquiro.* Libra occidua *me ſollicitum habet. Conſueviſſe veteres nominibus ponderum numeros deſignare, ſatis probant vocabula* libræ, & unciarum, *quibus ſolida hereditas, quæ ex duodecim partibus conſtat, & partes hereditatis explicabantur. Quoniam igitur* libra *ſeptuagintaduorum ſolidorum erat ex Conſtitutione Valentiniani, & Valentis in l.* 5. *C. de*

Digitized by Google

can. 3. *cauſ.* 2. *q.* 5. Bene potuit, ac poteſt Eccleſia pro dignitate perſonæ plures, quam duos, tresve teſtes, requirere. In cauſſa Tholoſani Epiſcopi, quem Simoniæ, ac fratricidii detulerunt, centum adhiberi teſtes, voluit Clemens IV. *ep.* 326. Quemadmodum autem Romanorum Imp. Conſtitutionibus producendorum teſtium licentia ad ſufficientem numerum coarctata eſt, *ut judices moderentur, & eum ſolum numerum, quem neceſſarium eſſe putaverint, evocari patiantur, ne effrenata poteſtate ad vexandos homines ſuperflua multitudo teſtium protrahatur, l.* 1. *§.* 2. *de teſt.*; ita Innoc. III. teſtes ſupra 40. ex utraque parte produci vetuit *cap.* 37. *eod.* Teſtes eſſe non poſſunt qui prohibentur, *l.*1.*§.*1. *ff. de teſt.*: qui autem prohibeantur, pete ex libris juris Civilis. Id unum moneo ex jure Canonico, laicos in criminali cauſſa teſtimoniũ dicere contra Clericos non poſſe, *cap.*14. *de teſt.*; neque Clericos contra laicos in foro ſeculari, *can.*9.*cauſ.*11. *q.* 1. qui licet ex ſuppoſititia Romana Synodo ſub Sylveſtro deſcriptus ſit, continet tamen ſententiam novo juri Canonico con- for-

---

C. de ſuſceptor. lib. 10., *rectiſſime eo vocabulo* 72. *teſtes exprimuntur. At enim Marcellinus Valentiniano, & Valente antiquior fuit. Ita vero; ſed acute, & vere conjecturam facit Baronius, acta Synodi Sinueſſanæ, qualia nunc extant, recentiorem habere auctorem; qui verba nonnulla ſecundum ſui temporis conſuetudinem uſurpavit, quod a Virgilio, & optimis quibusque ſcriptoribus factum. Quid vero eſt, cur eam Libram Anonymus ille* occiduam *dicat? Eſt id inſolens libræ adjunctum. Joh. Dartis in* Decret. *Grat. cauſ.* 2. *q.* 5. *mavult* aſſidua, *hoc eſt*, vera, & expenſa, *uti eam vocem interpretatur teſtimonio Iſidori Orig. lib.* 10.; *ſed obſtat Codicum fides. Jac. Cujacius* 17. *obſ.*9., *& Baronius ad an.* 302. *duplicem ſtatuunt libram, alteram Orientis, quæ* 80. *ſolidis erat ex Conſti utione Imp. Conſtantini in l.* 1. *C. Th. de ponderat. Antiochiæ lata; alteram Occidentis, quæ ſolidis* 72. *valebat ex laudata Conſtitutione Valentin., & Valent. lata Romæ. Hanc ab Anonymo dictam* occiduam *ajunt, h. e. occidentalem, quo ſenſu* occidua domus *Statio dicta* 1. *Thebaid. Verum, ut bene Cironius* 4. *obſ.* 5., *ex eo, quod Conſtantinus ſuam legem dederit Antiochiæ, Valentinianus autem, ac Valens ſuam Romæ, inferri non debet, hos Occidentem ſolum, illum ſolum Orientem ſpectaſſe, quaſi vero earum legum Auctores non utrumque Imperium tenerent. Poſſem multas Imperialium Conſtitutionum ſubſcriptiones huc adferre, quibus nullam eſſe vim ejus argumenti pateret; ſed eas congerere facile cuique eſt. Vide, num tibi magis probetur conjectura Jac. Gothofredi de mutat. & augm. monetæ,* libram occiduam *interpretantis* imminutam: *in quam ſententiam* occiduum *apud non malos latinitatis. Auctores, maxime Poetas, interdum accipi, collatis exemplis demonſtrat.*

Digitized by Google

formem; Clericos enim imperio Magiſtratus exemtos interrogare judicibus ſecularibus non licet. Teſtes a judice advocandi, interrogandique, niſi juſta cauſſa venire eos ad judicem vetet: quo caſu mittetur ad eos, qui interroget, *l.* 15. *de jurejur.*, *cap.* 8. *de teſt.* Præſente, aut ſaltem legitime citato adverſario interrogandi ſunt, *l.* 19. *C. de teſt.*, & *Nov.* 90. *cap.* 9., quam laudat, ac ſequitur S. Gregorius in *cap.* 2. *eod.* Longiſſime a verbis, ac mente Legum, & Canonum aberrat communis Doctorum, maxime veterum, opinio, vocandum adverſarium, ut adſit, quum teſtes jurant, non quum a judice interrogantur. Abutuntur in hanc abſurdiſſimam ſententiam Conſtitutione Zenonis in *l.* 14. *C. eod. tit.*, ubi ſcriptum eſt, *intrare teſtes judicantis ſecretum*. Apud Zenonem, ut bene Pollet. *lib.* 5. *c.* 12., *ſecretum* eſt quod *l. ult. C. ubi Senat. vel Clariſſ.*, & *l.* 3. *C. de offic. div. judic. ſecretarium* dicitur, puta judicii locus. Sed communis error in communem fori uſum jam abiit. Injurato teſti non creditur, niſi ei jusjurandum adverſarius remittat, *l.* 9. *C. de teſt.*, *cap.* 39., *&* 51. *eod.* Forte hæc jurisjurandi neceſſitas in cauſſa fuit, cur *cap.* 1. *h. t.* ita ſit cautum, *Nullus teſtimonium dicat niſi jejunus*; namque *honeſtum*, *& juſtum videtur*, *ut qui in Sanctis audet jurare*, *hoc jejunus faciat cum omni honeſtate & timore Dei*: qui Canon ſub nomine Cornelii P. eſt apud Burchard. in *Decret. lib.* 12. *c.* 12., & Binium *tom.* 1. *Concil.* Vetus eſt Eccleſiæ diſciplina, ut ſacra nonniſi a jejunis tractentur, *can.* 6., & 7. *de conſecr. diſt.* 5. Res ipſa monet, ut explicetur hic titulus Decretalium *de teſtibus cogendis vel non*. Ante Juſtinianum in criminalibus dumtaxat cauſſis inviti præter certas perſonas teſtimonium dicebant, *l.* 4., 5., & 19. *ff. de teſt.*, Plin. *lib.* 3. *ep. ad Minitianum*: in civilibus teſtes voluntarii erant, Quintil. 5. *Inſtit. Orat.* 7. Primus Juſtinianus Conſtitutione ſua, cujus is meminit in *l.* 16. *C. eod.*, quamque ex Baſilicis reſtituit Cujacius 8. *Obſ.* 13., antiquum jus de cogendis teſtibus ad pecuniarias etiam cauſſas produxit, *l.* 16., & 19. *C. eod.* Romana Eccleſia monere teſtes conſuevit, non cogere, *cap.* 1., & 3. *de teſt. cog.* Vim facere invito proprium eſt juris Civilis: quod diſerte addit Alex. III. *d. cap.* 3. in fine. Uno caſu Eccleſiaſticus judex invito teſtimonium denunciat, ſi is *odio*, *vel gratia*, *vel timore ſe ſubtrahat*, *d. cap.* 1., atque alia deficiat probatio, quod ex *cap.* 5., & *ult. h. t.* addendum eſt: & laicum quidem dicere teſtimonium cogit per Eccleſiaſticas cenſuras, puta, excommunicationem, *d. c.* 1. & *cap.* 5., 9., *& ult. eod*; Clericum vero per ſuſpenſionem ab officio, & beneficio, quam, ſi venire adhuc recuſet, ſequi excommunicationis, ac depoſitionis ſententia poteſt, *cap.* 2. *eod. tit.* Quod ſi quis ſe non dicturum teſtimonium juratus promiſerit, nulla juramenti vis eſt, *cap.* 18. *de teſt.*, & *cap. ult. de teſt. cog.*

In

Digitized by Google

In exertendis litibus eandem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium, inquit Conſtantinus *l.15. Cod. de fid. inſtrum.* Quamquam autem *inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda eſſe* Paulus ſcribat *l. 1. ff. eod.*, *quibus cauſſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia, quam perſonas inſtrumentorum loco haberi*; tamen in judiciis inſtrumenta proprie ſunt ſcripturæ, quarum genus duplex, alterum earum, quæ publicæ, alterum earum, quæ dicuntur privatæ. Publicæ ſunt publica auctoritate confectæ, uti cenſuales tabulæ, *l. 10. de probat.*, *l. 3. C. ſi cenſ. vel reliq.*, publicæ apochæ, *l. 6. C. de ſuſcept.*, *l. 2. C. de iur. emph.*, acta publica civilia, vel criminalia, *l. 2. C. de edend.*, inſtrumenta per publicos tabelliones conſcripta, quæ proinde in Novellis non raro appellantur *ἀγοραῖα*, *forenſia*, & *publica*, ut in *l. 20. C. de fid. inſtr.*, ac demum privatæ ſcripturæ publico ſigillo munitæ, *l. 2. C. de teſtam.*, & *cap. 2. de fid. inſtr.* Aliæ præter has privatæ ſunt. Publicarum in judiciis certa fides, *l. 17. C. eod.*, *cap. 21. de fid. inſtr.*, privatarum nulla, *d. cap. 2.* Non cogi reum propria edere inſtrumenta, utriuſque juris regula eſt in *l. 10. §. 4. de quaſt.*, *l. 2. C. de teſt.*, *l. 11. C. de pet. her.*, *can. 3. §. qui intendit*, *cauſ. 4. q. 3.*, & *cap. 1. de prob.* At in odium fœneratorum, qui *ut plurimum contractus uſurarios occulte ineunt, & doloſe, quod vix convinci poſſunt de uſuraria pravitate*, cogi eos poſſe per Eccleſiaſticam cenſuram ad rationum codices exhibendos, jure ſingulari cavit Clemens V. *Clem. un. §. 1. de uſur.*

In cenſum Probationum Jusjurandum quoque venit. De jurejurando voluntario, judiciali, ac neceſſario abunde a nobis actum Comm. in *§. 11. de Act. lib. 4. Inſt.* Ad hunc locum proprie pertinet jusjurandum, quod judex litigatoribus defert, quodque vulgo *ſuppletorium* dicunt, namque eo ſemiplena probatio ſuppletur. Qui ſemiplenam probationem non admittunt, ſuppletorium iſtud juramentum rident. Sed næ ipſi ridendi ſunt. *In dubiis cauſſis*, ut Cajus loquitur in *l. 31. de jurej.*, vel, ut Diocl., & Max. in *l. 3. C. de reb. cred.*, *in probationum inopia* judex delato jurejurando litem finit. Quid vero eſt *dubia cauſſa*, quid *inopia probationum*, niſi cauſſa, in qua eſt ſemiplene probatum? Si dubiam cauſſam, probationumve inopiam interpreteris cum Donello, & Fabro cauſſam, in qua pares ex utraque parte adferuntur probationes, quam interpretationem me alias ſequutum memini, obſtat illud, quod in hac ſpecie par ſit cauſſa actoris, & rei: in qua ſpecie tantum abeſt, ut deferre jusjurandum debeat judex, ut omnino neceſſe ſit reum abſolvi; nam *favorabiliores rei potius, quam actores habentur*, *l. 125. de R. J.*, & *in pari cauſſa poſſeſſor potior haberi debet*, *l. 128. eod.* Conſonat jus Canonicum in *cap. 3. de prob.*, *cap. 6. de fid. inſtr.*, & *cap. 65. de V. S. in 6.* Si probationum inopiam in ea cauſ-

Digitized by Google

cauſſa adgnoſcas cum Giphanio in *d. l. 3. C. de reb. cred.*; ubi nihil ab actore probatum eſt, illud omnino obſtat, quod Imp. Antoninus reſcripſit in *l. 4. C. de edend.*, *actore non probante, eum, qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtet, obtinere*. Reſtat igitur, ut de ſemiplena probatione utrumque eum textum accipiamus. Defertur jusjurandum reo, ſi reus æque, atque actor ſemiplene probet, quod in re dubia potior ſit cauſſa rei, *d. l.* 125., & 128.: actori vero, ſi hic ſemiplene probet, reus nihil, quod & nulla hujus, & ſemiplena illius probatio haud obſcuro argumento ſit, reum eſſe mendacem, quem proinde facile eſt perjurum futurum. Deferre autem jusjurandum non libera res eſt, uti Donello, ac Fabro viſum. Rem per judicem jurejurando decidi *oportere*, inquit Dioclet. in *d. l.* 3.: nec quidquam obturbat verbum *ſolent*, quo Cajus utitur in *d. l.* 31.; nam *ſolere* quandoque in libris juris verbum eſt neceſſitatis, *l.* 86., & 94. *de R. J.* Delato juramento judex ſecundum eum judicabit, qui juravit, *d. l.* 31. Hæc de civilibus cauſſis intelligenda. Num in criminalibus ſuppletorio juramento ſit locus, in utramque partem diſputatur.

Denique probationis vim obtinent Præſumtiones, *l.* 16. *C. de prob.*, *cap. ult. de præſumt.*, *cap.* 7. *de hær. in* 6. Præſumtiones ſunt conjecturæ ex aliquo veriſimili ad probandum aſſumtæ. Sic eas vulgo diſtinguunt. Aut hominis ſunt, aut legis. Præſumtiones, quæ dicuntur *hominis*, nullo certo jure conſignatæ ſunt, ſed pro judicis intelligentia aſſumuntur ſpectatis perſonarum, ac rerum adjunctis: qui olim forenſis eloquentiæ uberrimus campus erat, uti ex Orationibus Ciceronis compertum ſit. Præſumtiones, quæ *legis* dicuntur, certa lege conſignatæ, & extra judicis arbitrium poſitæ ſunt: atque hæ rurſus dividuntur paſſim in Præſumtiones *juris tantum*, & Præſumtiones *juris, & de jure*. Prioris generis ſunt, quas probat jus tanquam veriſimiles, non tanquam omnino veras, ut contrarium probari non poſſit, quales ſunt, *videri repetita a ſubſtitutis, quæ ab inſtituto fuerunt relicta*, *l.* 74. *de leg.* 1.: *quod non demonſtratur, unde mulier habeat, exiſtimari a viro ad eam perveniſſe*, *l.* 51. *de don. int. vir.*: quod Epiſcopo legatum eſt, intuitu Eccleſiæ, non perſonæ relictum videri, ſi extraneus legavit; ſi vero propinquus, intuitu perſonæ, non Eccleſiæ, *cap.* 15. *de teſt.* Atque id genus Præſumtionum propriæ ſunt hæ formulæ *videri*, *exiſtimari*, *intelligi*, *haberi*. Poſterioris generis ſunt, quas & jus probat, & adeo veras pronunciat, ut nullam in contrarium probationem admittat, qualis eſt hæc, ſi quis cum muliere data de contrahendo matrimonio fide conſuevit, matrimonium contractum præſumi, & certe aliam ab eo duci uxorem non poſſe, *cap.* 30. *de ſponſal.* In hoc exemplo jus non præſumit tantum, ſed & aliquid certo ſtatuit ſuper eo, quod præſumit, nempe id, ma-

Digitized by Google

matrimonium cum alia contrahi haud poſſe. Præſumtiones *juris tantum* probandi onus transferunt in adverſarium, *l. 24. de prob.*, *cap. 10. de præſumt.* Præſumtiones *juris, & de jure* probant adeo, ut *non ſit* contra eas *probatio admittenda*, uti loquitur Greg. IX. in *d. cap. 30. de ſponſal.* V. etiam *cap. 4. qui matr. accuſ.*

T I T U L U S XIII.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

POſt ſatis inſtructam a litigatoribus cauſſam, & poſtquam per eos jam fuit expreſſe, vel tacite ulteriori diſceptationi renunciatum, unde oritur *Concluſio in cauſſa*, quæ formula a Decretalibus Pont. in Civile forum defluxit, *cap. 5. §. 3. de cauſ. poſſ., & propr.*, & *cap. 9. de fid. inſtr.*; dicenda a judice ſententia eſt. Sententiam definio ex Modeſtino in *l. 1. de re judic.* pronunciationem judicis, quæ vel condemnatione, vel abſolutione controverſiam finit. Aut interloquutoria eſt, aut definitiva. Interloquutoria, quam veteres *præjudicium* dixere, leges *interloquutionem* latine dicunt (nam *interloquutorium* vix latine dici, Voſſius docet *de vit. ſerm. lib. 3. c. 16.*) interloquutoria, inquam, eſt judicis pronunciatio ſuper quæſtione diſceptationi principaliter motæ incidente, quæ primariam cauſſam plerumque non perimit, *l. 9. C. de ſent., & interloqu.* Contra quæ pronunciatio primariam cauſſam perimit, ea definitiva ſententia eſt, quæ propria eſt hujus loci. Hanc, ſi *condemnationem, vel abſolutionem non continet, pro juſta non haberi*, Imp. Alexander reſcripſit, *l. 3. C. eod.* (a). Sedere judex debet, quum profert ſententiam, quo enim magis quieſcit corpus, eo mens acrius intendit. *Nimio plus ſapio ſedens*, ajebat Tranio apud Plautum in *Moſtellaria*. Sedere judicem Leges jubent, *l. 6. §. ult. C. de poſt.*, in quam perbelle Pollet. *lib. 1. c. 5.*, *Nov. 71. c. 1.*; unde *ſeſſiones* judicum in *l. 2. §. 1. quis ord. in poſſ.*; & *ſedere* pro *judicare* apud Tullium. Sed nuſquam ſtatuunt, ſententiam a non ſedente judice dictam nullius eſſe momenti: quod jus Canonicum ſtatuit in *cap. 5. h. t. in 6.* Verum in judiciis, quæ *ſummaria* dictitant, ſedendi neceſſitas judici remiſſa eſt, *Clem. 2. de V. S.* in fine. Porro publice ſedens, non in ſecreto loco ſententiam dicere judex debet, *l. 6. C. de ſent., & interloqu.*:

(a) *De nota* N. L. non *liquet, quæ in judiciis ampliationis formula erat, v. Pollet. Hiſt. for. Rom. lib. 4. c. 15., & Briſſon. de Form. p.* 489.

& Magiſtratus quidem pro tribunali ſedet, unde *tribunali præeſſe*, ac *pro tribunali cognoſcere* paſſim de Magiſtratu dicitur in libris juris Civilis *l. 2. §. pen. de jud.*, *l. 2. de re jud.* Cujus jurisdictio non eſt, ejus tribunal nullum. V. Pollet. *lib.* 1. *c.* 6., & Briſſon. de *V. S.* v. *Tribunal. Ad ſtantem judicem dicere* eſt apud Cic. Tribunal erat locus editus, quo per gradus adſcendebatur. V. Pollet. *ibid.* Ei locus *planus* apud Latinos opponitur. Senec. *lib.* 1. *de Clem. c.* 5. Hinc *de plano cognoſcere*: quam formulam expendi *in pr. tit. de act.* Epiſcopi olim civiles fidelium cauſſas domi plerumque judicabant: qua de re Aug. *lib.* 6. *Conf. c.* 3.: criminales in Conciliis, ut fuſe *lib.* 4. Tribunali, uti & aliis bene multis, quæ erant publicorum judiciorum propria, abſtinebant. Appoſite Euſebius de Paulo Samoſateno *lib.* 7. *c.* 20., *Sedem, & thronum ſublimem ſibi paravit, non ut Chriſti diſcipulus, ſed ut orbis Principes, ſecretum* (puta, ſecretarium) *habens, & nomine appellans*. Quod ad tempus ferendæ ſententiæ, noctu judicare, ac de reo pœnas ſumere inde uſque a legibus 12. tab. Romæ interdictum. Gell. *lib.* 17. *c.* 2., Senec. *de ira lib.* 3. *c.* 18., & 19., *l.* 2. §. 31. *de O. J.*, *l.* 1. §. 8. *quand. appel.*, Nov. 82., Petr. Fab. 2. *Semeſtr.* 9., licet contraria exempla non deſint. Suet. *in Aug. c.* 33. A jure Civili Canonicum non abludit, *cap.* 24. *de off. deleg.* De idiomate ita Tryphoninus in *l.* 48. *de re judic.*, *Decreta a Prætoribus latine interponi debent*. Contra Arcadius, & Honorius *l.* 12. *C. eod. tit.*, *Judices tam latina, quam græca lingua ſententias proferre poſſunt*. Nullam ego hîc antinomiam adgnoſco. Tryphoninus de Prætore loquitur, qui Romæ jus dicit, ubi vernaculus ſermo latinus: Imperatores de judicibus in Provinciis conſtitutis; ſcripta eſt enim *l.* 12. ad Proconſulem Aſiæ: in Provinciis autem utraque lingua communis quum latina, tum græca; unde illud rectiſſime conſequitur, quolibet vulgari, atque uſitato idiomate proferri ſententiam poſſe. Jam vero ſententia ſine ſcripto prolata ſic non valet, ut *ne nomen quidem ſententiæ habere mereatur*, verba ſunt Impp. Valentiniani, Valentis, & Gratiani in *l.* 3. *C. de ſententiis ex periculo* (a) *recit*: quæ eadem verba uſurpavit S. Gregorius *cau.* 7. *cauſ.* 2. *q.* 1., & noviſſime Bonifacius VIII. in *cap.* 5. *h. t. in* 6. Hujus juris ratio videtur hæc, quod ſæpe verba ore pronunciata menti illudant,

(a) *Sententiam* ex periculo *recitare in cit. Cod. tit. eſt eam ex tabella, ſeu ex ſcripto pronunciare. De lectione non liquet. Alii* ex breviculo, *alii* ex periculo, *alii* ex pariculo *legunt*. *V. Budæ. Annot. pr. in Pand.*, *Alciat.* 1. *Diſpunct.* 21., *Cujac. Par. C. d. t.*, *Ferand. Adduenſ.* 2. *Explic.* 13., *Perrenon. lib.* 2. *Animadv. c.* 17., & *Grot. in Fl. ſparſ.*

Digitized by Google

ludant, ſecus ea, quæ literis conſignata ſunt: periculoſum eſt autem in proferenda ſententia judicem labi, qui eam ſemel prolatam reſcindere, vel corrigere non poteſt, *l.* 42. *de re judic.*, *l.* 2. *C. eod.*; unde Cic. *act.* 3. *in Ver.* id Verri vitio dedit, quod ſua is decreta ſubinde mutaret: quod de definitivis ſententiis verum eſt. Interloquutiones mutare integrum judici eſſe, non ambigitur, *l.* 14. *de re jud.* Quod vero Innoc. III. inquit in *cap.* 16. *h. t.*, *quum ex depoſitionibus teſtium conſtiterit, ſententiam a judice prolatam*; id non latam ſine ſcripto ſententiam, ſed potius ſcripturam incendio, aliove caſu periiſſe, ſupponit: quo ſpectat *cap. ult. de probat.* Exceptionem dat *Auth. niſi breves C. eod*, *Niſi breves ſint lites, & maxime vilium perſonarum, vel cauſſarum (tunc enim ſine ſcriptis cognoſcere Præſidem oportet) & niſi Epiſcopus cognoſcat inter ſuos ſubditos*: quod poſtremum retulit Gratianus in Decretum ſuum *can.* 45. *cauſ.* 11. *q.* 1.: quodque de Epiſcopo, idem de Capitulo ſede vacante ſtatutum eſt in *cap.* 43. *de teſtib.* Perperam vero Cujacius in *d. cap.* 43. ideo & Epiſcopum, & vacante ſede Capitulum poſſe ex non ſcripto definitivam ſententiam ferre ſcribit, quod ſint illuſtres judices, quibus ea ſolennitas remiſſa eſt *l.* 2. *C. eod. tit.*; namque ea lege id tantum illuſtribus judicibus datur, ut *etiam per officium ſuum, & eos, qui miniſterium ſuum eis accommodant, ſententias definitivas recitent* ex tabella, quum eas debeant alii ſuo ipſi ore *ſcriptas ex libello partibus legere* (a): quod generaliter Canonico quoque jure de Epiſcopo cautum eſt *propter dignitatis prærogativam*, ut Bonifacius loquitur in *d. cap.* 5. *in* 6. Sed jam paſſim obtinet, ut judicum ſententiæ per alios recitentur. Gudelin. *de jur. novis lib.* 4. *c.* 12. Sententiæ vis multiplex. Rem facit notoriam, *cap.* 10. *de cohab. cleric.*: inter partes jus facit, *l.* 25. *de ſtat. hom.*, *l.* 50. §. 1. *de leg.* 1.: inter partes, inquam; non enim aliis nocet, *tit. C. quib. res judic. non nocet*, & *cap.* 25. *h. t.*: & novationem inducit: quod argumentum ſubtiliter de more ſuo diſſertat Valentia *lib.* 2. *tract.* 2. *c.* 9.

De ſententia id addo, interdum fieri, ut interloquutio vim habeat definitivæ. In *l.* 9. *C. de ſent. & interloqu.* Diocletianus, & Maximianus ſcribunt, *Nec cauſſam ullam interloquutiones ple-*

(a) *At vero Caſſiodorus* 5. *Var.* 3. *de Præfecto Prætorio, cujus expreſſa mentio in d. l.* 2., *hæc habet*, Verbo ſententiam dicit: *ex quo Caſſiodori loco interpretantur d. l.* 2. *Cujacius ibid.*, *& Fornerius in Caſſiod. Ego Caſſiodori teſtimonio motus ita fuiſſe de Præfecto Prætorio Romanis legibus cautum ajo; nunquam tamen facient Cujacius, & Fornerius, ut id d. l.* 2. *comprehenſum affirmem. Qui verba legis perpendet, me haud falſum in hac re dicet.*

runique perimunt. Tò *plerumque*, quod cauſſa neſcio qua intruſum a Triboniano Giphanius ſuſpicatur, ſatis idoneo argumento eſt, nonnunquam perimi cauſſam interloquutione, puta ſi judex peremtoriam exceptionem admittit, *l. 37. C. Th. de appel.*, aut rejicit, *Clem. ult. eod.*, ubi Gloſſa.

Si intra legitimum tempus provocatum non ſit, tranſit ſententia in rem judicatam, *cap. 13. h. t.*: quod perinde eſt atque auctoritatem rei judicatæ obtinere, *cap. 15. eod.*; qui enim poterat provocare, nec provocavit, videtur is in ſententiam conſenſiſſe. Quoniam vero nec ſuper matrimonio, nec ſuper iis controverſiis, in quibus animæ periculum verſatur, tranſigi quocumque partium conſenſu poteſt; ſententiæ ſuper iis prolatæ etiam poſt legitimum tempus rerum judicatarum auctoritatem non habent, *cap. 7. h. t.* Res judicata dicitur Modeſtino *d. l. 1. h. t.*, *quæ finem controverſiarum pronunciatione judicis accipit*. Hanc deſcriptionem omni ſententiæ definitivæ convenire, ſcribit Dovjat. in *Lancellot.* a qua tamen longe diſtat res judicata. Male; nam tunc proprie finis controverſiæ imponitur, quum tempus appellationi jure datum dilapſum eſt. Ceterum eo differunt ſententia, & res judicata, quo cauſſa & effectus: hæc effectus, illa cauſſa eſt. Cujac. in *cap. 1. h. t.* Rem judicatam Quintilianus paſſim *judicationem* appellat.

TITULUS XIIII.

DE APPELLATIONIBUS.

NE in rem judicatam tranſeat ſententia, Appellatio facit. Eſt autem Appellatio iniquitatis, vel imperitiæ judicis querela apud majorem judicem propoſita, quo hic male latam ab eo ſententiam in melius reformet, *l. 17. de min.*, *l. 1. ff. de appellat.* Quod jure naturali unuſquiſque poteſt ſe, ac ſua tueri, naturali etiam jure unuſquiſque poteſt a ſententia contra ſe dicta provocare: unde dicitur provocatio remedium *ad præſidium innocentiæ inſtitutum* in *cap. 41. §. ult. h. t.*: quod præſidium juris naturalis eſſe, non dubitatur. Anne igitur formula, *omni appellatione remota*, adhiberi in judiciis ſolita, contra naturale jus eſt? Minime vero. Ea formula provocationem non impedit; *cap. 53. h. t.*, ſed hunc ſolum effectum habet, ut neceſſe ſit manifeſtam appellationis cauſſam exprimere, *d. cap. 53.*: quod alias facere non eſt neceſſe, *l. 1. ff.*, & *cap. 1. de appell. in 6.*: quod mox enarrabo. Appellationem vulgo duplicem faciunt, alteram *judicialem*, alteram *extrajudicialem*. Judicialis adverſus judicialem actum interponitur:

tur: atque hæc rurſus duplex, altera, quæ contra interloquutionem, altera, quæ fit contra ſententiam definitivam. Appellationem ab interloquutione Civile jus non adgnovit, *l. 7. C. quor. appel. non recip.*, certis ſpeciebus exceptis, de quibus *l. 7. §. 2. de min.*, *l. 5. §. 4. de appellat.*, *l. 2. de appel. recip.*: Canones ante Concilium Tridentinum ſemper admiſere, *cap. 1. de dilat.*, *cap. 9.*, *cap. 15.*, *cap. 20. de appell.*, & *cap. 1. eod. tit. in 6.*; Tridentini autem Patres, quod experti didicerant, ſæpe ad defatigandos longa fruſtratione adverſarios ab interloquutionibus provocari, id genus appellationes tum demum probarunt *ſeſſ. 13. c. 1.*, & *ſeſſ. 24. c. 20. de Ref.*, quum interloquutio vim habet ſententiæ definitivæ, aut quum gravamini per appellationem a definitiva occurri non poteſt, ut ſi judex exceptionem, quam dicunt *incompetentiæ*, rejecerit, *cap. 34. de reſcr.*: ſicque Civile jus recentarunt. Ante Synodi Tridentinæ tempora appellationum licentiæ indoluerunt S. Bernardus *lib. 3. de Conſiderat.* ad Eugen. III. *cap. 2.*, & Hildebertus Archiep. Turonenſis *ep. 82.* ad Honor. II.: indoluere etiam multi laudatæ Synodi Patres, & quum primis Johannes Gropperus. Redibit hic ſermo *lib. 4.* Si á definitiva appelletur, cauſſam, cur appelletur, exprimi non eſt opus: ſi ab interloquutoria, exprimenda omnino eſt. Diſcrimen hoc non obſcure tradit Innoc. IV. in *d. cap. 1. h. t. in 6.* in hæc verba: *Si quis in judicio, vel extra ſuper interloquutoria, vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, cauſſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet.* De interloquutoria tantum loquitur; ſecus eſt igitur de definitiva. Neque obſcura diſcriminis ratio. Definitivam mutare judex non poteſt, *l. 55. de re jud.*, interloquutoriam poteſt, *cap. 60. de appel.*, ut proinde æquum ſit cauſſam exprimere, cur poſſit, ac debeat emendari. Accedit illud, quod, ubi a definitiva appellatur, jus ſit litigatori novis probationibus uti, *l. 4. C. de temp. appel.*; at vero *appellanti ab interloquutoria non liceat alias cauſſas proſequi, quam nominatim dumtaxat expreſſas*, *Clem. 5. h. t.* Gonzalez in *cap. 59. h. t. n. 12.* tria tempora diſtinguit, tempus Anacleti, tempus Innoc. III., ac tempus Innoc. IV. Anacletus *can. 3. cauſ. 2. q. 6.* *Omnis oppreſſus*, inquit, *libere Sacerdotum, ſi voluerit, appellet judicium.* Ex verbo *libere* infert Gonz., olim ſive a definitiva, ſive ab interloquutoria nulla expreſſa cauſſa liberum fuiſſe appellare. Innoc. III. ab interloquutione appellari *probabili cauſa* verbo etiam *expoſita* voluit in *cap. 61. §. 1. h. t.* Tandem Innoc. IV. ſcripto cauſſam proponi juſſit *d. cap. 1.* Verum Anacleti Epiſtolam in *d. can. 3.* vel ex eo ſuppoſititiam eſſe patet, quod habeat ſane multa, quæ a diſciplina temporum Anacleti prorſus abhorrent. Extrajudicialis eſt, quæ adverſus quoſcumque extrajudiciales actus interponitur.

De

De hac ita in *cap.* 5. *h. t.*, *Sacri Canones etiam extra judicium paſſim appellare permittunt: nec ſolent hujuſmodi dici appellationes, ſed provocationes ad cauſſam*. Exempla ſunt in *cap.* 21. *de elect.*, in *cap.* 1., 19., & 20. *eod. tit. in* 6., in *cap.* 8. *de appell. in* 6., & in *cap.* 12. *de ſent. excom. in* 6.

Quum ab interloquutoria appellatur, cauſſam ſcripto exprimendam, dixi ex *d. cap.* 1.; quo fit, ut ab interloquutoria ſcripto debeat appellari. V. quoque *cap.* 9. *h. t. in* 6. Quantum ad definitivam, jure Civili intereſt, num *apud acta*, uti dicitur in *l.* 2. *h. t.*, hoc eſt, *illico*, uti dicitur in *l.* 14. *C. eod.*; an ex intervallo appelletur. Si prius, *ſatis erit, ſi dicatur, appello*, *d. l.* 2., & *d. l.* 4.: ſi poſterius, libello eſt opus, *l.* 1. *§. ult. eod.*, quam de appellatione accipiendam, quæ fit ex intervallo, lex 3., quæ eum §. continuo ſequitur, luculentiſſime probat. Veterem Eccleſiæ diſciplinam ex facto S. Cyrilli Hieroſolym. Epiſcopi jam indigitavi *tit.* 6. Nunc, quod pertinet ad appellationem a definitiva, ſeorſum a jure Civili jus Canonicum non ſentit.

Appellatio intra *fatales* (a) *dies* peragenda. Fatales dies inde dicti, quod eorum lapſus *fato* quodam perimat appellationem, ſunt tempora exercendæ appellationi præſtituta: eaque numero quatuor: primum, intra quod litigator interponere appellationem: ſecundum, intra quod petere, atque accipere apoſtolos: tertium, intra quod appellationem introducere: ultimum, intra quod proſequi, ac finire debeat appellationem. Jure Digeſtorum, & Codicis interponendæ appellationis tempus erat altera dies, ſeu biduum in propria cauſſa, hoc eſt, quum quis ſuo nomine agebat: tertia dies, ſeu triduum in aliena, hoc eſt, quum quis agebat nomine procuratorio, *l.* 1. *§.* 5., 6., & 11., *l.* 2. *ff. quand. appell.*, *l.* 6. *§.* 5. *C. h. t.*: novo jure Juſtiniani in qualibet cauſſa eſt ſpatium 10. dierum *a ſententiæ recitatione numerandum*, *Nov.* 23. *c.* 1. Juſtinianæum jus Innoc. III. confirmavit *cap.* 15. *de ſent. & re jud.*, ac non in judiciali ſolum, ſed & in extrajudiciali appellatione ſervandum ſanxit Bonifacius VIII. in *cap.* 8. *de appell. in* 6., ubi quum dicat Bonifacius, *infra decem dies, poſtquam ſciverit*; jam vides, vulgo rectiſſime dici, appellationis interponendæ tempus initio

(a) Fatalium dierum *mentio eſt in l.* 32. *C. de appel.*, *l.* 2., *& ult. C. de temp. appel. Eo vocabulo abſtinendum inquit Bodinus lib.* 3. *de Rep. c.* 6., *quod Græci eos dies* κυρίας, *ſeu* ſtatos *appellent*, *non* μοιρίας, *ſeu* fatales. *Bodino repone, quod Cujacius collatis exemplis tradit* 16. *Obſ.* 39., *ſolere Græcos latina quæcumque efferre depravate. Præterea ſatis eſſe Bodino debet, quod Syneſius ep. ad Theophil. extremum, ac fatalem vitæ diem* κυρίαν *dicat.*

Digitized by Google

initio utile, proceſſu continuum eſſe: quod Civili quoque jure verum eſt, *l.3. C. quom. & quand. jud.* Porro & ſciſſe, & potuiſſe, eſt opus, *d.l.1. §.7.* *Poſt appellationem interpoſitam*, inquit Marcian. *l.un. de libel. dimis., literæ dandæ ſunt ab eo, a quo appellatum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt*. Hæ literæ vulgo *Apoſtoli*, hoc eſt, dimiſſorii libelli dicuntur, *l. 106. de V. S.*: dicti autem *dimiſſorii libelli*, ſive *dimiſſoriæ literæ*, ait Modeſtinus *d. l. 106.*, *quod cauſſa ad eum, qui appellatus eſt, dimittatur*. Earum literarum ſenſum hunc eſſe docet *d. l. un. §. 1.* Marcianus, *appellaſſe, puta; L. Titium a ſententia illius, quæ inter illos dicta eſt*. Marciani locum in *d. l. un.* retulit Gratianus in Decretum ſuum *can. 31. cauſ. 2. q. 6.*: tum formulam Apoſtolorum dedit in hæc verba, *Ego ille Sanctæ Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus te Presbyterum Rolandum Capellanum S. Apollinaris ad Apoſtolicam Sedem, quam appellaſti, ab obſervatione mei judicii his apoſtolis dimitto*. Apoſtoli olim intra quintum diem, teſte Paulo *lib. 5. ſent. tit. 34.*, quem locum deſcripſit Gratian. *can. 24. eod.*: jure novo intra triginta a lata ſententia dies petendi ſunt, & a judice, unde appellatur, litigatoribus exhibendi, *l. 24. C. de appel.*, *cap. 6. eod. tit. in 6.* In *d. l. 24.* ſcriptum eſt, *ex die latæ ſententiæ* (a): quod alii, uti ſonant verba intelligunt; alii, quaſi ſcriptum ſit, *a die ſcientiæ latæ ſententiæ*: quæ opinio exemplo ejus, quod de interponenda appellatione dictum eſt, mihi magis probatur, jamque paſſim fori uſu recepta eſt. V. Wiſenb. in *tit. ff. quand. appell.* Poſſe judicem certum tempus in eam rem litigatori dare, conſtat ex *Clem. 2. h. t.*, quam ita accipiunt, ut poſſit quidem judex legitimum tempus contrahere; producere tamen non poſſit, *cap. 5. h. t.* Apoſtoli *inſtanter* petendi ſunt, *d. cap. 6.*, & uti eſt in *d. Clem. 2. inſtanter, & ſæpius*, ne appellationi renunciatum poſſit videri. Quid de petendis, exhibendiſque Apoſtolis in foro obtineat, vide apud Scacciam *de appell. q. 13.*, Ridolphin. *c. 13. n. 132.*, & alios. Tempus introducendæ appellationis, hoc eſt, tempus, intra quod litigator judici majori ſiſtere ſe præſentem debet, atque apoſtolos offerre, varium eſt jure Civili pro varia locorum, & judicum ratione, *l. 1., 2., & ult. C. de temp. appel.* Varium id jus moribus gentium ſervari vix potuit. In Canonibus de eo tempore nihil certi. Magis eſt, ut judex, a quo provocatur, id ſtatuat arbitrio ſuo, *cap. 5., & 33. h. t.*, & *Clem. 4. eod.*: quod alicubi municipali jure cautum eſt: Huber in *tit. ff. quand. appell.* Denique pro-

---

(a) *Verba*, ex die latæ ſententiæ *non ſunt in l. 32. C. Th. de appel.*, *unde l. 24. deſcripta eſt. Fortaſſe ea addidit Tribonianus, tanquam bonus interpres. Confer 29. C. Th. eod.*

Digitized by Google

proſequendæ, ac finiendæ appellationis tempus utroque jure eſt annus unus, & ex juſta cauſſa etiam alter, *Auth. ei, qui, l. ult. §. 4. C. de temp. appellat.*, *d. cap. 5. h. t.*, & *Clem. 3. eod. tit.* Unde id tempus initium capiat, diſputant interpretes juris Civilis. V. Accurſ. in *l. ult. v. inchoatam C. de temp. appel.* At ab interpoſita appellatione incipere, Canones jubent, *cap. 8. de appel.*, & *Clem. eod.*: quod Civilis etiam fori uſus admiſit. Gail. 1. *Obſ.* 141., Scaccia *q.* 19. *a n.* 162. Sed jam nimia cauſſarum frequentia judices finiendis intra legitima tempora appellationibus impares fecit.

Appellare poſſumus, ſi noſtra intereſt, *l. 4. §. 2.*, *l. 5. ff. de appel.*, *can. 30. cauſ. 2. q. 6.*, *cap. 16. §. 1. de elect.*: nec ſolum noſtro, ſed & procuratorio nomine appellamus, *l. 2. quand. appell.*: quin licet procuratorio nomine agamus, alium dare poſſumus ad appellandum procuratorem *l. 4. in fin. h. t.* Fruſtra appellant, qui ſententiam quoquo modo probarunt, *cap. 2. de off. del.*: qui ob veram, non ob fictam contumaciam damnati ſunt, *Clem. un. de dol.*, & *cont.*, ubi Gloſſa: manifeſti criminis rei *cap. 5. §. ult.*, *cap. 13. h. t.*: qui ſe non appellaturos jurarunt, *cap. 2. eod.*: & contra quos tres conformes ſententiæ prolatæ ſunt, *cap. 65. h. t.* Regula juris Civilis hæc eſt, nemini licere in una eademque cauſſa tertio provocare. Ante Juſtinianum ſemel tantum provocare licebat: poſt Juſtinianum etiam bis, *l. un. C. ne liceat in una ead. cauſ.* Eandem regulam proponit Clemens III. in *cap. 39. h. t.* Regulæ ratio hæc eſt, quod præſumendum ſit, malam eſſe cauſſam ejus, qui fuit tribus conformibus ſententiis damnatus.

Appellatio & judicis, a quo provocatur, juriſdictionem ſuſpendit, & cauſſam ad majorem judicem devolvit, *l. 32. §. 4. C. h. t.*, *cap. 55. eod.* Exceptionem dat Alexander IV. in *cap. 20. de ſent. excom. in 6. Sicut excommunicatio, ſic ab officio, vel ab ingreſſu Eccleſiæ lata ſuſpenſio, aut ipſius effectus per appellationem ſequentem minime ſuſpenduntur.* V. quoque *cap. 53. de appel.*

De appellatione gradatim interponenda *lib. 4.* De appellationibus *tanquam ab abuſu* bene multa *lib. 1. Inſt. juris Neap.*, quas poſt hoc opus editum evulgare eſt animus. Tu nunc adi Fevret. in Tractatu *de Abuſu*, & contra Fevretium fuſe diſputantem Alteſerram *de Juriſd. lib. 8. c. 5.*, & *ſeqq.*

TITULUS XV.

DE ALIIS CONTRA SENTENTIAM REMEDIIS.

Sunt & alia contra ſententiam remedia juris. Primum eſt in integrum reſtitutio, qua minor, quique minoris jure cenſe-

tur,

tur, & ex juſta cauſſa etiam major ſive in contractibus, ſive in judiciis læſi in integrum recipiunt jus ſuum, *tit. ff. de in integr. reſtit.*, *tit. ff. de min.*, *tit. C.*, *&* *l.* 4. *quib. ex cauſ. maj.*, & *l.* 24. *§.* 4. *cit. tit. de min.* Eſt hoc *extraordinarium auxilium*, quod ei *tribui non debet*, qui *communi auxilio munitus eſt*, *l.* 16. *de min.*: quo fit, ut ſi appellatio competit, nullus ſit reſtitutioni locus. Minorum jure utitur Reſpublica, *d. l.* 4. *C.*: quæ ad municipia producta eſt, & generaliter ad omnes univerſitates, quarum numero eſt Eccleſia, *cap.* 1. *de in integr. reſt.*, quæ etiam contra alteram Eccleſiam reſtituitur, *cap.* 2., & 3. *eod.*, nihil obturbante, quod vulgo dicitur, qui privilegium habet, adverſus eum, cujus par eſt privilegium, uti privilegio non poſſe, *l.* 12. *§.* 1. *C. qui potior. in pign.*; nam regula hæc juris vera eſt, ſi utraque Eccleſia de damno vitando agat: cæterum ſi una de lucro captando, altera agat de vitando damno, hanc contra illam reſtitui, eſt æquum, uti in eadem ſpecie minor reſtituitur contra minorem, *l.* 11. *§.* 6. *de min.* Tempus ad in integrum reſtitutionem novo jure Imperatoris Juſtiniani eſt quadriennium continuum, *l. ult. de temp. in integr. reſt.*, in quam v. Wiſenbach. Hoc idem tempus Canones probarunt, *cap.* 1. *de in integr. in* 6, & *Clem. un. eod.* Sed recte poteſt judex, ſi qua ei cauſſa juſta videatur, legitimum tempus producere, *d. cap.* 1. Secundum juris remedium eſt *Reviſio*, ſeu *Retractatio*: tertium eſt remedium, quod dicunt, *Nullitatis*: de quibus *lib.* 4. *Inſt. Juris Neap.* abunde egi. V. Giphan. *de Ordin. judic. tract.* 2. *c.* 12., & 13.

TITULUS ULTIMUS.
DE EXEQUUTIONE REI JUDICATÆ.

REm judicatam exequitur judex, qui ſententiam dixit, ſi is habet juriſdictionem, *l.* 15. *de re jud.*: qualis eſt Magiſtratus, ſeu judex ordinarius, *d. l.* 1., & a Principe, vel Summo Pontifice delegatus, *cap.* 7., & 26. *de off. & pot. deleg.*: quin etiam ab inferiore judice delegatus, uti *tit.* 2. probavi. Datus judex, & arbiter, quod nudam notionem, non juriſdictionem, habeant, ſuas ipſi ſententias exequi non poſſunt; ſed earum exequendarum poteſtas eſt penes Magiſtratus, *d. l.* 15. De actione judicati, ac de judicis officio: quod duplex remedium pro ſententiæ exequutione jure proditum eſt, vide dicta *lib.* 4. *juris Neap.* Quid ſit Civili jure cautum de tempore, intra quod ſuam judex exequi ſententiam debeat, tradidi *lib.* 4. *Inſt. Civ. tit. de offic. jud.*: neque alia eſt mens Canonum, *cap.* 26. *de off. deleg.*, *cap.* 15., & 18. *de ſentent.*, *&* *re jud.* Addam nonnulla de hac re *lib.* 4.

Digitized by Google

ERRATA:	CORRIGE:
Pag. 14. v. 23.	
Magnum inter arbitros juris, & intercedit. Ab arbitris juris recte provocatur, *d. l. ult. C.* ibi, *Niſi* voluntarios diſcrimen *fuerit*.	Magnum inter arbitros juris, & voluntarios diſcrimen intercedit. Ab arbitris juris recte provocatur, *d. l. ult. C.* ibi, *Niſi fuerit*.
Pag. 39. v. 18.	
L. 2. C. de teſt.	*L. 7. C. de teſt.*
Pag. 44. v. 17.	
Lancellet.	*Lancellot.*

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBER IV.

TITULUS I.

DE ECCLESIASTICA IN CRIMINALIBUS CAUSSIS JURISDICTIONE.

NUNC de judiciis, quæ maleficiorum puniendorum gratia reperta ſunt. Maleficia & Civilis, & Eccleſiaſtica Poteſtas punit. De hac ita Chriſtus *Joh.* 20. *v.* 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: & *Matth.* 18. *v.* 15., *Si peccaverit in te frater tuus &c., dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus*: de illa Paulus *ad Rom.* 13., cujus verba mox dabo. Non eadem utriuſque Poteſtatis ratio. Civilis forum unum, idque exterius: Eccleſiaſticæ duplex, alterum interius, exterius alterum. Exteriore utriuſque foro male facta tantum, nec tamen omnia vindicantur: interiore hujus foro omnia omnium male facta, & vero etiam cogitata: quo refer Innoc. III. locum in *cap.* 13. *de judic.*, *Intendimus decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus, & debemus*: qui locus Canoniſtarum miſere torſit ingenia. V. Sarpium in *Apolog. p. m.* 165., & P. de Marca *de Concord. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. Civili Poteſtati propoſita ſunt hæc, reum pœna admonere, ac facere meliorem, alios exemplo deterrere, læſi dignitatem tueri, doloremque publica ultione ſolari: de quo triplici pœnarum Civilium fine videſis Gell. 6. *Noct.* 14., Grot. *de J. B. ac P. lib.* 2. *cap.* 20. §. 6., Huber. *de jur. Civ. lib.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 1., & *lib.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 5. Eccleſiaſtica, quam caritas exercet, eo ſpectat omnis, ut redeat peccator ad bonam frugem, aliique exemplo pœnæ abſtineant a malo.

Eccleſia uſque ad initium ſeculi 12. in Chriſtianos ſive Clericos

cos ſive laicos, ac ſive Eccleſiaſticorum ſive communium criminum reos animadvertit; & ſi enim ſemper aliquam adhibuerit exteriorem judicii formam, de qua ſuo loco; tamen & criminis notio, & pœnæ criminis expiatrices ad interius forum referebantur, a quo externum per id tempus ſejunctum non fuit: quod multa Patrum teſtimonia probant apud Morin. *de Pœnit. lib.* 1. *c.* 10. Mira fuit per ea tempora Sacerdotii, atque Imperii concordia. Communium criminum reos damnabant Civiles Magiſtratus: tum damnatos Eccleſia pœnitentiæ ſubjiciebat: quumque ſeculo 9. id jactare cæpiſſent rei, *nihil pertinere ad Epiſcopum, quæ a publico examinata dignoſcuntur, & diſcuſſa*; veterem diſciplinam vindicavit Synodus Johannis VIII., puta, Trecaſſenſis, ſeu Trecenſis an. 872. in *cap.* 1. *de off. jud. ord.* in hæc verba, *Habeant Epiſcopi ſingularum Urbium in ſuis Diœceſibus liberam poteſtatem adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare, ſecundum quod Canones cenſent, abſque impedimento alicujus.* Τὸ *ſecundum quod Canones*, & maxime ejus Canonis occaſio facit, ut deſcripta Synodi verba accipi debeant de foro pœnitentiali, a quo exterius eo tempore disjunctum adhuc non erat. Eſt igitur caute legendus, explicandusque locus is Decretalium, neque ulla inde arripienda occaſio eſt Civilis Poteſtatis imminuendæ. De hac utriuſque fori conjunctione rurſus infra. Poſtquam vero ſeculo 12. exterius ab interiore foro diſtinctum eſt, & fori Civilis formulæ in Eccleſiaſticum externum illatæ ſunt, non omnium criminum in eo foro Epiſcoporum juriſdictio fuit, ſed dumtaxat eorum, quæ aut proprie erant Eccleſiaſtica, aut a viris Eccleſiaſticis admiſſa.

Suo etiam jure cum ipſis gentibus nato temporales pœnas de facinoroſis hominibus ſumit Civilis Poteſtas, de qua ſic Paulus, *Non ſine cauſſa gladium portat* (*gladius* Civilis poteſtatis inſigne, eoque omnia publicæ ultionis inſtrumenta comprehenduntur) *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hæc nullo laicorum, & Clericorum diſcrimine ſcribit Apoſtolus: quin paullo ſuperius inquit, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: quo verbo laicos, Monachos, ac Sacerdotes contineri, Latinorum, & Græcorum Patrum ſententia eſt. V. *lib.* 1. *tit. de Cleric.* Deſcribam hoc loco Chriſtianorum Imperatorum Conſtitutiones. S. Ambroſius *ep.* 32. de Valentiniano Seniore hæc habet, *Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.* Valentiniani Reſcriptum commendat Ambroſius; pertinere tamen ait ad judicium Epiſcoporum *cauſſam fidei*, vel *Eccleſiaſtici alicujus ordinis*, vel *morum*. Fidei cauſſam, ſive Clericus, ſive laicus ſit, qui deliquit, ab Epiſcopis judicandam,

ex-

exploratiſſimi juris eſt. Ad cauſſam Eccleſiaſtici ordinis ſpectant, quæ peccat Clericus, tanquam Clericus, hoc eſt faciens contra Eccleſiaſticum officium. Mores ſunt hominum, non Clericorum, peccata, quæ licet quantum ad Chriſtianam ſanctitatem gravia ſint; tamen quantum ad Civilis ſocietatis bonum levia exiſtimantur: & quamquam in vetus *de moribus* judicium, quod ſuſtulit Juſtinianus *l. un. §. 5. C. de rei ux. act.*, & leviores, & graviores veniſent, Ulp. *fragm. tit.* 6. §. 12.; diſerte tamen ſeparantur *crimina*, & *mores* in *l. 2. C. Th. de repud.*, ſuntque mores levia vitia. Talia in Clericis erant ebrietas, alea, ſcortatus &c. Imp. Valentiniani Reſcriptum, quod laudat Ambroſius, nunc non extat in Codice: ſed extat in Codice Theodoſiano Valentiniani, & Gratiani Conſtitutio in eundem ſenſum, *Qui mos eſt cauſſarum Civilium, idem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendus eſt: ut ſi qua ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, levibuſque delictis ad Religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis, & a ſuæ Diœceſeos Synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariiſque judicibus, aut illuſtribus poteſtatibus audienda* (corrupte legitur, *audientia*) *conſtituit*, *l. 23. de Epiſc. Levia delicta ad Religionis obſervantiam pertinentia* ſunt, quæ Ambroſius *cauſſam morum* appellat: *quæ actio criminalis ab ordin. &c. audienda conſtituit*, ſunt graviores culpæ, quibus ſtatus Civitatis turbatur. In levibus tantum delictis, quibus Clerici *in Chriſtianiſmo offendunt*, ut Ivo loquitur *ep.* 101., ſecularis fori gratia eis facta eſt: præter hæc ſolæ *Eccleſiaſticæ cauſſæ*, quæ Fidem, ac Diſciplinam ſpectabant, apud Epiſcopos diſceptabantur. In hanc ſententiam ſcriptæ ſunt Conſtitutiones Theodoſii M. in *l. 3. Cod. Th. de Epiſc. judic.*, Arcadii, & Honorii in *l. 1. C. Th. de Relig.*, ac Valentiniani III. in *Nov.* 12. ad calcem *C. Th.* Diſtinctum ab Imperatoribus inter *Eccleſiaſtica*, ſeu *propria*, & *Civilia*, ſeu *communia* delicta: quam diſtinctionem a re militari petitam, *l. 2. ff. de re milit.*, confirmavit Juſtinianus *Nov.* 83. Et vero Clerici duplicem perſonam ſuſtinent, alteram Clericorum, alteram Civium, de qua duplici perſona *lib. 1. cit. tit.* Proprium, ſeu Eccleſiaſticum delictum eſt, quod uti Clericus, ſeu Eccleſiæ miniſter admittit: commune, quod uti Civis: atque hinc criminis perſequutio aut propria, aut communis, uti de delictis militum ajebat Menander *d. l.* 2. Mox idem Juſtinianus *Nov.* 123 *c.* 21. laicos judices vetuit, ne Clericos communium criminum reos inſcio Epiſcopo damnarent, ac ſi laico judici cum Epiſcopo non conveniret, ad Principem referri juſſit: quo ſenſu ſcripti ſunt Canones ſeculi VI., Synod. Matiſconenſ. II. *can.* 10., Pariſiens. V. *can.* 4. Sed procedente tempore quum Eccleſiaſtica, tum communia Clericorum delicta Epiſcoporum judicio delata: quod patet ex Capitularibus Regum Francorum *lib.* 1. *cap.* 38., & *l.* 7. *c.* 423.

c. 412., ex Conſtitutione Friderici I. in *Auth. ſtatuimus C. de Ep. & Cleric.*, ex Decreto Gratiani *can.* 5. *cauſ.* 11. *q.* 1. (a), & libro Decretalium *cap.* 12. *de for. comp.* Sed ſuas quæque Chriſtiana Provincia mores, ſuas quæque leges habuit, habetque ſuper hac re pro diverſa Reip. ratione. V. *Guilelm. Benedict.* in *cap. Raynutius n.* 435., Sarpium in *Conſiderat. ſ. m.* 129., Van Eſpen *p.* 3. *tit.* 3. *c.* 2. Apud nos Clericorum in criminalibus cauſſis exemtio late patet ex Gulielmi *Conſt. de perſonis lib.* 1. *Conſt. t.* 45., de qua *lib.* 1. *juris Neap.*

Hactenus dicta huc redeunt. Clericorum delicta ſive Eccleſiaſtica, ſive communia ad Epiſcoporum audientiam pertinent, & Eccleſiaſtica quidem omnia, ex communibus autem ea, quæ nominatim non ſunt excepta: atque hæc *lib.* 1. *jur. Neap. tit. de Cleric.*, & *lib.* 1. *Inſt. Can. eod. tit.* enarrantur. Laicorum delicta aut Eccleſiaſtica, aut ſecularia ſunt. Hæc ſecularium judicum: illa Eccleſiaſticorum judicio ſubjiciuntur, nec, quantum ad Eccleſiaſtica, alia Clerici, ac laici ratio eſt. De Criminibus, quæ *mixta* dicunt, *lib.* 4. *jur. Neap.* actum ſatis.

TITULUS II.

DE DELICTIS ECCLESIASTICIS, AC PRIMUM DE APOSTASIA, HÆRESI, ET SCHISMATE.

MAximum inter Eccleſiaſtica crimen eſt *Apoſtaſia*, quæ vox latine redditur *defectio*. Hinc Apoſtatam dices, qui a Chriſtiana Religione, quam ſemel eſt per baptiſmum profeſſus, omnino defecit. Apoſtatarum prioribus Eccleſiæ ſeculis alii ad Judæos, alii ad Ethnicos tranſibant. Illorum triplex genus erat. Unum erat eorum, qui licet nullum ſequerentur præcipuum caput Judaicæ Religionis, non abſtinebant tamen ritibus nonnullis Judæorum. Spectat huc *can.* 50. Concil. Illiber., *Si quis Clericus vel fidelis fuerit, qui cum Judæis cibum ſumſerit, placuit, eum a communione abſtinere*: cujus Canonis ratio ex eo petenda eſt, quod quum Judæi communes quoſdam Chriſtianorum cibos pro immundis haberent, cum eis cibum ſumere perinde

(a) *Deſcripſit Gratianus eo Canone laudatam Theodoſii M. Conſtitutionem, quo cautum, nihil Clericis commune cum publicis legibus. Sed is, ut ſuo tempori ſerviret, ſciens omiſit hæc*, quantum ad cauſſas tamen Eccleſiaſticas attinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi: *quæ verba ſunt in Conſtitutione Theodoſii*.

Digitized by Google

inde eſſe videretur, ac judaizare, Concil. Agath. *can.* 40. Huc etiam ſpecta *can.* 29. Laodic., *Non oportet, Chriſtianos in Sabbato otiari, ſed ipſos eo die operari . . . quod ſi inventi fuerint judaizantes, ſint anathema apud Chriſtum*. Denique ſpectat huc Chryſoſtomi *Homilia* 1. *contra Jud.*, ubi in Chriſtianos invehitur cum Judæis jejunantes: & *Homilia* 6. *contra Judæ.*, ubi eos Chriſtianos acerbe carpit, qui ſuper depellendis per incantationes, & amuleta (*a*) morbis Judæos conſulebant. Alterum genus erat eorum, qui Judaicam cum Chriſtiana Religione commiſcebant, novam quandam Religionem confingentes: quod a multis hæreticis factum, tradit Aug. *de Hær. c.* 8., 9., & 10. Eo nomine inſignes ſunt Cælicolæ, inter Chriſtianos, & Judæos medii, in quos ſevere pro Chriſtianæ Religionis tutela ab Honorio ſtatutum in *C. Th. l.* 43., & 44. *de hær.*, & *l.* 19. *de Jud.*, *Cælic. & Samar.* Tertium genus erat eorum, qui Chriſtiana Religione prorſus ejurata ad Judaicam accedebant: qui proprie *Apoſtatæ* dicti: qualem fuiſſe quendam Aquilam primum Chriſtianum & ſacrorum librorum interpretem, tum ad Judæos transfugam, & novæ Bibliorum verſionis Chriſtianis infenſiſſimæ auctorem, narrat Epiphan. *de pond. & menſur. n.* 15. Eorum, qui ad Paganos abibant, quique *lapſi* dicebantur, triplex etiam genus: unum *Thurificatorum*, alterum *Sacrificatorum*, tertium *Libellaticorum*: quæ vocabula ſæpe occurrunt in Operibus Cypriani, ut in *ep.* 15. al. 20. *ad Cler. Rom.*, & *ep.* 52. al. 55. *ad Antonian. Thurificati* dicti, qui thus adoleverant Idolis: *Sacrificati*, qui immundis Sacrificiis *ora maculaverant*, uti Cypr. loquitur *ep. ad Cler. Rom.*: *Libellatici*, qui licet nec thure, nec ſacrificio Chriſtum abnegaſſent, tamen propoſitis libellis ſe non eſſe Chriſtianos profitebantur, quales Apoſtatas meminit Cypr. *de Lapſ.*, aut qui ſuo nomine amicos ethnicos, ſervosve ſuos Diis gentum ſupplicatum mittebant, impetrabantque per eos a Magiſtratu libellum ſecuritatis: de quo hominum genere Clerus Romanus *ep. ad Cypr.* inter Cyprianicas 30. al. 31., & *Canon* 6. S. Petri Alexandr. apud Bevereg. *tom.* 2. Erat & tertium *Libellaticorum* genus, qui Chriſtianam Religionem aperte apud Magiſtratum profeſſi data pecunia libellum acceperant immunitatis. Hos ſceleris puros pronunciat *can.* 2. Petrus Alexandrinus, quod nihil vetet Chriſtianum hominem pretio ſe ab injuſta vexatione redimere, ut multis probabo *tit. de Simonia*; at vero ſceleris arguit Cypria-

nus

(a) *Eam artem accepiſſe ſe ajebant Judæi ex ſuppoſititiis quibuſdam libris Salomonis. V. Joſeph. Antiqu. lib.* 8. *c.* 2., *& Origen. tract.* 35. *in Matth.*

nus *ep. ad Antonian.*, etſi mitius agi cum eis debere, arbitretur. Sed certe intereſt, num libello ſit aliquid contra ſanctiſſimum Chriſti nomen expreſſum, nec ne, uti rectiſſime Cabaſſutius in *can.* 3. Conc. Illiberitani. De Libellaticis vide Albaſpin. *lib.* 1. *Obſ. c.* 21. Num autem ad Judaicam, an ad aliam quamlibet nefandam ſectam tranſitus fiat, nihil intereſt: quin eo tranſitu nihil eſt opus, ſufficitque ad Apoſtaſiam Chriſtianam Religionem omnino abjeciſſe. Et Apoſtatæ quidem ſunt, qui poſtquam Chriſtianæ Religionis profeſſioni, quam ediderant, abrenunciarunt, ad Atheos deſcivere: qualis fuiſſe perhibetur Lucianus quidam Samoſatenus Aurelio Imperatori coævus, de quo Spondanus *ad Baron. an.* 171. *n.* 2. Eſt & Apoſtaſia Monachorum, de qua v. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 19.

Hæreſim Græci, Latini *ſectam* dicunt: eoque Græco vocabulo in eam ſententiam Cicero uſus *in præf. Parad.* Verum antiquiſſima Eccleſiaſticorum Scriptorum conſuetudine ea vox male ſonat. *Quid ſit hæreſis, omninò definire difficile eſt*, inquit Aug. *ep. ad Quodvultdeum*: atque *ibid.*, Philaſtrio, & Epiphanio, qui de Hæreſibus ſcripſerunt, non idem viſum *in ea quæſtione, ubi diſceptatur, quid ſit hæreſis*. Et ſane experimento compertum eſt, multos fidelium ſæpe *imperito zelo ſuccendi, & dum quoſdam quaſi hæreticos inſequuntur, hæreſes facere*: quod jamdiu fuit S. Gregorio animadverſum *lib.* 9. *ep.* 39. At vero idem Aug. *pr. lib. de utilit. cred. ad Honorat.* hæreticum definit, *qui falſas, ac novas opiniones* contra ea, quæ Divina fide credenda propoſuit Eccleſia, ſciens *gignit, vel ſequitur*. Dixi, *ſciens*: quod eo loco ſupponit Aug., ac diſerte tradit apud Gratianum *can.* 29. *cauſ.* 24. *q.* 3. his verbis, *Qui ſententiam ſuam quamvis falſam nulla pertinaci animoſitate defendunt . . . nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*; namque, ut idem Aug. ſcribit *lib. de hær. præf.*, *non omnis error hæreſis eſt*. Dubium quoque in fide *infidelem* eſſe, ſcriptum eſt ſub nomine Stephani P. in *cap.* 1. *de hær.*: quod de eo accipiendum, qui non ignorans, ſed ſciens dubitat; namque hoc ipſo peccat in Fidem, quod in dubitationem revocet, quæ eſſe extra dubitationem poſita, ſanctiſſimum Fidei dogma eſt.

Quod Græcis *Schisma*, Latinis ſonat *Sciſſura*. Schismatici ſunt, qui ſe per inobedientiam ſeparant ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, quæ in eo eſt poſita, ut plures Eccleſiæ particulares, tanquam plura membra ſub uno capite unum corpus conſtituant. Hinc Schiſmatici *corpus Chriſti lacerare* Pelagio dicti *can.* 43. *cauſ.* 23. *q.* 5. Tales Donatiſtæ, talis Photius fuit, tales alii multi, de quibus in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Schiſmatici propriè hæretici non ſunt; at *nullum ſchisma*, ſi diu ſtet, *non aliquam ſibi*

Digitized by Google

ſibi confingit hæreſim, uti ſcite Hieronymus *can.* 26. *cauſ.* 24. *q.* 3. Sane Schiſmatici, ut alia deſint, ipſa pertinacia id profitentur, quod Eccleſiæ Catholicæ doctrina non patitur, extra unitatem Eccleſiæ ſalutem dari, *Extrav.* 3. *inter Comm. de ſent. excom.* Jam multos unitatis, & ſchismatis gradus nobis exhibent Eccleſiaſticæ Antiquitates; nam & cum ſua quiſque Eccleſia, & Eccleſiæ ipſæ particulares altera cum altera eſſe conjunctiſſimæ debent. Sed fit interdum, ut utraq; ea conjunctio ex parte, vel omnino ſolvatur. Ad prius caput ſequentes Can. pertinent. Canon inter Apoſtolicos 7. ſic habet, *Cunctos fideles, qui in ſanctam Dei Eccleſiam ingrediuntur, & ſacras Scripturas audiunt, non autem perſeverant in oratione, nec ſanctam Communionem percipiunt, velut in Eccleſiam inducentes confuſionem, ſegregari oportet*: quam diſciplinam Antiocheni Concilii Patres confirmarunt *can.* 2. In Concilio Illiberitano *can.* 21. ita cautum, *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas Eccleſiam non acceſſerit* (nulla juſta cauſſa detentus, quod ſupplendum omnino eſt ex *can.* 80. Concilii Trullani) *tanto tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur*, vel, uti eſt in *cit. can.* Trull., *ſi ſit Clericus, deponatur, ſi vero laicus, ſegregetur*. Facit huc *can.* 11. Conc. Sardicenſis. In *can.* Apoſtolico 32. hæc leguntur, *Si quis Presbyter, contemto ſuo Epiſcopo, ſeorſum congregationem faciat, & aliud altare figat, quum nihil ad pietatem, & juſtitiam pertinens in Epiſcopo damnaverit* (a), *deponatur: deponantur etiam reliqui Clerici, quicumque ei ſe adjunxerint: laici vero ſegregentur*. Quæ hoc *can.* damnantur, *ſchismaticorum ortus atque conatus* appellat Cypr. *ep.* 55., al. 3. *ad Rogatian.* Et quoniam inde ſchismata naſcuntur, *quod Sacerdoti Dei*, h. e. Epiſcopo, *non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur*, ut idem Cypr. inquit *ep.* 55., al. 59. *ad Cornel.*; ſchismatici, ut a ſe notam ſchiſmatis averterent, conſtituere ſibi Antiepiſcopos conſueverunt. Verum id ſemper ratum fixumque habuit Eccleſia, ea re augeri potius ſchisma, atque obfirmari. V. Cypr. *ep.* 44., al. 46. *ad Maxim.*, *& Nicoſtrat. Confeſſores*. Quod ad poſterius caput, & ſi particulares Eccleſiæ diverſos, & vero etiam contrarios ritus ac cæremonias pro veteri cujuſque

H loci

(a) *Forte* τὸ quum nihil &c. *explicandum eſt ex Cypr. ep.* 67., *al.* 68. *ubi*, Plebs, *inquit*, obſequens Prælatis Dominicis, & Deum metuens a peccatore Præpoſito (*puta, manifeſtæ hæreſis, aut idololatriæ reo*) ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificia miſcere; quando ipſa maxime habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi.

loci conſuetudine ſalva pace, atque unitate ſervarent, uti videre eſt apud Irenæum in *Hiſt. Euſeb. lib.* 5. *c.* 24., Hieron. *ep.* 28., Aug. *ep.* 86. *ad Caſulan.*, & Greg. M. *ep.* 41. *ad Leandr.*; tamen ubi aut de communi Fide tuenda agebatur, aut de generalibus Eccleſiæ conſuetudinibus cuſtodiendis, aut de decretis ſive Æcumenicorum, ſive Nationalium Conciliorum ſervandis, aut de iis, quæ rite ac recte quæque egerat pro ſuo jure Eccleſia, univerſim probandis; non licebat ſalva unitate huic, vel illi Eccleſiæ ſeorſum ſentire. Refer huc illud Aug. *cit. ep.*, *Quis non Deum offendet, ſi velit cum ſcandalo totius, quæ ubique dilatata eſt, Eccleſiæ die Dominico jejunare?* Refer etiam illud Concilii Tolet. IV. *c.* 2., *Poſt recta Fidei confeſſionem, quæ in ſancta Dei Eccleſia prædicatur, placuit, omnes Sacerdotes, qui Catholicæ Fidei unitate complectimur, ut nihil ultra diverſum, aut diſſonum in Eccleſiaſticis Sacramentis* (h. e. Liturgia, ſive Divini cultus ordine, de quo loquitur) *agamus; ne qualibet noſtra diverſitas apud ignotos ſeu carnales ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis extet in ſcandalum varietas Eccleſiarum .... nec diverſa ſit ultra in nobis Eccleſiaſtica conſuetudo, quia in una Fide continemur, & Regno*, nempe Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis. Porro huc refer, quod fuſe hoc eodem *lib.* inferius perſequar, olim qui in una Eccleſia fuerat excommunicatus, pro excommunicato in omnibus habitum. Denique refer huc literas Epiſcoporum *Encyclicas* (*a*), & *Formatas* (*b*), quarum *commercio totum* Chriſtianum *orbem in una com-*

(a) *Encyclicæ literæ erant, quas Epiſcopus recens ordinatus dare ad alios ſolebat, quibuſque ſe cum eis in communione eſſe, ſignificabat. Id adeo ſolenne erat, ut encyclicas literas non ſcribere perinde eſſe, ac recuſare communionem videretur. Liberat. in Breviar. c.* 17. *Encyclicis quoque literis damnatorum ab Epiſcopis nomina per Eccleſiam evulgata, ut omnes ſibi ab iis caverent, infra oſtendam.*

(b) Formatarum *literarum nomen non a forma Epiſcopalis ſigilli factum, uti Fabroto, & Sirmondo viſum, ſed a certa verborum forma, quam ſervabant Epiſcopi, ne qua fraus irreperet. V. Philip. Prior. Diſſert. de Liter. Canon. n.* 15 *& ſeqq. his literis hominis fides, & mores laudabantur; unde paſſim* Commendatitiæ *dictæ.* Commendatitiæ literæ dicuntur, *inquit Zonaras in can.* 13. *Apoſt.*, quæ Clericis dantur, aut laicis excommunicatis, aut ignotis abeuntibus in aliam urbem, & commendantes eos illius civitatis Epiſcopo, quaſi a pœnis ſoluti eſſent,

Digitized by Google

communionis ſocietate concordare, inquit Optatus Milev. *lib.* 2. Qui a Romana Eccleſia omnium principe diſceſſionem fecere, hos proprie ſchiſmaticos : alios *quaſi ſchiſmaticos* dixeris.

Eccleſia generaliter Apoſtatas anathemate percuſſit, Concil. Illiber. *c.* 1., & *c.* 50., & Laodic. *c.* 29., eoſque in judiciis ſuis dicere teſtimonium vetuit, Tolet. IV. *c.* 63. Eorum, qui deficiebant ad Paganos, multiplex ratio; alii enim metu, aut vi tormentorum victi, alii ſponte ſua deficiebant. Cum his ſeverius, mitius actum cum illis, Cypr. *ep.* 52., al. 54. *ad Antonian.* Conc. Nicæn. *c.* 11., & Arelat. II. *c.* 10. Rurſus intererat, num qui erant ſupplicare Diis coacti, id læti, an triſtes agerent,

eſſent, aut veræ fidei ſectatores, *ut, quod addit Græcus Scholiaſtes Harmenopuli in Synops. Canon. ſect.* 3. *tit.* 1., ab eo in communionem admittantur. *Subjiciam hoc loco can.* 11. *Concilii Chalced.*, Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, & cum epiſtolis ſeu literis Pacificis Eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum Commendatitiis; quoniam literas commendatitias iis ſolis perſonis, quæ ſunt ſuſpectæ, præberi oportet. *Literas* Pacificas *a* Commendatitiis *diſerte ſeparat Canon.* Pacificæ, *ſeu* Communicatoriæ *literæ tenuioribus iter ingredientibus dabantur, ut & exciperentur hoſpitio, & in Eccleſiaſticam communionem reciperentur: Commendatitiæ iis tantum, qui in criminis ſuſpicionem venerant. Id vero abſurdiſſimum videri debet. Græca vox* ὑπόληψις, *qua utitur Canon, malam ſuſpicionem, & honoratiorem famam æque ſignificat. In deteriorem partem a Zonara, Balſamone, Matthæo Blaſtare, ac Gentiano Herveto accepta eſt: in meliorem a Dionyſio Exiguo, & Iſidoro: quod magis probo; quid enim cauſſæ eſſe dixeris, cur Eccleſia commendatitias literas pacificis potiores ſuſpectis dumtaxat criminum daret? Præfer igitur Dionyſii verſionem*, Commendatitias literas honoratioribus tantummodo perſonis præſtari. *Eccleſiæ conſilium accipe. Quos non conſtabat recipi in communionem debere, eos recipi nefas erat. Huc igitur eæ literæ ſpectabant, ut de hominis extra ſuam Parœciam evagantis fide, ac moribus liqueret. Can.* 7. *Carth. I. ſcriptum eſt*, Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe ſine literis Epiſcopi ſui. *Conſentit Conc. Antioch.* can. 7., Nullus externus ſine pacificis ſuſcipiatur. *Clericorum nomine veniunt ipſi Epiſcopi, can.* 11. *Concil. Antioch., can.* 23. *Carth. Syneſius ep.* 65. *ad Theotimum* (*male alii, ad Theophilum*) *de Alexandro Epiſcopo Baſianopolitano*, In Eccleſiam, *inquit*, eum non admiſi, neque ſacræ menſæ participem feci; *nam Canonicas literas non attulerat. Præter Priorium, de Canonicis literis Diſſertationem dedit nobis Cabaſſutius in Notitia.*

Conc. Ancyr. *c.* 4. Denique diſcrimen erat inter eos, qui diſceſſerant quidem a Fide Chriſtiana, haud tamen coluerant Idola, & eos, qui Apoſtaſiæ adjunxerant Idololatriam, Conc. Illib. *can.* 1., & 46. Illud jam pene exciderat, deteriorem Sacrificatorum, Thurificatorumque, quam Libellaticorum cauſſam fuiſſe, Cypr. *d. ep. ad Antonian.* Hæc diligenter ediſſerunt Morin. *de Pœnit.*, & Bingham. *Orig. lib.* 16. *c.* 4. §. 5., & *cap* 6. §. 4. Hæreticos etiam ab Eccleſia anathemate perculſos, & Nicæni Concilii Symbolum, & Gangrenſes, & Tridentini Canones, quibus contra aliter ſentientes anathema pronunciatur, ſatis demonſtrant. Alicubi ingredi Eccleſiam prohibiti, Laodic. *cap.* 6. Verum in Africa, & Hiſpania, & vero etiam alibi, non minus quam Ethnici, ac Judæi, ad ſacras lectiones, & conciones admiſſi, ut verbo Dei, tanquam ſaluberrima medicina, ſanarentur, Concil. Carth. IV. *cap.* 84., Valent. *cap.* 1., Chryſoſt. *Hom.* 41., & 72. *tom.* 1.; niſi malis Laodicenum Canonem de hæreticis prece tantum, & Communione prohibendis accipere: quod ut probem, nimia ejus Canonis ſeveritas facit. Quo ritu reſipiſcentes hæretici ad communionem reciperentur, vide apud Morinum *de Pœnit.*, & Bingham. *lib.* 16. *c.* 6. §. 16., & 17. Non omittam, quod Illiberitanum Conc. ſtatuit *c.* 51., *Ex omni hæreſi qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad Clerum promovendus: vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur*. Eandem regulam proponit Innoc. I. *epiſt.* 22. Quandoque tamen ab hæreſi venientes in Clero manere pro Chriſtiana caritate juſſit Eccleſia, ſi ita facile eos reditum ad Eccleſiam facturos animadvertit, Conc. Nicæn. *c.* 8. Neque omittam, multo ſeverius contra hæreſiarchas, quam contra eorum ſectatores ab Eccleſia ſtatutum, Aug. *ep.* 50. *ad Bonif.* Cum iis, qui proprie Schiſmatici appellantur, ut cum hæreticis, actum: quaſi ſchiſmaticis diverſæ pœnæ pro vario ſchiſmatis gradu inflictæ ſunt. V. Bingham. *lib.* 16. *c.* 1. Jure Canonico novo hæreticos, & ſchiſmaticos excommunicationis, & depoſitionis pœna manet, *cap.* 9. *de hæret.*, *cap. un. de ſchism. in* 6., & *c.* 14. *in fin. de off. ord.* Ita tria hæc Eccleſiaſtica crimina punit Eccleſia. Chriſtiani quoque Principes ſuas pœnas addidere, *l.* 1., & 7. *C. Th. de Judæ.*, *l.* 3. *C. Th. de Apoſt.*, & *tot. tit. C. Th. ac Juſt. de hæret.* V. Jac. Goth. *Parat. C. Th. de hæret.*, ubi eas pœnas diligenter collegit. Sed ne putes, Chriſtianos Principes iis Conſtitutionibus jura Sacerdotum uſurpaſſe. Quin ii ſic Deo ſerviunt, tamquam Principes, ex ſententia D. Aug. ajentis *l.* 3. *contr. Creſcon. c.* 51. *In hoc Reges, ſicut eis Divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem,*

ve-

verum etiam quæ ad Divinam Religionem; & vero etiam tuentur Rempublicam, cujus univerſa ratio ita eſt cum Religione conjuncta, ut incolumis eſſe niſi incolumi Religione non poſſit: id quod Hæreſum, & Schiſmatum hiſtoria luculentiſſime probat. Appoſite inquit S. Leo *can. 21. cauſ. 23. q. 5.*, *res humanas aliter tutas eſſe non poſſe, niſi quæ ad Divinam Confeſſionem pertinent & Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas*. Hinc etſi de Apoſtaſia, Hæreſi, & Schiſmate, quod hæreſim, ut plerumque fit, habeat conjunctam, ſoli judicent Eccleſiæ Patres; nam de iis delictis ex ſacris Scripturis, & Eccleſiaſticis regulis judicatur; in eos tamen, quos a Fide aberrare Epiſcoporum judicio conſtat, ſive laici ſint, ſive Clerici, recte Principes animadvertunt pro Fidei, ac Reipublicæ tutela: ac vel ipſi Eccleſiæ Patres id urgere apud Principes non dubitarunt, ut Hæreticos, & Schiſmaticos metu pœnarum ad Catholicam Fidem, & univerſalis Eccleſiæ unitatem revocarent. *Mea primitus ſententia erat*, verba ſunt Auguſtini *ep. 93. ad Vincent.*, *neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus: ſed hæc mea opinio non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis*. Huc pertinent Pelagii Papæ Epiſtolæ ad Narſetem Patricium, quæ proſtant apud Gratianum *can. 42., 43., 44., 45., cauſ. 23. q. 5.* Narſeti, qui plus nimio religioſus aliquid audere contra Epiſcopos Schiſmaticos reformidabat, literis ſuis ſcrupulum ex animo evellit Pelagius, aitque, *mille extare exempla, & Conſtitutiones, quibus evidenter agnoſcitur, ut facientes ſciſſuras in S. Eccleſia non ſolum exiliis, ſed etiam proſcriptione rerum debeant coerceri*. Et ſane multa extant exempla in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Conſtitutiones multæ extant in Codice quum Theodoſiano, tum Juſtinianæo. Accedit, quod ut plurimum Apoſtaſia, Hæreſis, Schiſma & vi ſua Remp. turbent, & adjuncta ſibi habeant multa alia ſcelera, quorum vindicandorum jus eſt penes Principes, eorumque Magiſtratus: qua de re abunde *lib. 1. jur. Neap.*

TITULUS III.

DE SIMONIA.

SImoniæ nomen a Simone Mago, qui primus in Lege Evangelica hujus ſceleris auctor fuit, *Act. Apoſt.* 8. Simonia eſt res ſpirituales, vel quaſi, commercio hominum exemtas, venales fa-

facere. Tribus modis Simoniam committi, docent Hieronymus in *can.* 6. *cauſ.* 8. *q.* 1., & Gregorius M. *can.* 114. *tad. cauſ. & q.*, *manu*, *obſequio*, *lingua*. Committitur manu, ſi res ſacra ematur pecunia: quo nomine comprehendi *quidquid homines poſſident in terra*, ait Aug. *can.* 6. *cauſ.* 1. *q.* 3. De hoc Simoniæ genere ſunt *cap.* 11., & 20. *h. t.*, & *cap.* 6. *de pact.* Committitur obſequio, hoc eſt, ut ibid. loquitur Gregor., *ſubjectione*, al. *ſervitute indebite impenſa*; namque hujuſmodi obſequium pretio æſtimatur. Clerici quidam aulici Petro Damiano coævi licet indebitis obſequiis ad Beneficia ſubreperent, ſe tamen, quod pecuniam non darent, Simoniacos non eſſe jactabant. In eos acute Petrus Dam. *ep. ad collat. Epiſc. Card.*, *Dic mihi, o Clerice, quiſquis es, ſi redemto quolibet aureo vaſe vel prædio, diſtractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii, hujuſmodi ſibi ſedulitatis impendium exhiberes, nunquid non poſtmodum conſtanter aſſereres, te, quod acceptum eſt, juſto pretio comparaſſe?* Bene igitur, ac ſapienter S. Carolus Boromæus in Conc. Mediol. 2. *conſt. adverſus Simoniacos n.* 13., monet, obteſtaturque Epiſcopos, ut certam familiaribus mercedem conſtituant, ne hi Eccleſiaſtica Beneficia tanquam ſuæ pretium operæ ſibi proponant. Demum lingua committitur, ſi quid ſpiritualis, aut quaſi eis detur, *pro quibus majorum quiſpiam rogaverit*, uti S. Hieronymus inquit in *Iſai. c.* 57. Quod adeo verum eſt, ut licet illud dignis viris detur, ſi gratia potius, vel metu rogantis, quam pro eorum merito detur, ſimoniace datum intelligatur, S. Thom. 2. 2. *q.* 100. Spirituales aut quaſi ſpirituales res ſunt poteſtates ſpirituales, puta, poteſtas imponendi manus, quam emere a Petro Apoſtolo volebat Simon, Sacramenta, Eccleſiaſtica Beneficia, Officia, Dignitates, atque alia id genus. Quantum ad Sacramenta, Gelaſius P. *ep.* 8., S. Ambroſ. in Luc. *l.* 4. *c.* 4., Patres Concilii Tolet. XI. *can.* 8., aliique paſſim ex iis Chriſti verbis, *Quod gratis accepiſtis, gratis date*, debere ea ſine ulla venalitatis ſuſpicione conferri, ac ſuſcipi, jubent. Vetus Hiſpaniæ conſuetudo erat, ut qui baptizabantur, numos in concham conjicerent. Spontanea & gratuita erat ea numorum conjectio: tamen eam Illiberitani Concilii Patres damnarunt *can.* 40., *ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videretur*: quo loco verbum *videri* momentoſum eſt. Non malum, ſed mali ſpecies Canoni cauſſam dedit: idque diſerte expreſſit in Baſileenſi Concilio Julianus Cardinalis Cæſarinus. Sed non eadem omnium Eccleſiarum diſciplina fuit. Eam conſuetudinem ſuo tempore apud Græcos ſtetiſſe, teſtatur Gregorius Nazianz. *Orat.* 40., ubi eam non reprehendit. Id ſolum inquit, ea pauperes non comprehendi. Idem ſuo tempore ſervatum ſcribit S. Paulinus

linus *ep.* 12. Sed & ipſa Hiſpania Eliberitanum Canonem non diu ſervavit; nam Synodus Bracarenſis II. an. 563. habita *can.*7. ſponte oblata ſuſcipi permitit: quod univerſim in Eccleſia permiſſum non in Baptiſmo ſolum, ſed & in aliis Sacramentis, uti ex inferius dicendis patebit: quæ ſumma ratio eſt, cur in *can.* 8, Concil. Tolet. XI. legendum potius ſit, *niſi voluntarie oblata*, quæ vetus lectio eſt, quam, uti malunt alii, *etiam voluntarie oblata* (*a*). Pro balſamo etiam, quod ad confirmandos Chriſtianos adhibetur, *tremiſſes a ſingulis exigi*, alicubi moris fuit, alibi plus, minusve. Sed eum morem Bracarenſ.II. damnavit *can.* 4., Barcinonenſ. *can.* 2., & Innoc. III. *ad Cantuar. Archiep. c.* 36. Voluntarias oblationes admiſit Emeritens. *can.* 9. Laudatos Canones de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, quæ tria Sacramenta olim infantibus ſimul dabantur, accipiendos eſſe, compertiſſimum eſt. De Euchariſtia, quæ dabatur adultis, hæc Trullanus *can.* 23., *Ut nullus, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſive Diaconus, immaculatam tribuens communionem, ab eo, qui communicat, ejus participationis gratia, obulos, vel quamlibet aliam ſpeciem exigat*. Spontaneas oblationes hoc *can*. non comprehendi, antiquiſſimus oblationum uſus, quæ fieri ad Altare dicebantur, plane demonſtrat. De his *lib.* 2. Monet hic locus, ut de hodierno Miſſarum honorario delibem nonnulla. Ex oblationibus, quæ ad altare fiebant, ejus origo petenda eſt. Ecce tibi Honorii Auguſtodunenſis verba in *Gemma animæ lib.* 1. *c.* 66., *Fertur, quod olim Sacerdotes a ſingulis domibus, vel familiis farinam accipiebant, quod adhuc Græci faciunt, & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & conſecratum eis diſtribuebant; nam ſinguli farinam offerentium Miſſæ interfuerunt, & pro his in Canone dicebatur: Et omnium circumſtantium, qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis. Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur propter carnales, ſtatutum eſt, ut qui poſſent, ſingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent, & quia populo non communicante non erat neceſſe tam magnum panem fieri, ſtatutum eſt, eum in modum denarii formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret*. Ita quum denarius iſte locum ſubierit eorum, quæ fideles

(a) *Apud Græcos obtinuiſſe, ut* initiatores, *ſeu miniſtros baptiſmi ditiores lauto convivio exciperent, teſtis eſt Nazianz. Orat.* 40. *Nihil ſimoniaci in ea re deprehendit Nazianz.; ſed impendium tamen illud vanitatis accuſat.*

deles inde uſque ab Apoſtolicis temporibus offerre ad Altare honeſte, ac laudabiliter conſueverunt, uti latiſſime *lib.* 2.; nihil eſt, cur ei Wicleffiſtæ, Lutherani, & Calviniſtæ tam acerbe iraſcantur. V.Lup. *Diſſ.de Simon.c.*11.*t.*4. In quem vero uſum ii denarii expenderentur, quæ continuo ſequuntur, Honorii verba commonſtrant, *Qui tamen in uſum pauperum cederent, vel in aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertineret*. Verum mox Presbyteri id animo reputantes, de panis, & vini oblationibus aliquid olim ipſos Sacerdotes delibaſſe, vindicare ſibi denarios cæperunt: non deerant tamen, qui veteris diſciplinæ caſtitatem præferrent: quorum numero fuit S. Petrus Damianus, qui oblatos ſemel atque iterum ſibi Miſſam celebranti denarios conſtantiſſime rejecit: quos tamen ſocius ejus Frater Paulus clam accepit: quumque hinc ei Godefridi Lotharingiæ Ducis Capellani accepti denarii calumniam impegiſſent, is operoſiſſima Apologia notam deterſit. V. *ep.* 13. *lib.* 5. Eam calumniam argumento eſſe, inquit Lupus, oblatæ pecuniæ admiſſionem & in Clerico, & in Monacho male tum oluiſſe. Proceſſu temporis res in deterius data; ſec. enim XII. quum increbruiſſet opinio, poſſe denarios in proprium Sacrificantis uſum converti, non inter Miſſæ ſolennia, ut olim, ſed & ante Miſſam dari denarios cæptum, ut Presbyter ſacris operaturus *ſpecialem* in Sacrificio recoleret memoriam offerentis: atque hoc eſt hodiernum Miſſæ honorarium, quod ſi piæ oblationis, & eleemosynæ loco ſit, ſimoniam, turpemve quæſtum non ſapit. Hoc nomine illud Canones probarunt. Concil. Eboracenſe *an.* 1194. *can.* 3., *Prohibemus*, inquit, *ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Miſſas faciat celebrari, & ne Sacerdos aliquis pro celebratione Miſſarum pretio conſtituto pactum ineat, ſed hoc dumtaxat, quod offertur in Miſſa, recipiat*. Concilium Trident. in *Decret. de Obſerv. in Sacrific. Miſ.* his verbis Epiſcopos compellat, *Cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant*. Luculentiſſima hæc Patrum Eccleſiæ teſtimonia Caſuiſtarum quorundam ſeu imperitiam, ſeu avaritiam non devicere: vicere tamen Decretis ſuis optimi Pontifices Clemens VIII., Urbanus VIII., Alexander VII., aliique. Venio ad Pœnitentiæ Sacramentum, in quod multis modis illabi Simoniam, turpemve quæſtum poſſe, Canones docent. Id maxime cavere Sacerdos debet, ne pœnitentiis injungendis quærere ſibi lucrum videatur. Synodus Cantuarienſis

ſis

Digitized by Google

ſis *an.* 1191. *can.* 3., *Prohibemus, ne Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti obtentu cupiditatis injungat, ut Miſſas celebrari faciat*. Synod. Londinenſis *an.* 1200. *can.* 4., *Adjicimus, ut Miſſæ non injungantur in pœnitentiam his, qui non fuerint Sacerdotes*. Odo Pariſienſis Epiſcopus *Capitular. ad Parochos*, *Nullus Miſſas, quas injunxerit, celebret*. Hæc ad amovendam avaritiæ, turpisve quæſtus ſuſpicionem cauta ſunt. Fere eadem ſtatuit S. Carolus Boromæus *part.* 2. *Inſtruct. Confeſſ. cap.* 8. At apertam ſimoniam continent, quæ ſequentes Canones damnant. Leo IV. *Capitular. ad Parochos*, *Nullus veſtrum pro infirmis reconciliandis præmium, aut munus exigat. Nullus minus digne pœnitentem cujuſcumque rei gratia ad reconciliationem adducat, & ei reconciliationis teſtimonium faciat*, vel, quod addit Alex. III. in *cap.* 14. *h. t.*, *quocumque livore digne pœnitentem a reconciliatione removeat, quia Simoniacum eſt utrumque*. Hæc ut recte intelligantur, id præmoneo, ſolum Epiſcopum & publicas pœnitentias impoſuiſſe, & publicos pœnitentes reconciliaſſe: has duplici tantum caſu Presbyteri partes fuiſſe, quum aut juberet Epiſcopus, aut abeſſet, ac neceſſitas urgeret, Concil. Elib. *can.* 32., Carth. III. *can.* 32., Agath. *c.* 44. Multus eſt in hac re Morin. *de Pœnit. lib.* 9. *c.* 22. Parochi autem & Parochianis ſuis peractæ pœnitentiæ teſtimonium apud Epiſcopum dicebant, & eos ad Epiſcopum reconciliandos adducebant, & eis demum literas dabant teſtes reconciliationis, Lup. *cit. Diſſ. c.* 8., & Thomaſin. *vet. & nov. Diſc. p.* 3. *lib.* 1. *c.* 71. *n.* 4. Jam hæc precio facere, aut non facere, ſimoniacum erat. Alteram in hoc Sacramento ſimoniæ occaſionem dedit publicarum Pœnitentiarum redemtio, de qua perbelle Morin. *lib.* 10. *c.* 17. Pœnitentias redimere erat jejunia, peregrinationes, aliaſque corporales pœnas canonice impoſitas ex parte cum eleemosynis commutare. *Hanc pecuniæ redemtionem in antiquis Patrum Canonibus non reperiri*, ſcribit Petrus Damianus *lib.* 8. *ep.* 5. Ea vix antiquior ſeculo IX. Sanctus Cuthbertus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui VIII. ſeculo vixit, eam in ſua Choveshovienſi Synodo minus probavit; at probarunt tamen Iſaacus Lingonenſis Epiſcopus *Capitular. tit.* 1. *cap.* 1., Petrus Damianus *ibid.*, et, quod præcipuum videri debet, Leo P. IV. in *Capitul. ad Parochos*. Certe pecuniam in alendos pauperes, levandamque Eccleſiarum inopiam erogare, quas ſpecies pertractant Iſaacus, Petrus Damianus, ac Leo, honeſtum ac pium: contra eam in uſum Sacerdotis pœnitentiam commutantis, aut in ditandam haud inopem Eccleſiam dare, ſimoniacum, vel turpe eſt. Cadit huc commode Gelaſii P. II. reſcriptum ad Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum, cujus Eccleſiam deſtruxerant Saraceni, *Qui Eccleſiæ, unde reficiatur, &*

Digitized by Google

Clericis, unde paſcantur, aliquid donant, vel donaverint, ſecundum laborum ſuorum, & beneficiorum Eccleſiæ impenſorum quantitatem, ſecundum Epiſcoporum arbitrium, in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & indulgentiam conſequantur. Baron. *ad an.* 1118. *n.* 18. Tranſitum facio ad ſacras Ordinationes. Vetus ac diu quum in Oriente, tum in Occidente ſtetit abuſus certæ pecuniæ pro ſacris Ordinationibus exigendæ: qua de re egregie præter cæteros Lupus *c.*9.; ſemper tamen Eccleſia ſimoniacos habuit, qui pro ſacris Ordinationibus pecuniam obtulerunt, acceperuntve, *can.* 21. al. 28. ex iis, qui Apoſtolici dicuntur, *can.* 2. Conc. Chal., *can.* 5. Nicæni 2., & *can.* 3. Aurel. 2. Quod de ipſis Ordinationibus, idem a Gregorio M. cautum *cap.* 1. *h. t.* de *Palli datione*, ac de *chartis*, ſeu literis ordinationis, quas Ordinatos accipere ſolitos manu Epiſcoporum ſubſcriptas cum die, & Conſule, quo de temporis prærogativa conſtaret, eſt in Concilio Africano *cap.* 89. Quin eo proceſſit Gregorii Zelus, ut vel ipſum *paſtellum* juſſerit abeſſe. Paſtellum eo tempore dicebatur epulum, quo novus Epiſcopus, quotquot adfuerant ordinationi, excipiebat. De *Paſtello*, ſeu *Paſtillo*, ſeu *Paſtu* v. Paſchalem P. *can.* 7., & Innoc. II. *can.* 15. *cauſ.* 1. *q.* 3. V. quoque Hallier. *de Sacr. Elect. ſect.* 7. *art.* 6., & Voſſ. *de Vit. ſerm. lib.* 3. *c.* 33. Sed inolevit aliquando abuſus, ut pro Epiſcoporum confirmatione certa auri copia Regibus, ac Imperatoribus penſitaretur. Arvernos Clericos *cum multis muneribus ad Regem* Theodoricum *veniſſe*, teſtis eſt Gregorius Turonenſis *de vitis Patrum cap.* 6.: tum B. Gallum eis datum Epiſcopum, Regioque juſſu ſolenne natalis, ſeu conſecrationis ejus epulum publico ære inſtructum: additque Gregorius, *Jam tum germen illud iniquum cœperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur a Regibus, aut compararetur a Clericis*. Vel ipſum Papam non antea ordinari conſueviſſe, quam certam Imperatori pecuniam perſolveret, habes ex *can.* 21. *diſt.* 63., eamque vel ipſum S. Gregorium penſitaſſe, teſtatur Johannes Diaconus in ejus *vita lib.* 1., & ipſemet Gregor. in *Pſalm.* 4. *Pœnit.* Atque hic abuſus diu apud Latinos, apud Græcos diutius viguit, apud quos vel ipſi Imperatores Patriarchas eligebant, vel ex tribus electis præferebant unum, certo honorario ſeu tributo eo nomine accepto; uti præter alios refert Cantacuz. *l.* 41. *Hiſt. c.* 37.; donec ſec. VII. ad Agathonis preces Romana Eccleſia per Conſtantinum Pogonatum eo onere levata eſt, reſervato tantum Imperatori jure Rom. Pontificem confirmandi, *cit. can.* 21. Fuerunt hæ penſitationes ſub Gothis Regibus, & Conſtantinopolitanis poſt Gothos Imperatoribus in Rom. Eccleſia ſolennes: alibi rariuſculæ. Num igitur ſimoniæ reos tot Sanctiſſimos Epiſcopos dicemus? Dictu nefas. Illi

ini-

Digitized by Google

iniquo animo eam pecuniam pendebant, injuſtam, uti dicitur, vexationem redimentes: quod de ſe ipſe Gregorius M. teſtatur *ibid.*: eoque nomine aliquid temporale dare, ſimoniacum non eſt. Utar in hanc ſententiam hoc argumento a ſimili ducto. S. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, ſapientia æque ac ſanctitate morum clariſſimus *can.* 2. de iis, qui temporibus perſequutionum data pecunia libellos immunitatis ſibi impetrabant, hæc habet, *His, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt*: idque multis rationibus, multiſque exemplis confirmat. Quid ergo eſt, cur non idem jus ſit in re noſtra? At enim Lucius P. III. ad Archiepiſcorum Turonenſem, qui a majore Canonicorum parte electus, pecunia moleſtiam redemerat, quam ei minor numero pars per injuriam inferebat, in hæc verba reſcripſit *cap.* 22. *h. t. Multum tibi conſulis, ſi adminiſtrationem prædictam celeriter, ac ſponte dimittis illius verbi Evangelici memor exiſtens, Nihil prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*. Sed ſane intereſt, num qui pecuniam dat, perfectum in re jus habeat, an non: & rurſus intereſt, num pecuniam ei det, a quo ſpirituale jus conſequitur, an alii. Si quis perfectum in re jus habeat, atque alii ab eo, unde ſpirituale jus conſequitur, pecuniam det, hæc pecuniæ datio ſimoniæ vitio caret: ſi ſecus, ſimoniaca omnino eſt. V. Gonzalez in *cap.* 22. *h. t.* Quoniam igitur hîc latere ſimonia poteſt, & periculoſum eſt, nos rei noſtræ judices eſſe, ſcite S. Carolus in *Concil. Mediol. I. conſt. contr. ſimon. nu.* 11. nemini licere inquit ad redimendam vexationem *pecuniam dare, quidquamve paciſci, aut tranſigere, niſi Epiſcopi conſenſus acceſſerit*. Denique de Matrimonio hæc habet Gregorius M. *l.* 3. *ep.* 24. *De nuptiis Clericorum, nullus, ut nunc fieri dicitur, quidquam præmii accipere præſumat*. De ſolis minorum Clericorum nuptiis loquitur, quod fortaſſe pro iis ſolis mos erat in Sardinia, ad cujus Metropolitani data epiſtola eſt, præmium exigi. Cæterum generaliter Lateranenſis Synodus ſub Alexandro III. cavit ad hunc modnm, *Ne pro nubentibus benedicendis aliquid exigatur, diſtrictius inhibemus*, *cap.* 9. *h. t.*

Ad Simoniam in Beneficiis committi ſolitam traducatur oratio. De ſimoniacis Ordinationibus, collationibuſque Beneficiorum innumeri extant Canones. Sed ne quis illud miretur, quod prioribus Eccleſiæ ſeculis frequentiſſima fuerit de Simoniacis Ordinationibus Patrum querela: de Simoniacis Beneficiorum collationibus nulla: contra poſterioribus de his frequens, de illis rara. Id eo factum, quod olim ſacra ordinatio Clericum Eccleſiæ addiceret, eumque participem faceret proventuum Eccle-

ſiaſticorum: at vero Beneficiis procedente tempore inſtitutis cœperint Eccleſiaſtici proventus ſejungi ab ordinatione, uti pluribus *lib. 2. tit. de Beneficiis Eccleſiaſticis*. Quoniam autem præcipuus Simoniæ fons avaritia, hinc principio ſacræ Ordinationes, deinde Beneficia venalia facta ſunt. Vetus, ac latiſſime patens conſuetudo fuit, ut qui in Clerum adſciſcerentur, ſua omnia Eccleſiæ inferrent, vitamque Eccleſiaſticis ſtipendiis ſuſtinerent. Ejus conſuetudinis meminere S. Joh. Chryſoſtomus *lib. 2. de Sacerd. c. 7.*, & S. Syneſius *ep. 5.* Ita ab Ambroſio factum, ſcribit in *ejus vita* Paulinus, & Baſil. *epiſt. 55.* Nec deerant, qui partem retinerent apud ſe, nihil tamen de fructibus Eccleſiæ delibantes, quos ſibi *non imperfectos* videri, Ambroſius inquit *Offic. lib. 25. c. 30.* De utroque Clericorum genere Juſtinianus *Nov. 123. c. 3.* Veterum Clericorum is fuit animus, *ut nudi, atque expediti Chriſti milites Dominum ſuum ſequerentur*, uti Paulinus *ibid.* Si vero non gratuitus ſit animus, vix eſt, ut abſit ſimonia: Ecce tibi Innocentii III. verba in *cap. 34. h. t.*, *Si Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujuſmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ: ſi vero pure, ac ſine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro præbenda, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ pure conſentiant; hujuſmodi receptio fieri poterit abſque ſcrupulo ſimoniacæ pravitatis*. Subdit Innocentius, ita ſe reſpondere, quia ei datum eſt *de manifeſtis tantummodo judicare*: verum ſi & is, qui obtulit, & ii, qui accepere, temporalia cum ſpiritualibus commutandi animum habuerunt, licet is animus ſeſe nullo externo argumento prodiderit, ſimoniæ reos eſſe apud Deum.

Pro ſepultura quoque nulla cujuſquam pretii exactio attentetur, ait Alexander III. in *cap. 8. h. t.* Olim fideles, vel ipſi Presbyteri, & Epiſcopi extra Eccleſiam ſepeliebantur, S. Gregor. *Dial. l. 3. c. 22.*, *l. 1. c. 44.*, *l. 2. c. 5.*, *l. 2. c. 42.* Hinc Synodus Antiſiodorenſis *can. 14.*, *Non licet in Baptiſterio corpora ſepelire*. Solis Regibus id privilegium indultum, S. Gregor. *l. 4. c. 1.*, *l. 5. cap. 34.*: mox ad Epiſcopos, tum ad Clericos productum, ut multis Thomaſin. *p. 3. l. 1. c. 65.* Quoniam autem *mortuis prodeſt, ſi in Eccleſia ſepeliantur*, uti idem Gregorius tradit *l. 4. c. 50. 52. 53.*; cœpere fideles pecunia oblata ſepulturam ſibi intra Eccleſiam demereri: ſed, ut eſt ingenium hominum, paulatim gratuita illa oblatio in certum, neceſſariumque pretium abiit: quam *illicitam antiquam conſuetudinem* reprehendit Gregorius M. *l. 7. ep. 4.*, & Juſtinianus *Nov. 19.*

Porro

Digitized by Google

Porro *ab iis, qui ad Religionem tranſire volunt, pecuniam requiri*, vetat ibid. Alex. III. Monaſticorum Canonum Auctores Benedictus *c.* 58., & 59., Tetradius *c.* 1. 4., & 9., Cæſarius *c.* 9., Fructuoſus *c.* 18. ſecundum Chriſti ſententiam, *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes &c.* eos, qui profiteri Religionem volunt, bona ſua pauperibus, proximis, aut Monaſterio, ut libitum, dare jubent. Ea optio ſuſpicionem omnem ſimoniæ, turpisve quæſtus amovebat. Hoc argumentum latiſſime pertractarunt Thomaſinus *cap.* 50. 51. 52. 53. 54., & Van Eſpen *Diſſert. de Peculiaritate in Relig. &c. p.* 2. Deſcribam hic nonnullos de hac re Canones. In *Extrav. ſane ne in vinea, inter comm. h. t.* ita Urbanus V., *Inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus* Abbates, Abbatiſſæ, Priores, Prioriſſæ &c. *in earundem perſonarum receptione, aut ante, vel poſt illam quoſcumque paſtus, prandia, ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad uſum Eccleſiaſticum . . . directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquo modo præſumant*. In *cap.* 40. *h. t.* ſic Lateranenſe Concil. ſub Innoc. III., *Simoniaca labes adeo pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, prætextu paupertatis volentes hujuſmodi vitium palliare*. Igitur ſi non falſa obtendatur paupertas, aliquid eo nomine accipere ſimonia non eſt, uti bene contra nonnullos Gonzalez in *cap.* 18. *h. t. n.* 6. Sed qualis eſſe debeat accipientium animus, docet S. Bonaventura *Libel. apolog. q.* 18. Eos ſimoniacos eſſe ait, etiamſi vera inopia laborent, ſi perſonam recipiant *amore pecuniæ*, hoc eſt, ſi, *ut habeant pecuniam, recipiant*. Quoniam vero in æſtimanda paupertate facile ſibi fucum facere poſſunt Monaſteriorum Præfecti, prudentiſſime Tridentini Patres caverunt in hæc verba *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 3., *In Monaſteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſint ſuſtentari*: quibus verbis antiquam Eccleſiæ diſciplinam recentarunt in *cap.* 1. *de Inſt.*, *can.* 19. Concilii Mogunt., *can.* 31. Turonenſis III., & *can.* 27. Remenſis II.

Eodem jure cenſetur prædicatio verbi Dei, cujus nulla eſſe æſtimatio poteſt: fuiſſe tamen olim certa ſalaria Concionatoribus conſtituta, haud obſcure conjicere licet ex eo, quod de Antiocho Ptolemaidis in Phœnicia Epiſcopo narrat Socrates *lib.* 6. *c.* 10. Vt autem hinc abſit ſimonia, ſervanda eſt regula S. Gregorii in *Job. lib.* 19. *c.* 10., *Non ideo prædicent, ut alantur: ſed ideo alantur ut prædicent, id eſt, ut prædicare ſubſiſtant: non ut in intentionem ſumendi victus tranſeat actio prædicationis: ſed*

ad

ad utilitatem prædicationis deſerviant miniſteria ſuſtentationis. Denique referri huc debet Eccleſiaſtica juriſdictio, de qua in *c.* 38. *h. t.*, *cap.* 3. *ne Prælati vices ſuas &c.*, & in Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 11., & apud Thomaſin. *cap.* 75.: quin Officia omnia Eccleſiaſtica, etiamſi circa temporales tantum res Eccleſiæ verſentur: unde Chalcedonenſis Canon 2., & *d. cap.* 38. *h. t.* Paramonarium, aut Vicedominum pecunia conſtitui ſimoniacum affirmant.

Sunt autem ſerio diſtinguenda ex conventione data a ſponte oblatis. Sponte oblatum accipere ſimoniacum neque eſt, neque unquam fuit. De Baptiſmo jam dictum. De Chriſmate id tradit Hincmarus Metropolita Remenſis in *Capitulis ad Archidiaconos l.* 5. *c.* 5. De Euchariſtia, & Pœnitentia delibatum aliquid. De ſacris Ordinationibus idem docet Gregorius M. in Synodo Romana, & Paulus in *Rituali*: de extrema Unctione Odo Pariſienſis Epiſcopus in ſuo *Capitulari de extrem. Unct.*: de Matrimonio Greg. M. *lib.* 3. *ep.* 24.: de Eccleſiaſticis ſepulturis Concilium Ravenn. *an.* 997. *can.* 3., & Bituricenſe *an.* 1031. *can.* 12.: de Profeſſione Religioſa Urbanus V. *extrav.* 1. *int. Comm. h. t.*: idemque de aliis ſpiritualibus, vel quaſi ſpiritualibus rebus cautum facile reperias. Quamquam vero ſponte oblata accipere ſimoniacum non ſit; tamen omnis avaritiæ, turpisve quæſtus ſuſpicio, quantum fieri poteſt, amovenda. Vetuiſſe S. Carolum Boromæum ſcribit Gloſſan. in ejus *vit. lib.* 8. *c.* 4., ne *Presbyteri quamcumque rem pro adminiſtratione Sacramentorum acciperent etiam ſub obtentu eleemoſynæ, ut omnem occaſionem, & notam avaritiæ adimeret.* Ei præluſit Concil. Trid. his verbis, *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacumque de cauſſa etiam ſponte oblatum, Epiſcopi, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant.* Diſtinguendum eſt etiam cum Aug. *de Paſtorib. cap.* 9. inter ſtipendium, & pretium. Pretium eſt merces, qua res ipſa æſtimatur: ſtipendium eſt, quod ad alendum operarium datur, ut præſtare operas *ſubſiſtat*: quæ doctrina eſt Gregorii M. *d. l.* 19. *c.* 10., ubi de Concionatoribus loquitur: ac referri ad omnes ſacrarum rerum miniſtros debet, quod de Concionatoribus addit Gregorius *ibid.*, *A bonis Prædicatoribus non cauſſa victus prædicatio impenditur, ſed cauſſa prædicationis accipitur victus.* Habes hinc, quid ſentiendum de Parochis, de Notariis, aliiſque, quibus certa ſtipendia dari, ut alantur, & porro deſerviant Eccleſiæ, laudabilis conſuetudo fert. Subjiciam verba Concilii Lateranenſis IV. ſub Innoc. III. in *cap.* 42. *h. t.*, *Pias*

con-

Digitized by Google

conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes, ut libere conſerantur Eccleſiaſtica Sacramenta: ſed per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.

Primus in ſimoniacos pœnalis Canon eſt Calcedonenſis 2. in hæc verba, *Si quis Epiſcopus ordinaverit per pecunias Epiſcopum, aut Chorepiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut aliquem eorum, qui in Clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit vel Defenſorem, vel Paramonarium* (Gratianus *can.*8. *cauſ.* 1. *q.* 1. legit *Manſionarium*. *Paramonarii* mentio eſt in *l.*42. *C. de Ep. & Cler.*) *vel omnino aliquem ex canone turpis quaſtus gratia, de proprio gradu in periculum veniat: & qui eſt ordinatus, ex ordinatione vel promotione nihil juvetur; ſed ſit a dignitate vel curatione alienus*. Canonem inter Apoſtolicos 30., qui depoſitionis, atque excommunicationis pœnas ſtatuit in ordinatorem, ordinatumque, Chalcedonenſi Concilio recentiorem eſſe, id argumento eſt, quod eum omnino ignoraſſe S. Cyrillum Alexandriæ Patriarcham, & Iſidorum Peluſiotam, liqueat ex hujus *ep.* 127. *lib.* 2.: & porro id, quod S. Gregorius acerrimus Canonum contra ſimoniacos vindex nuſquam Apoſtolici illius Canonis meminerit. Sed ut ad Chalcedonenſem Canonem revertar, de ordinatore aliter quam de ordinato videtur ſtatuiſſe. De ordinatore ait, *de proprio gradu in periculum veniat*: quo verbo non depoſitio vi ipſa juris inflicta, ſed ab homine infligenda continetur: de ordinato ait, *ſit a dignitate vel curatione alienus*: quo verbo depoſitio jure ipſo inflicta ſignificatur. Verum alii Canones, & Novella Juſtiniani 6. *c.* 1. nullum videntur inter ordinatorem, ordinatumque diſcrimen conſtituiſſe: atque utrumque ipſo jure depoſitos ſignificare. Ne longum faciam, ſatis habeo huc adferre verba Tharaſii Patriarchæ Conſtantinop. in Epiſtola, quæ in Synodo Nicæna II. recitata, & probata eſt, *Omnis Epiſcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quod pro muneribus ordinationem dederit, vel acceperit, a Sacerdotio cadit*. V. Lup. *c. ult.* Depoſitio hæc perpetua erat, perpetuamque inducebat irregularitatem: quo factum, ut interrogantibus Britonum Epiſcopis, num ſimoniace ordinati poſſent in ordine ſacerdotali pœnitentiam agere, nulla eos adjuvari poſſe pœnitentia Leo IV. reſcripſerit *can.* 5. *cauſ.* 1. *q.* 7.: quod reſcriptum ſupponit, ſimoniace ordinatos ne poſt actam quidem ſceleris ſui pœnitentiam reſtitui Sacerdotio poſſe, quod multis adſtruere conatus eſt Tharaſius Patriarcha Conſtantinopol. apud Gratianum *can.* 2. *cauſ.* 1. *q.* 7., ubi tamen Tharaſii verba ſine mendo non ſunt. Detrudebantur autem in Monaſterium *ſub perenni pœnitentia*, *can.* 7. *cauſ.* 1. *q.* 1. Detruſio in Monaſterium

vetus

Digitized by Google

vetus ſimoniacorum pœna fuit. Ejus meminit Petrus Damianus in *vita* S. Romualdi, ubi Monaſticam profeſſionem *converſationem ſanctam* appellat. De in Monaſterium detruſione dicam inferius ſuo loco. Quamquam vero hæc omnia de ſimoniacis Ordinationibus proprie dicantur, nihil vetat, quin ad ſimoniacas quoque Beneficiorum collationes referantur, nam, uti jam dictum, olim fere ſemper de ſimoniacis Ordinationibus actum eſt. Hinc Alexander 2., qui ſub medium ſec. XI. ſedit, *cit.* Chalcedonenſis Synodi Canonem contra ſimoniacas Beneficiorum proviſiones detorſit. Quamquam vero validæ, licet illicitæ, ſint ſimoniacæ Ordinationes, quæ receptior ſententia eſt contra Morinum; nullas tamen eſſe & irritas beneficiorum proviſiones, manifeſtum fit ex *cit. Extrav.* 2. *h. t. int. comm.*, ubi ſcriptum eſt, per hujuſmodi proviſiones *nullum jus cuiquam adquiri*; & ex Martino V. *ſeſſ.* 43. *Concilii Conſtant.*, ubi eas *ipſo jure nullas* declarat. Quod intelligendum, ſive realis, ſive conventionalis fuerit ſimonia; unde Urbanus II. apud Gratian. *can.* 5. *cauſ.* 1. *q.* 3. irritum pronuntiat quicquid vel *data*, vel *promiſſa pecunia* adquiſitum eſt; ac ſive pecunia ab ipſo electo, ſive ab ejus amicis, aut parentibus eo etiam ignorante data ſit, vel promiſſa, Urbanus II. *can.* 3. *cauſ.* 1. *q.* 5., Clemens III. in *cap.* 26., & Cæleſtinus III. in *cap.* 27. *h. t.* Pergit Canon Chalced., *Si quis autem ſequeſter, & interceſſor adeo turpibus, & nefariis lucris apparuerit, hic quoque ſi ſit quidem Clericus, proprio gradu excidat, ſi ſit autem laicus, vel Monachus, anathematizetur*. Perpetuum in jure Eccleſiaſtico id eſt, ut quibus ex cauſſis deponuntur Clerici, ex iis laici excommunicentur: ut ex laudato *can.* id etiam conficias, tempore Chalcedonenſis Concilii Monachos non dum inter laicos eſſe deſiiſſe. Chalcedonenſem Canonem confirmarunt Synodus Aurelian. II. *can.* 4., & Synodus VI. vulgo Trullana *can.* 22. Proceſſu temporis Eccleſiæ ſeveritas ſe ſe remiſit: atque in locum depoſitionis ſucceſſit ſuſpenſio, *cap.* 45. *h. t.*, & *d. Extrav.* 2. *eod. int. comm.*: in cujus novæ diſciplinæ cauſſam ſubtiliter, & vere Lupus inquirit *d. c.* 18. Alias Simoniacorum pœnas videſis in *Extrav.* 1. & 2. *eod. tit.*, aliiſque novellis Pontificum Conſtitutionibus.

TITULUS IV.

DE USURA.

EX Concilio Agathenſi ſcriptum eſt in *can.* 4. *cauſ.* 14. *q.* 3., *Uſura eſt, ubi amplius requiritur*, ſubaudi, ex cauſſa mu-

tui,

Digitized by Google

tui, *quam datur*. Uſuram damnavit Chriſtus *Luc.* 6. eo verbo, *Mutuum date nihil inde ſperantes*. Quoniam autem Auguſtinus in *can.* 1., & Hieronymus in *can.* 2. *ead. cauſ.* & *q.* non in pecunia ſolum eſſe uſuram docent, ſed in quavis alia re, qualis qualis ea ſit, haud abſurde dices, uſuram exemplo ſimoniæ manu, obſequio, & lingua committi, ſi hæc mercedis loco ſint. Interdum ſub alterius contractus ſpecie mutuum latet. Sæpe latet ſub ſpecie venditionis: ut ecce ſi quis, quod credita pecunia vendat, carius vendat, quam res eſt. Venditorem hoc caſu *peccatum incurrere*, inquit Alexander III. in *cap.* 6. *h. t.*: peccatum autem uſuram eſſe & titulus, cui illud caput ſubjicitur, & maxime hæc ratio demonſtrat, quod in propoſita ſpecie videtur pretium venditori, qui fidem de eo habuit, numeratum, tum emtori veluti mutuo datum ea lege, ut aliquid ultra ſortem ſolvatur. Quod vero Alexander ait, *ex forma hujuſmodi contractum non poſſe cenſeri nomine uſurarum*, ſic interpretantur Canoniſtæ, figura quidem verborum uſuram non eſſe, re ipſa, quæ in contractibus attenditur, *l.* 1., & *tot. tit. C. plus valere quod agitur* &c., omnino eſſe uſuram; *forma* igitur in eo *cap.* verborum figura eſt. Exceptionem dat Alexander his verbis, *niſi dubium ſit, merces plus, minuſve ſolutionis tempore valituras*: quæ verba accipienda ſunt non de legitimo, ſed de naturali pretio, quod pro variis rerum, temporumque adjunctis varium eſſe ſolet. Jam incertum illud futuri pretii eſt aliquid pretio æſtimandum. Recte autem boni interpretes monent, conjungendum cum his Alexandri verbis, quod in ſimili ſpecie Gregorius IX. habet in *cap. ult. h. t.*, *ſi tamen tempore contractus non fuerat venditurus*. Utrumque concurrat neceſſe eſt. Latet etiam uſura ſub ſpecie venditionis in caſu, quem habes apud Innoc. III. *cap.* 5. *de emt. & vend.* Cajus Sejus L. Titio pecuniam ſub uſuris crediturus, ne palam exercere fœnus videretur, ab eo emit, accepitque domum, certumque olivarum modum certo pretio, ſed modico tamen, conſtituto, & hac lege, ut L. Titio poſt annos 7., ſed intra annos 9. pretium offerenti integrum eſſet domum, & olivas redimere. Quoniam autem L. Titio non licebat pretium offerre intra annos 7., Cajus Sejus ejus temporis fructus lucrabatur, & nomine quidem uſurarum. Proxima eſt ea ſpecies, quum aliquid pignori datur creditori hac lege, ut hic, quouſque non reddatur pecunia, fructus percipiat integra ſorte: quod pactum *antichreticum* dicunt. Et vero fructus computandi ſunt in ſortem, *cap.* 6. *de pign.*, *cap.* 1., & 8. *h. t.*: quæ ſententia Civili quoque jure probatur, *l.* 1. *C. de pign. act.*: ejuſque ratio eſt hæc, quod perceptos fructus is facere jure poſſit, qui aut dominus eſt, aut loco domi-

Google

ni, *l.* 9. *C. eod.*, *l.* 48. *de adq. rer. dom.* Quid de Antichreſi caverit Juſtinianus, habes in *Nov.* 34., quam Cujacius exponit *Comm.* in *Nov.* 32. Nec longe hinc abeſt contractus vulgo *mohatra* dictus, quem uti fœneratitium Alexander VII. damnavit. Qui a mercatore aliquid emit pecunia credita, ſed pretio ſummo, tum continuo eidem illud ipſum vendit pecunia numerata, ſed pretio infimo; is certe videtur mutuum accipere, & aliquid eo nomine pendere ultra ſortem. Denique latet quandoque uſura ſub ſpecie ſocietatis, locationis, depoſiti, commodati, cambii: qui caſus pro ſtant apud Canoniſtas.

Vulgo tres faciunt uſuræ ſpecies, compenſatoriam, lucratoriam, & punitoriam. Punitoriam dicunt, quæ tardæ ſolutionis eſt pœna. Ad hanc ſpectant Pauli verba in *l.* 17 *§.* 3. *de uſur.*, *Uſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium infliguntur*; eamque idem Paulus *l. ult. de eo, quod cert. loc. pœnam* appellat. Lucratoriam dicunt, quæ non propter moram, ſed propter lucrum infligitur, uti colligere eſt ex *d. §.* 3. Denique dicunt compenſatoriam, qua æſtimatur id, quod intereſt. Rejicit hanc diviſionem Strauchius *Diſſert.* 10. *theſi* 13.; ſed compenſatoriam diſerte probat Pomponius *l.* 60. *ff. pro ſocio*: lucratoria autem adeo propria uſuræ ſpecies eſt, ut pecuniam lucri ſtudio dare id proprie ſit dare fœnori; unde Donatus in Terent. *Adelph. act.* 2. *ſc.* 2. inquit, *fœneratum eſt cum lucro redditum*. Punitoriam uſuram recte quidem potes ad alterutram ſpeciem referre, nam ſi debitoris moram punias lucri ſtudio, lucratoria eſt: ſi pro damni æſtimatione, compenſatoria. Lucratoriam & Divinum jus, & Canones improbant. Punitoria, ſi ex conventione partium appoſita contractui ſit, non animo ſortis celerius recipiendæ, ſed ſtudio lucri, ea fœnoris turpitudinem habet; juſtam vero eſſe, ſi ea pœna id voluit creditor, ut ſibi citius fieret ſatis, Canoniſtarum, ac Theologorum quorundam opinio fert: in quam laudant *cap.* 9. *de pœnis*; verum, niſi creditoris interfuit, pecuniam dicto die ſolutam non fuiſſe, appoſitam pœnam contra Canones exigi, ſaniorum ſententia eſt. V. Gonzalez in *d. cap.* 9. At certe compenſatoriam naturalis æquitas, & Canones probant, eaque non *fœnus*, quod neſcio quid ſonet turpius, ſed *uſura*, quod modeſtius nomen eſt, appellatur, locumque habet, ſi aut lucri quid ceſſaverit, aut quid damni emerſerit. Sed multa ſunt ad juſtam compenſationem opus, de quibus Theologos, & maxime Genettum conſule *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. Interdum ea uſura periculum compenſatur. Duplex vulgo periculum faciunt, unum facti, alterum juris. Facti periculum eas omnes ſpecies continet, quibus ob innumeras rerum viciſſitudines perire ſors poteſt, etiamſi jure non

pe-

pereat, h. e., etiamſi ſemper debitor remaneat obligatus. Periculum juris eſt, quod creditor ex peculiari conventione in ſe recipit, quod tamen de jure ſequi debitorem deberet. Periculum facti non facit, ut poſſit aliquid ultra ſortem exigi, quia periculum illud ita ineſt rei mutuo datæ, ut ſine illo nullum poſſet contrahi mutuum. Quod ſi quid ejus periculi ratione ultra ſortem jure exigeretur, liceret ſub uſuris mutuas dare pecunias pauperibus, quibus mutuum dare periculi plena res eſt: at vero eſt id abſurdum, & plane impium; unde *Levitic.* 25. *v.* 35. ſcriptum eſt, *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, ne accipias uſuras ab eo*; maxime quum ex naturali caritate tenuis fortunæ hominibus dare mutuum, ut egenis eleëmosynas, teneamur. Accedit, quod res eis pereat, qui mutuum acceperunt, ut proinde perpetua ſit eorum obligatio. Periculum juris videtur facere, ut aliquid ultra ſortem exigatur; eſt enim *periculi pretium*, uti Scævola loquitur *l.* 5. *de naut. fœn.*: Apud Romanos frequens erat, ut pecunia navigantibus periculo creditoris mutuo daretur, quæ a trajiciendo mari *trajectitia* appellatur *l.* 1., *& paſſim ff. eod.*; & pro periculi magnitudine grande fœnus in ſtipulationem deducebatur; proditumque memoriæ eſt apud Juſt. *l.* 26. §. 1. *C. de uſur.*, veteribus legibus conceſſum fuiſſe in trajectitiis pecuniis egredi centeſimam, quæ erat jure civili legitimus uſurarum modus *l.* 2. §. *ult. de eo, quod cert. loc.* Id autem propter periculum creditoris æquiſſimum Romanis videbatur, videturque æquiſſimum gentibus, quæ maritimas negotiationes exercent, Grotius *lib.* 3. *Introduct. cap.* 11., Gronevveg. ad *l.* 26. §. 1. *C. eod. n.* 2., Huber ad *tit. de naut. fœn.*: neque hunc gentium morem accuſant Canoniſtæ. V. Covarruv. *Variar. Reſol. c.* 2. *n.* 5. Obſtat Gregorius IX. in *cap. naviganti ult. h. t.*, ubi, *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutans pecuniæ quantitatem pro eo, quod ſuſcipit in ſe periculum, accepturus aliquid ultra ſortem, uſurarius eſt cenſendus*. Vides, de periculo juris agi hoc loco. Quid igitur cauſſæ eſſe dixeris, cur aliquid ultra ſortem eo nomine accipere, fœnus eſſe pronunciet Gregorius IX.? Num addita negatione legendum, *non eſt cenſendus*? Sunt qui ſic ſentiunt hoc argumento, quod poſteriore, quæ continuo ſequitur, ejus Capituli parte aliam ſpeciem Gregorius pertractet, qua uſuram contineri negat: is autem ab una ſpecie tranſeat ad alteram verbo *quoque*: quo verbo eum negare etiam in priore ſpecie liquet, uti certe negat in poſteriore. Optima ſane ratio, ſed quæ in latinitate Pontificum tanti non eſt, ut lectionem omnium Codicum fide tutam immutes. Quæ ergo eſt Gregorii IX. ſententia? Quas ei affinxerunt alii, eæ proſtant apud Gonzalez in *d. cap.*: hanc ego germanam ajo.

Uſurarius eſt, qui etiamſi periculum juris recipiat in ſe, tamen eo fine pecuniam dat mutuam, ut aliquid dein habeat ultra ſortem, alias non mutuaturus. *Tò accepturus* ex ingenio latinæ linguæ ſic explicandum, ut finem deſignet. Solo juris periculo haud removetur uſura: animo quoque uſurarii quæſtus puro eſt opus. Hinc ſi quis ita ſtatuat apud ſe, daturum ſe gratuito pecuniam mutuam nullo ſuſcepto periculo, ſi ſic mutuario videatur: tum vero aliquid ſtipuletur ultra ſortem pro periculo juris, quod ita mutuatarius malit, is dici uſurarius non poteſt. Eſt hæc D. Antonini doctrina *part.* 2. *tit.* 10. *c.* 7. §. 21. Sunt & alii caſus, quibus aliquid ſorti accedit ſine vitio uſuræ, puta, ſi rem mihi debitam redemturus, pignoris cauſſa accipiam ab eo, qui illam detinebat, aut ſi a ſocero fundum accipiam eodem titulo pro non numerata dote. Utroque caſu fructus non computantur in ſortem, *c.* 1. *de feud.*, *cap.* 1. (a), 8., & 16. *h. t.* Et priore quidem caſu æquiſſimum eſt, fructus, qui ex re mea percipiuntur, meos eſſe: poſteriore ita placuit, quod *frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda*, uti dicitur in *d. c.* 16., qui ſingularis eſt locus juris. Sane quum *ibi dos eſſe debeat, ubi onera matrimonii ſunt*, *l.* 56. §. 1. *de jur. dot.*; conſectaneum eſt, teneri ſocerum, qui dotem non numeravit, onera matrimonii ferre: ſicque fundi fructus cedere in eum uſum debere: eoſque generum jure ſuos facere pro eo lucro, quod ceſſat, damnove, quod emergit. Poſtremo quum id, quod ſupra ſortem recipitur, non ex certo pacto, ſed ex incerto eventu dependet, nihil eſt vitii in ea re. *Ille quoque, qui dat decem ſolidos*, verba ſunt Gregorii IX. in *cap. ult. eod.*, *ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur, non debet ex hoc uſurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excuſatur, qui merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat: ſi tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

Veteres Canones Clericum fœneratorem nullo gradus diſcrimine deponi jubent, Conc. Illib. *c.* 20., Nicæn. *c.* 17., qui eſt apud Gratian. *can.* 8. *cauſ.* 12. *q.* 4., Arelat. II. *can.* 14., laicum ſeparari, Illib. *d. c.* 20. At vero Alexander III. in *cap.* 7. *h. t.* laicum quidem excommunicari jubet, uti & antiqui Canones ca-

(a) *Quod Alex. III. inquit d. cap.* 1., redimi beneficium Eccleſiæ de manu laici, *id, niſi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lux affulgeat, eſt ſane tenebricoſum. V. Dartis in cap.* 4. *cauſ.* 1. *q.* 3., *& Gonzalez in cap.* 43. *de elect. ſub finem.*

cavent, Clericum vero ab officio, beneficioque ſuſpendi. Porro idem Alex. uſurarios *Chriſtianam accipere ſepulturam* vetuit *c.* 3. *h. t.*, quique eos Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, *donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat, ab officii ſui executione manere ſuſpenſum* voluit. Hæc omnia de uſurariis manifeſtis ſtatuta ſunt: uſurarii nec manifeſti exemplo furum, ac raptorum, quibus æquiparantur *can.* 10. *cauſ.* 14. *q.* 4., ſola reddendarum uſurarum neceſſitate obſtringuntur ex regula D. Auguſtini in *cap.* 4. *de reg. jur. in* 6., quam regulam ad rem adhibet laudatus Alex. in *cap.* 5. *h. t.*

Romæ de uſuris varium jus fuit a Legibus 12. tab. uſque ad tempora Juſtiniani: cujus varii juris hiſtoriam habes apud Salmaſium, Gronovium, & noviſſimum Romani juris interpretem Gerardum Noodtium *lib.* 2. *de fœnore*. Id in univerſum hic moneo, etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus haud fuiſſe uſuras Civili jure omnino improbatas. At ſemper Eccleſia præceptum Chriſti ſequuta fœnus damnavit, ac paſſim novæ Chriſtianorum Principum leges, & quum primis Regum Neapolitanorum in fœneratitiis contractibus definiendis ex ſententia juris Canonici ſcriptæ ſunt; unde uſuræ inter Eccleſiaſtica delicta locum damus. Atque hæc de præcipuis Delictis Eccleſiaſticis dixiſſe ſit ſatis: de aliis ſatis multi.

TITULUS V.

DE PROCESSU CRIMINALI ECCLESIASTICO.

QUod primum in criminali judicio ſpectatur, Accuſatio eſt; Quem accuſavit nemo, eum damnari Leges, & Canones vetant. Mirabantur nonnulli, quod Macarius quidam graviorum criminum reus non fuiſſet ab Eccleſia ſeparatus. De hac re ita Optatus Milev. ſub finem *lib.* 7., *Si fuit* (reus) *accuſatore ſilente, a nobis non licuit abſtineri. Dicite, quis eum accuſavit, & auditus non eſt? Dicitis, Macarium confeſſum eſſe culpam, & noſtram ſiluiſſe ſententiam. Non poſſumus facere, quod non fecit Dominus, qui nec eundem voluit eſſe accuſatorem, & judicem. Dicitis, non nos latuiſſe, quod factum eſt. Fatemur, nos audiſſe; ſed peccatum erat damnare eum, quem nemo eſt auſus arguere*. Criminoſos admonere, eoſque, niſi reſipiſcerent, accuſare, neceſſitatis eſſe, Patrum ſententia fuit ob verbum illud Chriſti *Matth.* 18. *v.* 15., *Si peccaverit in te frater tuus*, hoc eſt, ſi ſolus noſti, uti rectiſſime Aug. *ſerm.* 16. *de verb. Dom.*, *vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*.

Si

Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum, id eſt, ut, ſi accuſatio inſtituenda ſit, legitimo plurium teſtimonio probari crimen, quod intenditur, poſſit. *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ*, hoc eſt, accuſa. Igitur non publica ſolum, ſed etiam occulta crimina ad Eccleſiam deferenda, modo, ſi occulta ſint, peccator antea ſemel, atque iterum officii ſui admoneatur. S. Auguſt. *Hom.* 49., & 50. c. 4., & 5. de uxoribus, quæ adulteros viros patiebantur, hæc habet, *Nolo, talem patientiam habeant Chriſtianæ mulieres. Omnino ego moneo, ego præcipio, ego jubeo, Epiſcopus jubet, Chriſtus in me jubet. Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam*. Idem Auguſt. initio *Quæſt. in Levit. c.* 5. *v.* 1. quæſtionem, ut ipſe ait, *difficillimam* pertractat, num Chriſtianus deferendi peccatoris obligatione liberetur, ſi veteri jure poſſit, ne hic mortis periculum ſubeat. Reſpondet autem Aug., *ſolvi* Chriſtianum *peccati vinculo, ſi indicat talibus, qui magis poſſunt prodeſſe, quam obeſſe ſive ad corrigendum, ſive ad Deum pro illo placandum*. Quin ita vetus diſciplina ferebat, ut qui criminoſum aut omnino non deferebat ad Eccleſiam, aut ſerius deferebat, taciturnitatis, tarditatisve pœnas daret: qua de re Morin. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 6. Et vero quum judicia criminalia Eccleſiaſtica eo ſpectent omnia, ut nocentes ipſi emendentur, aliique exemplo deterreantur a malo, Religionis intereſt, eos prodi, & Chriſtiana caritas, qua veluti quodam communi vinculo continemur, expoſcit, ut ad privatum cujuſque, & commune omnium ſpirituale bonum admonitionibus, & accuſationibus adnitamur. Hæc eadem ratio fecit, ut Epiſcopi in Viſitationibus ſeptem de plebe bene moratos viros ſacramento adigerent ad prodenda crimina in Parochia admiſſa non ſolum Eccleſiaſtica, ſed etiam communia, eoſque jurisjurandi religione conſtrictos interrogarent prius recitata ea formula, *Nos miniſtri Dei ſumus: non terrenam veſtram ſubſtantiam concupiſcimus, ſed ſalutem animarum veſtrarum requirimus*. Proſtant eæ interrogationes apud Burchardum *Decret. lib.* 1. poſt *cap.* 94., & apud Beatum Rhenanum in fine *Admonitionis de Dogm. Tertull.*: unde habes, vel poſt X. ſeculum eam diſciplinam ſtetiſſe, quæ tandem publicis pœnitentiis ſublatis intercidit: aliqua tantum ejus veſtigia ſuperſunt in Monitionibus, quæ in finem revelandi ab Epiſcopis adhibentur. Sed quouſque vetus obtinuit diſciplina, deferri reus ad Eccleſiam debebat ſecundum Chriſti verbum, *dic Eccleſiæ*: quo verbo, uti initio libri 3. dictum, & Eccleſiaſticus conventus, & Epiſcopus Eccleſiaſtici conventus princeps deſignatur. Ita autem ſe res habebat. Peccator ſemel, atque iterum admonitus prodebatur Epiſcopo:

copo : hic eum , ut pœnitentiam ageret , ſecreto hortabatur, S. Aug. *ſerm.* 16. *de verb. Dom.* , & *in Levit. ibid.* Si is minus grat dicto obediens , & legitimæ probationes ſuppetebant , Epiſcopus dicebat Eccleſiæ , *lib.* 2. *Conſt. Apoſt. c.* 38. , hoc eſt , ſenioribus Eccleſiæ , ſeu Presbyterio , quod proinde *ſpiritualis* Epiſcopi *corona* dicitur Ignatio *epiſt. ad Magneſ.* Teſtimonia in hanc rem conceptiſſima ſunt hæc. Paulus Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5. de Corinthio inceſtuoſo , *Ego quidem* , ait , *jam judicavi eum congregatis vobis* . Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 2. *c.* 47. , *Aſſiſtant* , inquit , *judicio Diaconi* , *&* *Presbyteri* . S. Gregorius *lib.* 2. *ep.* 49. hæc habet , *Si quid de quocumque Clerico ad aures tuas pervenerit* , *præſentibus Senioribus Eccleſiæ tuæ eſt veritas perſcrutanda* . Jam Presbyterium advocare non libera res fuit ; nam antiqua conſuetudo ab Apoſtolicis ducta temporibus ita fieri jubebat ; unde Concil. Carth. IV. *can.* 23. , *Epiſcopus nullius cauſſam audiat abſque præſentia ſuorum Clericorum* , *alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi* , *niſi Clericorum præſentia confirmetur* : in quo Canone *Clericos* bene interpretatur Presbyteros Chriſtianus Lupus *de Africanæ Eccl. Romanis appellat. cap.* 15. ; nam Presbyteris ſolis ſedere ac judicare cum Epiſcopis datum . Aderant etiam judicio reliqui Clerici , imo vel ipſi laici , ſed teſtes aderant , non judices , Cyprian. *ep.* 14. , Cler.Rom. *ep. ad Cypr.* , quæ inter Cyprianicas eſt 31. , Euſeb. *lib.* 6. *Hiſt. c.* 35. : & ſæpe Sacerdotes laicorum obteſtationibus victi pœnas mitigabant, S.Cornel. P. apud Euſeb. *ibid.* Prioribus ſeculis nihil diſcriminis poſitum fuit inter laicorum , Clericorumque criminoſorum judicia . Clerici æque atque laici ab Epiſcopo ſuo adſidentibus Presbyteris judicabantur : neque ullus gradus Clericatus quidquam præcipuum habebat , Timotheum Epiſcopum Epheſium Presbyterorum ſuorum judicem pronunciat Paulus 1. *ad Timoth.* 15. *v.* 19. Synodus Antiochena *can.* 4. , & *can.* 12. , & Sardicenſis *can.* 17. Presbyterum a proprio Epiſcopo gradu , & communione abjici poſſe ſupponunt . Primum ab Africanis Patribus inter majores , & minores Clericos diſtinctum , Concilium Carthag. I. *can.* 11. , *A tribus vicinis Epiſcopis* , (cum proprio Epiſcopo , quod ſupplendum ex *can.* 10. Carth. II.) *ſi Diaconus eſt* , *arguatur* : *Presbyter a ſex* : *ſi Epiſcopus* , *a duodecim Conſacerdotibus* (h. e. Epiſcopis) *audiatur* . Eamdem diſciplinam confirmarunt Carthag. II. *d. c.* 10. , & Carth. III. *can.* 8. , ubi id additum , *Reliquorum autem cauſſas etiam ſolus Epiſcopus loci agnoſcat* , *&* *finiat* . Ait Concilium , *ſolus* , hoc eſt , ſine aliorum Epiſcoporum conventu , non ſine conventu Clericorum ſuorum : quod jam animadvertit Gratianus *cauſ.* 15. *q.* 7. , ubi eum Canonem deſcripſit . At enim S. Auguſtinus Xantippum quendam Presbyterum , qui

ſolen-

ſolenne in Dominici Natalis vigilia jejunium violaverat, & apud famoſam mulierem ſine Clerico acolytho pranſus, & cœnatus dormierat; nullo Epiſcopo in conſilium adhibito ſolus depoſuit, ut ipſe narrat *ep.* 226. Factum hoc Auguſtini clariſſimos viros exercuit. Lupus Cypriani teſtimonio ex *ep. ad Rogatianum Novenſem Epiſcopum* probat, laudatos Canones Carthaginenſes fuiſſe contra antiquam Africanæ Eccleſiæ conſuetudinem conditos: tum ſuſpicatur, haud fuiſſe a nonnullis Epiſcopis veterem morem præferentibus receptos, eorumque numero Auguſtinum haberi: & quamvis is Carthaginenſes Canones ſubſcripſerit, potuiſſe tamen eos Canones contra Auguſtini ſententiam condi. Fortaſſe ſatius eſt dicere cum Thomaſino in *vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.* 2. *lib.* 1. *c.* 15. *n.* 18., tribuendum id nimio Auguſtini zelo, quem mirari præſtat, quam imitari. Cæterum Africanos Canones aliæ etiam Chriſtianæ gentes per omnia ferme arripuerunt: quod a Lupo, ac Thomaſino abunde demonſtratum.

Jam criminalia judicia apud Epiſcopos peragebantur eodem prope ritu, quem Romana Lex præſcripſerat. Id juris Civilis, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ collatione manifeſtiſſimum fiet. Jure Civili accuſatio eſt libello inſtituenda, extatque accuſatorii libelli formula in *l.* 3. *de accuſat.* Accuſatorium libellum, quo Euſebius Dorilæi Epiſcopus Euthycheten Presbyterum, & Archimandritam hæreſis accuſavit, Synodus Conſtantinop. I. S. Flaviani Patriarchæ meminit *act.* 1., & 3. Jure Civili inſcriptione, & ſubſcriptione accuſatoris eſt opus. Inſcriptione profitetur accuſator, ſe Mævium ex. gr. hac, vel illa lege reum deferre, eumque ſe peracturum reum, *d. l.* 3., & *l.* 2. *C. de exhib. reis*: ſubſcriptione aut per ſe ipſe, aut, ſi literas neſciat, per alium teſtatur, profeſſum ſe eſſe: ac porro, ſi pareat, falſum ſe affinxiſſe crimen, ſe pœna reciproci obſtringit, *d. l.* 2. *C.* Euſebius *d. act.* 1. poſt expoſitam perverſam, impiamque Euthychetis de Chriſto ſententiam, *paratum* ſe libello profitetur *eum convincere falſo habere Catholicum nomen*. Idem Euſebius *act.* 5. vereri ſe non obſcure oſtendit, ne per fraudem Euthychetis pœnam ſubeat talionis: quem metum excutit S. Flavianus. Ita in Chalcedonenſi Concilio *act.* 3. S. Paſchaſinus S. Leonis P. Legatus de Theodoro Diacono Dioſcori accuſatore inquit, *Si confidit probare ea, quæ ingerit...., proprio ore confiteatur, ſi non vult regularem adverſus ſe converti ſententiam*. Jure Romano reus per apparitorem in jus vocatur ſemel, iterum, atque tertio, uti dictum *lib.* 3. *tit.* 7.: in cauſſis autem, ex quibus ſequi ſolet gravior pœna uſque ad relegationem, prehenditur arg. *l.* 1. *ff. an per al. cauſ. appel. red. poſ.* Tribus etiam vicibus Dioſcorum, Euthycheten, alioſque ad Synodum vocatos, ex Epheſinæ, Conſtantinopolitanæ,

Digitized by Google

tanæ S. Flaviani, aliarumque Synodorum actis jam conſtat: ex eiſdemque id porro conſtat, Epiſcopum per Epiſcopos ſaltem duos, Clericum per Clericos, laicum per laicos vocari conſueviſſe, Lup. *Diſſ. de Concil. Epheſ. c. 3.*, & *Append. ad Epheſ. Latroc. act.* 1. Interdum (quod eſt placidum ac manſuetum Eccleſiæ ingenium) quartam citationem Synodi decrevere: decrevitque in cauſſa Neſtorii Synodus Epheſina *act.* 1. Jus prehenſionis vetus non exercuit Eccleſia. Euthychetis accuſator Euſebius Euthycheten invitum Synodo ſiſti poſtulat *act.* 3.; at ab ea vi abhorret S. Flavianus. Lege Romana nuncius, ſi rei copiam habere poteſt, denunciare decretum citationis in faciem debet arg. *l.* 1. *§.* 1. *de agnoſc. lib.* Ita cum Euthychete factum *d. act.* 3. Civili jure regulariter in criminibus fruſtra pro reo procurator intervenit *l. pen. §. ult. de publ. judic.*, *d. l.* 1. *an per alium* &c.: qua de re *lib.* 3. *tit.* 3. Euthyches ad Synodum citatus Abrahamium, alioſque miſit pro ſe reſponſuros; at S. Flavianus ſic ad Abrahamium, *Quomodo, rogo te, poſſibile eſt, altero accuſato alterum dicere?* Apud Romanos reus ab accuſatore, & judice interrogabatur, *Aſcon. Pedian. in Verrin.* 2., Marcian. *l.* 6. *§.* 1. *de cuſt. reor.* Euthyches *act.* 7. ab Euſebio accuſatore, & S. Flaviano Synodi Præſide interrogatur. Jure Civili tergiverſari, puta, ab accuſatione citra abolitionem prorſus ceſſare, crimen eſt, quod extra ordinem punitur, *l.* 2. *C. ad SC. Turpil.*, S. Gregorius *epiſt. ad Joh. Epiſcopum Corinthiorum*, cujus fragmentum eſt in *can.* 6. *cauſ.* 2. *q.* 3. Paulum quendam Diaconum, qui ab accuſatione Epiſcopi ſui deſtiterat, criminis notat. Ignoſcit quidem ei Gregorius; ſed tot tamen propria habet ea ſpecies, quæ Romani Correctores adferunt in eum locum, ut produci in exemplum non poſſit. Quæ de legitimis probationibus, atque exceptionibus Romano jure ſunt comprehenſa, ea fere omnia veteres Eccleſiæ Patres in judiciis ſuis ſervaſſe, Conciliorum Acta commonſtrant. Id unum moneo, jure civili *in criminibus eruendis quaſtionem*, ſeu tormenta, *adhiberi ſolere*, *l.* 1. *de quæſt.*; at vero iſtum eruendæ veritatis modum vetus nunquam adhibuit Eccleſia. *Reos tormentis afficere*, verba ſunt Hildeberti Cenomanenſ. *ep.* 30., *vel ſuppliciis extorquere confeſſionem cenſura Curiæ eſt, non Eccleſiæ diſciplina.* Quid vitii ſit in eo modo, tradit Aug. *lib.* 19. *de Civ. Dei c.* 6., *Quum quæritur, utrum ſit nocens, cruciatur: & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur, ac per hoc ignorantia judicis plerumque eſt calamitas innocentis*: in quem Auguſtini locum videndus Ludovicus Vives. At enim Euſebius P., qui IV. Eccleſiæ ſæc. Romæ ſedit, *can.* 4. *cauſ.* 5. *q.* 5. inquit, *Hanc*

Digitized by Google

(veritatem) *diverſis cruciatibus e latebris ſuis religioſus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora ſubjiciuntur, quæ geſta ſunt, fideliter, & veraciter exquirantur*. Verum & Auguſtini de quæſtionibus ſententia, & Criticorum judicium de Epiſtolis Pontificum Siricio antiquiorum Euſebianam illam Epiſtolam ſuppoſititiam eſſe, ſatis probant. Quod autem S. Gregorius ait *can*. 7. in fine *cauſ*. 2. *q*. 1., viliſſimis reis bus *ſine corporali diſcuſſione* credi non debere; id ait is ex ſententia Legum Romanarum, quas eo loco diſerte laudat. Ait quidem Auguſtinus *can*. 1. *cauſ*. 23. *q*. 5., ſæpe *in judiciis virgas ab Epiſcopis* ſolitas adhiberi; & S. Gregorius in *cap*. 1. *de calumnias*. Subdiaconum calumniatorem *verberibus caſtigari* jubet; ſed duo hæc loca ad antiquas publicæ pœnitentiæ regulas exigenda ſunt, quæ in criminoſis caſtigandis *paſtores* eſſe Epiſcopos, non *percuſſores* volebant, ipſo Gregorio teſte *can*. 1. *diſt*. 45. Et ſane Auguſtinus ibid. addit, eum ipſum modum coercitionis ab Epiſcopis adhibitum, qui & ab artium liberalium magiſtris, & a parentibus adhibetur. Tandem in gravioribus delictis novum jus Canonicum quæſtiones admiſit, *cap*. 1. *de depoſit*., & *cap*. 6. *de reg. jur*. Abſentem damnari leges vetant *l*. 5. *de pœn*., *l*. 1. *de requir. vel abſ*., *l*. 6. *C. de accuſ*. Synodi Tyriæ de S. Athanaſio judicium quum multis nominibus, tum hoc maxime nomine nullum pronunciant Julius I. *ep. ad Orientales*, & Alexandrini Concilii Patres in *epiſt. Synodica*, quod eum abſentem damnaverit. Ulpianus *l*. 5. *de pœn*., Papinianus *l*. 10. *de publ. judic*., atque alii paſſim contumaces etiam abſentes recte damnari ajunt. Neſtorium *ad Synodum non auſum accedere depoſitionis ſententiæ* ab Epheſinis Patribus *ſubjectum*, inquit S. Cyrillus *ep. ad Clerum, & populum Alexandrin*. Dioſcorus etiam ob contumaciam abſens damnatus in Chalced. Conc. *act*. 3. Ex ſententia juris Romani ſcribit Aſcon. in *Verrin*. 3., *Loqui niſi interrogato teſti non licebat*. Synodi Conſtantinopolitanæ *act*. 6. Theophilus, & Mamas Presbyteri, qui Euthycheten ad Synodum vocaverant, inſtante Euſebio, ac jubente Flaviano multa contra Euthycheten teſtantur: interroganti autem Flaviano, cur ea reticuerint ad id tempus, reſpondent, *Minime interrogati ſuperfluum putavimus hæc dicere*. Jure Civili inſinuari reo ſententiam debere, ut ei liberum ſit appellare, exploratiſſimum eſt. Lata in Concilio Epheſino contra Neſtorium ſententia inſinuata ei eſt per literas Synodales, quarum hæc Epigraphe, *Synodus Neſtorio novo Judæ*. Jam ut juris Civilis, & veteris Eccleſiaſtici fori collationem verbo tranſigam; ajo, quoniam in legibus Romanis de ordine judiciorum quædam ſunt juris gentium, quædam juris Civilis meri, atque hæc ad judicium ſolenniter exercendum, illa ad actionis pro-

probationem, reorumque tutelam, ſeu, quod idem eſt, ad cauſſæ cognitionem pertinent; veteres Eccleſiæ Patres ea tantum retinuiſſe, quæ juris gentium, neglexiſſe alia, quæ juris Civilis meri ſolennia videbantur. At circa ſæc. XII., quum exterius Eccleſiæ forum cœpit ab interiore diſtingui, ſolennia etiam juris Romani in Eccleſiaſticum forum exterius inlata ſunt: ut dici recte poſſit, quo in Civili, eodem prope ritu in Eccleſiaſtico foro criminalia judicia exerceri: idque Romani juris, & Decretalium collatio demonſtrat. Hinc triplex inſtituendi judicii criminalis ratio novo jure Canonico propoſita per *accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem, cap.* 24. §. 2. *de accuſat.*: quod ex jure Civili, ejuſque gloſſis deſumſiſſe Innocentius III. videtur. De accuſatione in Pandectis agitur *lib.* 48. *t.* 2., & in Codice *lib.* 9. *t.* 2.: de inquiſitione in *l.* 1. §. 12. *de off. Præf. Urb.*, *l.* 13. *de off. Præs.*, *l.* 3. §. *ult. ad L. Jul. de annon.*, & *l.* 4. §. 2. *ad L. Jul. peculat.*: de denuntiatione in *l.* 6. in fin. *de cuſt. reor.*, *l.* 6. §. 3. *ad SC. Turpil.*, *l.* 7. *C. de accuſat.*, *l.* 2. *pr.* & §. 4., *l.* 15. §. 1., & 2., *l.* 22. §. *ult.*, *l.* 23., & 24. *de jur. fiſc.* Inſcribere, ac ſubſcribere accuſator debet, quia ad pœnam inſtituitur accuſatio, *l.* 1. *C. de accuſ.*, *l.* 2. *C. de exhib. reis*, *cap.* 16. *de accuſ.*, licet talio jamdiu deſueverit, quod ea pœna homines ab accuſando deterrerentur: nuntiator ſolennia accuſationum ſervare Civili, & Canonico jure non debet, *d. l.* 7. *C.*, & *d. cap.* 16. *tit. Decret. de accuſat.*, & *cap. ult. de calumn.*; ſed monere tamen jure Canonico, & vero etiam ex præcepto Chriſti peccatorem debet; *quia ad correctionem denunciatio facienda eſt*, *d. cap.* 16., & *cap.* 31. *de ſimon.*: quales fuiſſe ex veteri Eccleſiæ diſciplina accuſationes, jam tradidi. Porro hoc quoque differunt inter ſe Accuſatio, & Denunciatio, quod denunciare prohibeatur nemo: multi vero prohibeantur accuſare. De his Gratianus *cauſ.* 2. *q.* 7., & 8., & *cauſ.* 3. *q.* 4. abunde ediſſerit ex jure Civili, quod ſuper hac re in jus Canonicum novum maximam partem defluxit: itemque ex jure Eccleſiaſtico, quod tamen is ex falſis Decretalibus derivat. Hic non conſiſtam; uſu enim inductum eſt, ut, quum de publica punitione agitur, ſoli Promotores fiſcales in Curiis Eccleſiaſticis locum obtineant accuſatorum. Denique in criminoſos inquirit ex officio judex, ſicque reum, etiamſi nullus accuſator exiſtat, publicæ ſollicitudinis cura producit, uti elegantiſſime Conſtantinus loquitur in *l.* 1. *C. de cuſt. reor.*; ſed *inquiſitionem clamoſa debet inſinuatio prævenire*, Innoc. III. in *d. cap.* 31.: quod de inquiſitione, quam *ſpecialem* dicunt, accipiendum eſt; puta quum in certum hominem inquiritur. V. *cap.* 21. *de accuſ.*

De appellationibus dictum *lib.* 3. Promiſſi memor addam

nonnulla hoc loco. Ad Summum Pontificem *de toto mundo appellatur*, inquit S.Bernardus *de Conſider. ad Eugenium lib.* 3. Sed multa ſunt, quæ de Epiſcoporum appellationibus ad Romanum Pontificem tradit Petrus de Marca *lib.* 7. *Concord. c.* 2., & *ſeqq.* Ait, eos ante Sardicenſem Synodum provocare ad Romanum Pontificem jure non potuiſſe: id tantum per Canones Sardicenſes Romano Pontifici datum, ut cauſſam ad Epiſcopos Provinciæ, præſente, ſi ita arbitraretur, Legato ſuo, retractandam decerneret: denique jus iſtarum appellationum in Oriente non ante Trullanum Concilium, in Occidente non ante VIII. ſæculum obtinuiſſe. Contra Natalis Alexander *Diſſert.* 28. *ſæc* IV. egregie præter cæteros hæc adſtruit, jus iſtarum appellationum Primatus Ronrani Pontificis conſectaneum eſſe: idque a Synodo Sardicenſi non inſt tutum, ſed repetitum. Africanæ Eccleſiæ conſuetudo, cujus teſtes ſunt Canones ſecundæ, & quintæ Synodi Carthaginenſis, & Canon 22. Milevitanæ, Presbyteros, alioſque inferiores Clericos ad Romanam Eccleſiam appellare non patiebatur. *Ad transmarina qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur*, verba ſunt *can.* 22. Synodi Milevitanæ. *Transmarinam* Eccleſiam in Conciliis Africanis *Romanam* eſſe, multis collatis Canonibus oſtendit Lupus *de Afric. Eccl. Rom. appell. cap.* 20.; ut certe riſum faciat exceptio, quam laudato Canoni Milevitano apponit Gratianus *cauſ.* 2. *q.* 6. poſt *can.* 35., *niſi forte Romanam Sedem appellaverit*, quaſi Afri ad transmarina appellantes ad alium, quam ad Sedem Apoſtolicam, appellarent, uti bene in eum Canonem Binius. Diſcrimen, quod Africanæ Eccleſiæ diſciplina inter Epiſcopos poſuit, ac reliquum inferiorem Clerum, tradit Aug. *ep.* 162., quam Lupus longo commentario illuſtrat *d. c.* 20. Gradatim, & *non omiſſo*, ut ajunt, *medio* appellandum, ut ſua cuique dignitas ſervetur, *l.* 21. *de appellat.*, *cap.* 66. *de appellat.*, *cap.* 1. §. 1. *eod. in* 6. Jure Civili appellationes recto ad Principem factæ ad eos remittuntur, ad quos fieri debuerunt, *d. l.* 21.; at jure Canonico appellationes ad Summum Pontificem recto fiunt, *cap. ult. de for. comp.*, *cap.* 7., & 54. *de appell.* Hoc idem jus Summi Pontificis adſtruit Gratianus *cauſ.* 2. *q.* 6. ex D-cretalibus ſummorum Pontificum Sixti, Marcelli, Victoris, Zephirini, ac Julii: ſed Decretales iſtas Critici ſuppoſititias habent. S. Bernardus *loc. cit.* Eugenium monet, ne appellationes iſtas, quas *in teſtimonium ſingulare Primatus* ejus interponi ait, temere recipiat, adhibetque in eam rem verbum illud Pauli Apoſtoli 1. *ad Cor. cap.* 6. *v.* 22., *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Verum aliquot iſtarum appellationum exempla deprehendunt nonnulli in Epiſtolis Gregorii P., puta *ep* 72.

lib. 1.,

lib. 1., *ep.* 33. *lib.* 2., *ep.* 32., & 33. *lib.* 10. Quid in Gallia, & Belgio obtineat, videas apud Van Eſpen *p.* 3. *tit.* 10. *cap.* 2.

Reſtat, ut de criminalibus Epiſcoporum cauſſis dicamus nonnulla. Epiſcopum *a duodecim Conſacerdotibus audiendum* dixi ex *can.* 11. Carthag. I. Fuit hæc particularis Africanæ Eccleſiæ diſciplina. Magnus erat in Africanis Provinciis numerus Epiſcoporum, ut permoleſtum eſſet in ſingulas criminales Epiſcopo um cauſſas Provincialem Synodum haberi: hinc, ſi extra ſolemne Synodi tempus deferri Epiſcopum contingeret (contingebat autem ſæpiſſime) nec res pati moram videretur, Epiſcopi duodecim cum Provinciæ Primate conveniebant: fuitque hæc eadem diſciplina alicubi etiam recepta. Lup. in *Dictat. Gregor. VII. can.* 25. Communis Eccleſiæ diſciplina olim hæc fuit, ut criminales omnes Epiſcoporum cauſſæ in Provincialibus Synodis diſceptarentur. Vide in hanc ſententiam Synodum Nicænam *can.* 5., Conſtantinopolitanam I. *can.* 2., Antiochenam *can.* 15., Sardicenſem *can.* 3. 4. & 7., Chalcedonenſem *can.* 4., Juſtiniani Novellam 123. *c.* 22., & Gelaſii P. II. Epiſtolam ad *Joh. Conſtantinop.* Innumera etiam exempla ſuppeditat hiſtoria Epiſcoporum per Provinciales Synodos excommunicatorum, aut depoſitorum. V. Lup. in *Dict. c.* 3., Quum vero ſub initium ſæc. VIII. Iſidori Collectio prodiiſſet, nova diſciplina enata eſt ex Decretalibus Julii I., & Eleutherii P., quas ea habet Collectio, quaſque deinde in Decretum ſuum inſeruit Gratianus *can.* 7., & 9. *cauſ.* 3. *q.* 6. Iis Decretalibus damnandorum Epiſcoporum jus Romano Pontifici aſſeritur. De iſtarum Decretalium fide eſt quidem cur dubites, jamque eas multis argumentis ducti ad apocrypha ablegarunt viri doctiores; certe tamen poſt id tempus Epiſcopos a Summo Pontifice damnatos deprehendes. Jam nova iſthæc diſciplina antiquos Canones non omnino abrogavit, nam ſolæ *majores* cauſſæ, puta eæ, pro quibus gradu moveri Epiſcopi poſſunt, Summi Pontificis judicio reſervatæ ſunt. Hinc *depoſitionem* nominatim expreſſit Innocentius III. in *cap.* 2. *de translat. Epiſcop.*: atque hinc illud in *Dictatu* Greg. VII. *can.* 3., *Quod ille ſolus* (Papa) *poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.* Diſtinctionem iſtam inter majores, & minores Epiſcoporum cauſſas criminales noviſſime Tridentina Synodus confirmavit *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform.*

Digitized by Google

TITULUS VI.

DE PURGATIONE CANONICA, ET VULGARI.

SI quis *de aliquo crimine publica laborat infamia*, *accuſatore*, *& teſtibus deficientibus*, eum *ad purgationem* eſſe *compellendum*, Alexander III. reſcribit in *cap.* 6. *de purg. canonic.* Purgationem bene definit Lancellottus *demonſtrationem innocentiæ ſuper objecto crimine*. Duplex eſt, altera *Vulgaris*, altera *Canonica*: de qua duplici purgatione duplex in Decretalibus caput. Vulgaris eſt, quam vulgi ſuperſtitio invenit, ac ſequitur: Canonica, quæ ſacris Canonibus eſt comprobata. Vulgaris ſpecies multæ. Alii monomachia, ſeu duello, alii candenti ferro, alii aqua vel ferventi, vel frigida ſe purgabant, alii aliis modis; quos a Longobardis, aliiſve e Germania populis in Italiam invectos ex eorum legibus ac moribus exponunt Cujacius *lib.* 1. *Feud. tit.* 1. *§. ſi autem controverſia*, Gonzalez in *cap.* 3. *de purg. vulg.*, & alii ſatis multi. Id genus purgationis, quod eo tentetur Deus, paſſim Canones damnant. V. *can.* 7. § 1. (a), *can.* 20., & 21. *cauſ.* 2. *q.* 5., *cap.* 8. *de purg. canonic.*, & *tit. Decretal. de purg. vulg.* Alicubi in Eccleſia ferventis aquæ, aut candentis ferri judicium permiſſum fuiſſe, ut alia deſint teſtimonia, Tribu-

---

(a) *In d. can.* 7. *deſcribit Gratianus S. Gregorii Epiſtolam ad Brunichildam Francorum Reginam, quæ eſt lib.* 11. *ep.* 8. *Verum prior quidem Canonis pars ejus Epiſtolæ ſegmentum eſt: poſterior, qua vulgaris per frigidam aquam, ignitumque ferrum purgatio memoratur, S. Gregorii opus non eſt; neque enim eam habet Gregorii authenticum, neque ullus ætate Gregorii id genus purgationis uſus erat. Accedit, quod eadem poſteriore Canonis parte Mennæ Epiſcopi purgatio mulieris arbitrio committatur: quod utpote ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum jure miratur Gloſſa. Quis autem credat, Gregorium mulieris arbitrio tantum tribuiſſe? Rectiſſime Romani Correctores advertunt, laciniam illam Epiſtolæ Gregorii adſutam opus eſſe Alexandri II., qui ſæc. XI. Pontificatum geſſit, ex cujus ep. ad Raynaldum Cumanum Epiſcopum illud laudant Ivo p.* 10. *c.* 15., *& Paun. l.* 5. *c.* 8.: *ejuſdemque Epiſtolæ initium eſt in can.* 11. *cit. cauſ.*, *& q*, *poſt cujus canonis extrema verba poſterior canonis* 7. *pars continenter legenda. Alios quoque apocryphos Canones in eandem rem laudat Gratianus. Tu vide Ant. Auguſtinum, & Correctores Romanos.*

Digitized by Google

burienſis Synodi Canon teſtatur, qui eſt apud Gratianum *ead. cauſ. & q. n.* 15., & in *cap.* 1. *de purg. vulg.* in prima Decretalium Collectione apud Ant. Auguſtinum, & in *cap.* 1. *tit. Decret.* Greg. IX. *de purg. can.*: extatque ejus Canonis ſententia in *can.* 22. Concilii Triburienſis. Quoniam vero ejuſmodi purgationes Romana Eccleſia ſemper eſt averſata, Raymundus verba illa Canonis, *ferventi aqua, aut candenti ferro* prudens omiſit. Vulgarium Purgationum veſtigia uſque ad ultima ſæcula in nonnullis Eccleſiis ſuperfuiſſe, oſtendit Van Eſpen *p.* 3. *t.* 8. *c.* 4. Meminit etiam Gratianus *can.* 23., & 26. ex Concilio Wormacienſi purgationis *per ſacram Communionem*, de qua Van Eſpen in *Decretum cauſ.* 2. *q.* 5. Canonica purgatio jusjurandum eſt. Ejus mentio eſt in Epiſtolis S. Gregorii *can.* 6., & 7. *ead. cauſ.* & *q.* Jurare olim mos fuit *ad B. Petri corpus*: de qua formula, & ſimilibus v. Cangium in *Gloſſario*. Pelagius I., Sixtus III., ac Leo III. jurejurando ſe ipſi purgarunt. Anaſtaſ. Biblioth. in *Pelag.*, *can.* 10., & 18. *ead. cauſ.*, & *q.* Diſciplina ſic ferebat, ut juraturus tres, quinque, aut ſeptem ejuſdem proprie ordinis, vicinos, aut ſaltem qui eum probe noſſent, &, quod præcipuum erat, inculpatæ fidei ſibi ſocios, tanquam adſertores, adſciſceret, *can.* 12. 13. 16. 17. & 19. *ead. cauſ.* & *q.*, *cap.* 7. 9. 11. *de purg. can.*: quo ſpectant formulæ illæ *tertia*, *quinta*, aut *ſeptima manu* jurare. Quandoque plures eo numero acciti, ſi aut qui ſe purgabat, laicus eſſet, aut magni alicujus criminis infamia Clericus laboraret, *cap.* 1., & 10. *de purg. can.* Socii iſti *Compurgatores*, *Conjuratores*, & *Sacramentales* dicti. Primum is, de cujus re agebatur, ſuper ſancta Evangelia jurabat: tum compurgatores ſuper ſancta etiam Evangelia jurabant, eum vere, ut ipſi credebant, juraſſe *can.* 17. *cauſ.* 2. *q.* 5. Ita, quum gravis urget cauſſa, Clericis quoque jurandum eſt. Canones, quibus Monachis, Clericis, & maxime Epiſcopis jurare interdictum: & porro cauſſas, quibus eos jurare honeſtum, & vero etiam neceſſarium, habes apud Lup. *append. ad Ephefin. Latroc. cap.* 2. *act.* 2. Nunc Purgatio deſuevit

TITULUS ULTIMUS.

DE POENIS ECCLESIASTICIS.

CRimina excipiunt pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ Cenſuræ appellantur. Cenſurarum poteſtatem Apoſtolis fecit Chriſtus *Matth* 18. *v.* 15., *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis*. Sane S. Paulus 1. *ad Corinth.* 2. inceſtuoſum

excom-

excommunicavit, & Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopi ad noſtra uſque tempora idem jus exercuerunt. De aliis præter Epiſcopos vide Juven. *de Cenſ. cap.* 2.

Pœnæ Eccleſiæ propriæ ſpirituales ſunt. Eccleſiæ gladium *ſpiritualem* appellat Cyprianus *ep.* 62. al. 4. *ad Pompon.* Si quando opus eſſe intelligeret, contumacibus vim adhiberi, *ſaeculare*, ut ajunt, *brachium* imploravit. Id ſub Chriſtianis Principibus paſſim: quandoque etiam ſub Ethnicis factum. Paulum Samoſatenum ab Antiochenis Patribus depoſitum, quum nollet Eccleſiæ domo exire, quam novus ingredi Epiſcopus debebat, juſſu Aureliani Imp., quem Eccleſia adierat, cum ſummo dedecore exturbatum, narrat Euſebius *lib.* 7. *c.* 30. Id adeo ſolenne fuit, ut in Canonem abierit. Concil. Antiochen. an. 341. *can.* 5., *Sin autem*, inquit, *perſeverat perturbare*, *& Eccleſiam evertere*, *is per externam potentiam ut ſeditioſus caſtigetur*. Hoc idem cautum *can.* 38. Carthag. III., *can.* 53., 67., & 93. Codicis Africani. Appoſite Petrus Bleſenſis *ep.* 73., *Duo ſunt gladii*, *qui ad invicem ſibi vires impartiuntur alternas*, *Sacerdotium Regibus*, *& Sacerdotibus Regnum*, *ideoque ſi ab altero ſuppletur alterius inſufficientia*, *non videtur duplex contritio*, *aut punitio combinata*. Non debent autem opem denegare Chriſtiani Principes, quorum præcipuæ partes ſunt Eccleſiam tueri, eo nomine rationem Deo reddituri, uti Iſidorus inquit *can.* 20. *cauſ.* 23. *q.* 5. Ita Epiſcopi per Civilem poteſtatem ſententias ſuas exequebantur. Id etiam a Principibus contendere ſemper conſuevit Eccleſia, ut, quos Eccleſiaſtica cenſura ad officium non revocabat, in eos temporales pœnas ſtatuerent. Id attigi *tit.* 2. *h. lib.* Addam hoc loco, quod *d. can.* 93. *Cod. Afric.* ſcriptum eſt. Eo certi Epiſcopi ad Arcadium, & Honorium nomine Eccleſiæ legantur oraturi, ut per eos Theodoſii lex de ordinatoribus, ordinatiſque hæreticis certa auri ſumma mulctandis confirmetur. Theodoſiana lex extat *lib.* 16. *C. Th. tit.* 5. *de hæret. n.* 21., in quam v. Aug. *ep.* 50. *ad Bonifac.* Semper tamen Eccleſia a judicio ſanguinis abhorruit. Hinc ſolenne Epiſcopis fuit vel perditiſſimorum hominum mortem a Magiſtratibus, ac Principibus deprecari: ac ſæpe eorum preces legum ſeveritatem devicere: quod argumentum perſequitur Thomaſin. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 95. & *ſeqq.* Hinc quoque illud Matiſconenſis II. *can.* 18., *Definimus*, *ut ad locum examinationis reorum*, puta, ubi de reis habetur quæſtio, *nullus Clericorum accedat*, *neque interſit Atrio ſauciolo*, *ubi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiendus eſt*: itemque illud Synodi Antiſſiodor. *can.* 33., *Non licet Presbytero*, *nec Diacono ad trepalium*, *ubi rei torquentur*, *ſtare*. Atrium *ſauciolum*, quod & *ſauciatum* dicitur in vita S. Cypria-

priani, locus eſt, ubi capite, aut membris feriuntur rei: atque a tribus palis *trepalii* vox facta.

Antequam ulterius progrediar, præmonere nonnulla eſt opus, quæ ad veteres, novoſque Canones probe intelligendos prænoſſe neceſſarium omnino eſt. In antiquis Canonibus nuſquam *Cenſuræ* nomen occurrit eo ſenſu, quo nunc vulgo uſurpatur: & fortaſſe primus omnium Bernardus *de præcept.*, *& diſpenſ.* *c.* 13. excommunicationis *cenſuram* dixit: *Pœnarum*, & *Pœnitentiarum* veteres paſſim meminere. Poſtquam alia interioris, alia exterioris fori ratio fuit, ac vel poſt tempora Gratiani primum tradi in ſcholis cœptum, cenſuras eſſe *pœnas ſpirituales*, *ac medicinales*, *quibus homo aliquorum ſpiritualium bonorum uſu per exteriorem clavium poteſtatem privatur*: proinde, etſi omnes Cenſuræ ſint pœnæ Eccleſiaſticæ, has non ſemper eſſe Cenſuras: irregularitatem, ac degradationem eſſe quidem pœnas, Cenſuras non eſſe: Cenſurarum nomine tres tantum pœnas intelligi *Interdictum*, *Suſpenſionem*, *Excommunicationem*, uti docet Innocentius III. in *cap.* 20. *de V. S.*, ubi addit, ſi quid ſub Eccleſiaſticis Cenſuris generaliter præcipiatur, aut vetetur, ſpectandam judici eſſe, ut certam jure ſtatuat cenſuram, diverſam rerum, ac perſonarum rationem: denique jus Cenſurarum non a poteſtate clavium, quæ in interiori foro, ſed ab ea pendere, quæ in exteriore, & contentioſo foro exercetur: ſicque magis eſſe *juriſdictionis*, quam *ordinis*: cumque ſolius tonſuræ Clericis competere poſſit juriſdictio, poſſe hos jus Cenſurarum habere. Quoniam vero ad XII. uſque ſæculum exterius forum ab interiore ſecretum non fuit, perque id tempus pœnæ Eccleſiaſticæ ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectarunt, quam diverſa fuerit ſuper hac re ejus temporis diſciplina, tute intellige, Morin. *lib.* 6. *de Pænit. c.* 25. Mihi eſt animus veteres, & novas pœnas Eccleſiaſticas percenſere, quæ aut majores, aut minores: ac rurſus aut Clericorum propriæ, aut Clericis æque ac laicis communes.

Clerici nunc, ut olim, beneficio, officio, aut perſona mulctantur. Olim, ante conſtituta, qualia nunc ſunt, Eccleſiaſtica Beneficia, ſi quid leve peccaſſent Clerici, *a diviſione menſurna* (a), uti Cyprianus loquitur *ep.* 28. *al.* 34. *ad Cler.* abſtinebantur. Id erat, quod nunc eſt *a beneficio ſuſpendi*. Abſtinebantur etiam officio, ſeu, ut ibid. Cyprianus inquit, *miniſte-*

M

(a) *De menſtruis oblationibus*, *& menſtrua earum inter Clericos partitione lib.* 2.

ſterio Eccleſiaſtico: quod nunc eſt *officio*, *vel ordine ſuſpendi*. Presbyteris ſuis, qui lapſos nondum peracta pœnitentia ſuſceperant; ſuſpenſionem minatur Cypr. *ep.* 10., *Si in iiſdem perſeveraverint*, *interim probibeantur offerre*. Interdum officio prohibebantur ex parte. Concil. Neocæſareenſe *can.* 9., *Si Presbyter*, *qui corpore prius peccaverat*, *promotus fuit*, *& ſi ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit*; *ne offerat*, *manens in aliis*. Concil. Carth. IV. *can.* 68., *Si ſciens Epiſcopus ordinaverit talem* (puta, qui publice pœnitentiam egit) *etiam ipſe ab Epiſcopatus ſui ordinandi dumtaxat poteſtate privetur*. Demum quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum abſtenti. Concil. Epaonenſe *c.* 3., Sozomen. *lib.* 1. *c.* 24. Suſpenſis Clericis ſalva dignitas erat: unde *cathedra honoris participes*, ſeu *cathedram habere*, & *habere honorem*, & *obtinere nomen* dicuntur. Concil. Ancyr. *can.* 1., Synodus VI. in Trullo *can.* 26., Concil. Nicæn. *can.* 8., & Agath. *can.* 1. Hæc omnia nunc quoque obtinent; unde definitur paſſim ſuſpenſio Cenſura, qua Clericus ab officio, aut juriſdictione, beneficiove ſive ex parte, ſive omnino, ſive ad tempus, ſive in perpetuum ſalva dignitate abſtinetur. Abſtinendi verbum ſolenne eſt in hac re. Eo verbo ſuſpenſionem deſignat Synodus Eliberit. *can.* 13., & Cypr. *ep.* 55. *ad Cornel.*, & 63. *ad Pomp.* Clerici alias ſolo officio, aut beneficio, alias utroque ſuſpenduntur, *cap.* 33. *de teſt.*, *cap.* 1. *de ſecund. nupt.* Officio ſuſpenſi, ſi officium exerceant, irregulares fiunt, *cap.* 1. *de re jud. in* 6., *cap.* 1. *de ſent. excom. in* 6.: beneficio ſuſpenſi, ſi fructus percipiant, beneficio privantur, *cap.* 4. *de cobab. cler.*, *cap.* 1. §. *ult. de elect. in* 6.

Longe gravior eſt Depoſitio, ſeu Degradatio. Quemadmodum autem qui ſuſpenduntur, aut ex parte ſuſpenduntur, aut omnino, ita qui degradantur. Ex parte degradari proprie *regradari* veteribus dictum. Regradatorum Clericorum in priſcis Canonibus mentio non rara. Concil. Tolet. I. in *can.* 17. *diſt.* 34., Aurelianenſe III. *can.* 27., Matiſcon. I. *can.* 10., & 18. Militare vocabulum fuit *Regradatio*, de qua in *l.* 2. *C. Th. de curſ. publ.*, eratque militis in inferiorem militiam rejectio. Ita regradari dicebantur Clerici, qui de ſuo ad inferiorem gradum, aut gradu ſuo retento ad ultimum ſui ordinis locum dejiciebantur. Subdiaconos, qui defuncta uxore aliam duxerant, inter Oſtiarios & Lectores haberi, præcepit Toletanum *d. can.* 17. Idem de fœneratore, & calumniatore Clerico ſtatutum in Aurelianenſi *d. can.* 27., & Matiſcon. *d. can.* 18. Simile eſt, quod Nicæni Concilii *can.* 8. de Epiſcopis Novatianis cautum eſt, ut ad Catholicam Eccleſiam reverſi in urbibus, quæ Epiſcopum ha-

bebant,

hebant, loco eſſent Presbyterorum (*a*). Diaconum in Eccleſiaſtico conventu ſedere ante Presbyteros auſum ſui ordinis ultimum voluit Synodus VI. in Trullo *can.* 26. *diſt.* 93. Eadem pœna Liberatum Diaconum ſuperbientem coercuit S. Gregorius *lib.* 1. *ep.* 81. Fornicatorem Presbyterum Pſalmos in Choro ultimum canere juſſit Hybernenſe Concilium in *can.* 5. *diſt.* 82. De poſteriore hoc regradationis genere ſunt *can.* 2. *cauſ.* 19. *q.* 3., *cap.* 12. *de ætat.* & *qualit.*, & *ordin. præfic.*, & *cap.* 3. *ne Cler. vel Monach.* Omnino deponi eſt omnino dejici de gradu, atque in ordinem redigi laicorum. Depoſitis nulla erat reliqua ſpes reſtitutionis; Concil. Antioch. c. 5.; unde de iis in Agathenſi Conc. *can.* 50. ita ſtatutum, *Quamdiu vixerint, laicam tantummodo communionem accipiant* (*b*). Quid vero iſtud eſt? Bellarminus *de Euchar. lib.* 4. *c.* 24. laicam communionem interpretatur communionem ſub una panis ſpecie: quo ſenſu hodie laica communio rectiſſime diceretur, quæ laicis, & vel ipſis Presbyteris, atque Epiſcopis extra ſacrificiorum officia communicantibus datur. Verum, quod jam ſatis conſtet, olim ipſos laicos

M 2 utram-

(a) *At enim in can.* 29. *Concil. Chalced. hæc leguntur*, Epiſcopum in Presbyteri gradum deducere eſt ſacrilegium. Si qua autem juſta cauſſa illos ab Epiſcopali actione removet, nec Presbyteri debent locum obtinere. *Hujus can. occaſio proſtat act.* 4. *ejuſdem Concilii. Lupus in Schol. in eum can. ſcribit*, Hic Canon, immo non Canon, ſed quædam dumtaxat Romanorum Legatorum interloquutio fuit ſemper modicæ auctoritatis. *Fuit quidem is Canon Romanorum Legatorum interloquutio in cauſſa Euſtachii Beryti Metropolitæ, qui duos Epiſcopos a Photio Tyri Metropolita ordinatos depoſuerat ſalvo Presbyteratu, uti ex d. Act. conſtat: ſed eam tamen interloquutionem univerſa Synodus probavit, eamque ut Canonem propoſuit. Nihil eſt, cur de hac re multo ſermone laborem: Conciliorum diſſonantiam, ubi de diſciplina agitur, haud moror, neque optimi quique morantur. Id ex hiſtoria compertum ſit, Chalcedonenſem Canonem vix ullum in Eccleſia uſum habuiſſe: ac ſecundum Nicænum Canonem ſæpiſſime judicatum. V. S. Gregor. Turonenſ. lib.* 7. *c.* 17., *S. Bernard. ep.* 245. *ad Eugen. III.*, & *Anaſtaſ. Bibliothec. in vita Stephani IV.*

(b) *Interdum gravis & publica cauſſa fecit, ut depoſiti in integrum reſtituerentur. Reſtitutum a Cornelio P. Maximum Presbyterum de Novatiano ſchiſmate ad unitatem Eccleſiæ redeuntem, quod ſchiſmaticos bene multos ſuo exemplo ad Eccleſiam revocaret, teſtatur ipſius Cornelii ep.* 46. *al.* 49. *ad Cyprian.*

utramque ſpeciem panis, & vini ſumſiſſe; vides, quam longe a vero abſit opinio Bellarmini. Lindanus *Panopl. lib. 4. c. 58.*, Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 2. cap. 55. n. 6.*, Voſſ. *theſ. Theol. diſp. 23. th. 5.*, & Cabaſſut. *in Notit. diſſ. 16.* laicam communionem intelligunt, quæ non intra Sanctuarium, quo loco ſoli ſacrati Clerici communicabant, *can. 19. Laodic.*; ſed extra ſacros Cancellos laicis dabatur. Verum quidem eſt, quod iſti ajunt de diverſo communicantium loco: at non ſolo loco laicæ communionis vocabulum æſtimandum eſt; ita enim ſi quis Presbyter ægrotans in ſuis ædibus communicaſſet, ea certe fuiſſet laica communio: quod nuſquam ſcriptum eſt. Bene Petrus de Marca *tract. in can. Clericus* ad calcem Baluſii *de emend. Grat.*, & Rigaltius in *Cypr. ep. 52. ad Anton.* laicam communionem accipere idem fuiſſe docent, atque omnino deponi, & omnino laicorum jure cenſeri. Hinc depoſitorum nomina de tabula, hoc eſt, matricula Clericorum expuncta. Aug. *ſerm. de comm. vit. Cleric.* Hinc & clericalem veſtem cum laica commutabant, & clericalem tonſuram cum coma, quam laxare ſolis laicis datum. Synod. VI. in Trullo *can. 21.* Hinc demum Clericalibus privilegiis exuti imperio ſuberant Magiſtratus in cauſſa quum civili, tum criminali.

Communionis laicæ mentio occaſionem dat peregrinæ communionis explicandæ. Hujus primum Regenſe Concilium an. 439. *can. 3.* meminit: tum Agathenſe *can. 5.*, & porro Ilerdenſe *can. 15.*: ex quibus canonibus apparet, eam Clericorum pœnam fuiſſe, præterea nihil. Hinc qualis ea fuerit, anxie quæſitum. Gloſſator Gratiani in *can. 11. cauſ. 13. q. 2.*, Bellarminus *loc. cit.*, & Binius in *can. 15. Concil. Ilerd.* idem eſſe laicam, & peregrinam communionem opinantur. Male. Clerici regulariter nulla ſpe reſtitutionis in laicam communionem detrudebantur: at ad peregrinam redacti poſt actam pœnitentiam gradum ſuum repetebant *can. 2. Concil. Agath.* Idem Gratiani Gloſſator eo vocabulo ſignificari poſſe addit communionem criminoſis quibuſdam dari ſolitam in hora mortis, *quum recedit homo, vel peregrinatur de hoc mundo*. Lepidum caput. Vita quidem peregrinatio eſt, non mors. Quid quod laudatus Canon 2. interpretationem iſtam perſpicue refellit? Eo *can.* traditur, fieri pœnitentia poſſe, ut Clericus de peregrina communione ad priorem gradum evadat: quod recte ſanum hominem, non gravi morbo laborantem ſupponit. Gabrielis Henao *lib. de ſacrif. miſ. p. 3. diſp. 28. ſect. 2.* ſingularis opinio eſt, peregrinam communionem fuiſſe peregrinationes ſive temporarias, ſive perpetuas criminoſis Clericis in pœnam injunctas. Sed nullo antiquitatis Eccleſiaſticæ loco opinio iſthæc juvatur. V. Card. Bona

Digitized by Google

na *de reb. liturg. lib.* 2. *c.* 19. §. 5. Dadini Alteſertæ opinio fere *de juriſd. Eccl. lib.* 9. *c.* 8., peregrinam communionem fuiſſe nudam & ſimplicem communionem precum, quam honeſtis viris injuria excommunicatis pendente appellatione denegatam non fuiſſe, probat ex facto Joh. Chryſoſtomi apud Socrat. *lib.*6. *c.* 9. Verum, ſi ita ſe res habuit, nulla fuiſſe videtur cauſſa, cur ea communio *peregrina* diceretur; namque ea a peregrinis certe dicta eſt: peregrinos autem ſine literis Epiſcoporum ſuorum haud fuiſſe ad communionem precum admiſſos, videtur probare Syneſii *Ep.* 65., ubi de Alexandro Epiſcopo Baſianopolitano ſine communicatoriis literis peregrinanti ſcribit, *In Eccleſiam eum non admiſi, neque ſacra menſa participem feci*: quo loco poſteriora verba Euchariſtiæ perceptionem: priora communionem precum deſignant. Georgius Caſſander *de comm. ſub utraq. ſpec.*, & Voſſius *in theſ. theol.* in ea ſententia ſunt, olim Clericos pœnæ nomine communicaſſe inter peregrinos, quorum gratia ſæpe extra ſtatos dies myſteria celebrabantur: quæ peregrina communio dicta eſt. At quo teſtimonio probatur, peregrinantium cauſſa oblationes extra ordinem factas? Profecto nullo. A peregrinis quidem factum peregrinæ communionis nomen, ſed longe aliter explicandum. Jam *tit.* 2. *h. lib.* ex *can.* 7. Conc. Carth. I., & *can.* 7. Antioch. traditum eſt, Clericos, & laicos communicare vetitos in aliena plebe ſine literis Epiſcopi ſui, quibus de eorum fide, ac moribus conſtaret. Quamquam autem iis Eccleſiaſtica communione interdiceretur, haud denegabantur tamen officia humanitatis; unde ſumtu Eccleſiæ ſeorſim alebantur. Teſtem do *can.* Apoſtolicum 32. in hæc verba, *Ubi neceſſaria eis ſuppeditaveris, ad communionem ipſos non admittote*. Peregrina igitur communio genus pœnæ fuit, quo criminoſi Clerici non peregrini detrudebantur in conditionem peregrinorum Clericorum, qui ſine literis formatis evagabantur. Alebantur quidem illi de reditibus Eccleſiæ; ſed non poterant tamen ullis ſui ordinis muneribus fungi. Et quemadmodum peregrini etiam, ſi ſe vere orthodoxos probaſſent, ad Euchariſtiæ perceptionem admittebantur, uti eſt in *d. can.* 32.; ita Clerici ad peregrinitatem redacti, ſi ſe Euchariſtia non indignos præſtitiſſent, in communionem Eccleſiæ ſuſcipiebantur, ac demum emenſis legitimæ pœnitentiæ ſpatiis officium repetebant ſuum. Dicam paucis. Cum iis Clericis tanquam cum Chriſtianis, non tanquam cum Clericis communicabatur. Et appoſite Albaſpinæus 1. *Obſ.* 3. hujus pœnæ imaginem quandam haud obſcuram deprehendit in jure Romano, quo deportati, quæ ſunt juris Civilis, amittunt: quæ juris gentium ſunt, retinent, *l.* 17. *de pœn.* V. quoque Petavnos.

Digitized by Google

not. in Syneſii ep. 67. Id non omittam, quod Natali Alexandro eſt animadverſum *ſæc.* 6. *art.* 15., *can.* 19. Concil. Aurelian. III. peregrinam communionem abuſione nominis *laicam* dici; namque is canon & Clericis ad laicam communionem redactis recuperandi gradus ſpem certam injicit, & conſueta accipere ſtipendia permittit. Num autem ſententia hæc cum iis, quæ de laica communione ſunt dicta, conveniat, vide. Mihi laica depoſitionis, peregrina ſuſpenſionis effectus videtur. Depoſitio (ut eo redeam, unde diverti) duplex eſt, aut nuda, aut ſolennis. Nuda eſt, quæ nudis verbis, hoc eſt, nuda ſententia: ſolennis, quæ verbis, & re expeditur. Utramque collige ex *can.* 3. Concil. Arelat. I. ibi, *Non verbis nudis ab ordine Cleri amoveatur*. In ſolenni, quæ proprie *degradatio* dici ſolet, *res* eſt ſolennis Clericalium inſignium detractio, a re militari, ac Civili in Eccleſiam traducta, *l.* 2. *de his, qui not. inf.*, *l.* 12. *C. de dignit. lib.* 12., Chryſoſt. *in ep. ad Rom. hom.* 6.; quemadmodum contra inſignium redditione reſtitutio fit gradus. Ecce tibi verba Concil. Tolet. IV. *can.* 24., quem ex Moguntino Concilio laudat Gratianus *can.* 65. *cauſ.* 11. *q.* 3., *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus a gradu ſuo injuſte dejectus, ſi in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe, quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altari de manibus Epiſcoporum: ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum, & baculum: ſi Presbyter, orarium, & planetam: ſi Diaconus, orarium, & albam: ſi Subdiaconus, patenam, & Calicem*. Multa hujus rei exempla congerit Alteſerra *loc. cit.* Ita fracto ſigillo Abbates depoſiti. Matth. Pariſ. ad *an.* 1214. Veterem, ac novum expediendæ degradationis ritum habes in *can.* 3., & *ſeqq. cauſ.* 15. *q.* 7., & *cap.* 2. *de pœn. in* 6., & *ſeſſ.* 13. *Trid. cap.* 4. Sæpe degradati Curiæ tradebantur: quod quid ſit, explicandum. Ea loquutio occurrit in *l.* 53. §. 1. *C. de Ep. & Cl.*; ſed ejus origo altius repetenda, puta ab Honorii Conſtitutione in *l.* 39. *C. Th. eod.*, quam Juſtinianus in *d. l.* 53., & *Nov.* 123. *c.* 14. confirmavit. Ait Honorius, *Quemcumque Clericum indignum officio ſuo Epiſcopus judicaverit, & ab Eccleſiæ miniſterio ſegregaverit . . . continuo ſibi eum Curia vindicet, ut liber illi ultro ad Eccleſiam recurſus eſſe non poſſit: & pro hominum qualitate, & quantitate patrimonii vel ordini ſuo, vel Collegio Civitatis adjungatur* &c. Conſtitutionem hanc, quæ ſatis ſua ſe luce prodit, luculentius explicat Juſtin. *d.* §. 1. his verbis, *Tradi Civitatum Curiis miniſtraturos in poſterum publico*. Igitur Curiæ tradi erat Curiæ miniſterio addici. In eandem ſententiam ſcriptum eſt in *can.* 31. *cauſ.* 11. *q.* 1. ſub nomine Fabiani P., *Curiæ tradatur, cui diebus vitæ ſuæ deſerviat*. At juris Civilis ignoratio fecit, ut

Digitized by Google

ea formula in alium ſenſum detorqueretur, ac depoſitos Clericos *tradi Curiæ* perinde apud Canoniſtas eſſet, atque eos Clericalibus privilegiis exutos ſæcularibus judicibus dedi puniendos. Matth. Pariſ. ad *an.* 1163. Ivo Carnotenſ. *ep.* 53. & 66. Pro pervulgata temporis ſui doctrina eodem modo illam formulam explicavit Innoc. III. in *cap.* 27. *de V. S.*, ubi illud de Clerico jam Curiæ tradito ſapientiſſime addit, *Pro quo tamen debet Eccleſia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur.*

Perſona etiam mulctantur Clerici. Primum huc pertinet mulctæ dictio. Quod peccata eleemoſynis redimi, in Sacris Literis ſcriptum ſit *Daniel.* 4. *v.* 24., receptum in Eccleſia eſt, ut eleemoſynarum elargitio per Confeſſarios pœnitentiæ loco peccatoribus injungeretur. Vetus fuit hæc Eccleſiæ conſuetudo. Auctor *Conſt. Apoſtolic. lib.* 2. *c.* 48., *Et alios quidem*, ait, *ſubjicies ſolis minis, alios eleemoſynis in pauperes*. Ubi externum forum cœpit ab interno ſejungi, conſuetudine quadam fori judices Eccleſiaſtici exemplo ſæcularium mulctas decreverunt occaſione ab eleemoſynis, quæ in foro pœnitentiali imponebantur, arrepta, ita tamen, ut eleemoſynæ in interiore foro omnibus: mulctæ in exteriore ſolis Clericis imponerentur. Quemadmodum autem per Canones vetantur Confeſſarii eleemoſynis injunctis utilitati ſuæ ſtudere, ita cautum, ne judices Eccleſiaſtici mulctas omnino, aut ex parte in ſuum uſum convertant. Epiſcopos, & Comites, qui pro delictis *Wadios*, ſeu pignora capiebant, atque inter ſe pecuniam partiebantur, acerbe diſtringit Synodus Cabillonenſis II. *can.* 18. V. textum in *cap.* 3. *de pœn.*, in eumque Fagnan., & Covarruv. 2. *Var.* 9. Diſerte Tridentinum pecuniarias pœnas in eleemoſynas, aut aliud pium opus impendi juſſit *ſeſ.* 25. *c.* 3. V. S. Car. in Med. I. *tit. de pœn.* Pertinet quoque huc Carcer. Jure Civili carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet, *l.* 8. §. 9. *de pœn.* Hoc idem ex ſententia juris Romani affirmat Bonifacius VIII. in *cap.* 3. *de pœn.*; ſe tamen non improbare ſubdit, ut criminoſi Clerici ſive ad tempus, ſive in perpetuum carceri mancipentur. Quod non eſt novum jus a Bonifacio conſtitutum; namque vel ab eo tempore, quo Monaſteria eſſe in Eccleſia cœperunt, Canonicarum pœnarum numero fuit Clericorum in Monaſterium detruſio, Concil. Agath. *can.* 50., Epaonenſ. *can.* 22., Aurelianenſ. III. *can.* 7., Toletan. IV. *can.* 44., ipſorumque Monachorum in arctius Monaſterium translatio. S. Gregor. *lib.* 1. *ep.* 42., & *lib.* 3. *ep.* 9. De hac in Monaſterium detruſione eſt *cap.* 6. §. *ult. de homicid.*, & *cap.* 35. *de ſent. excom.* Ita Monaſterium in carceris vice fuit; cujus diſciplinæ

[illegible] ali-

Digitized by Google

aliqua veſtigia adhuc ſuper ſunt. Sed vel ante inſtituta Monaſteria Carcer in Eccleſia fuit: & Clerici in Secretariis, aut certe in aliqua eorum parte detinebantur: propriumque Eccleſiaſticorum carcerum nomen *Diaconica*, vel *Decanica*, de quibus in *l. 30. C. Th. de haret.*, & *Nov.* Juſtin. 79. *c.* 3. Quandoque etiam includebantur Catechumeniis (*a*). Deſcribam Gregorii II. verba ex *ep. 2. ad Leon. Iſaurum* in VII. Synodo, *Pontifices, ubi peccarit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii vel amputationis capitis loco Evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in Secretaria, ſacrorumque vaſorum araria conjiciunt, in Eccleſia Diaconica, & in Cathecumena ablegant*. Sed non ſolo carcere Clerici coercebantur. Quod Eccleſia eluendis culpis unice ſtuderet, Clericis Secretario, aut Monaſterio incluſis jejunium, aliave pœnalia opera injungere conſuevit. Gregorius II. in laudata ad Leonem Iſaurum Epiſtola addit, *Ac viſceribus ejus* (criminoſi Clerici) *jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt.* Innocentius III. in *cit. cap.* 27. de Clerico falſi reo, *Hoc tibi*, inquit, *duximus conſulendum, ut eum in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includas pane doloris, & aqua anguſtiæ ſuſtentandum, ut commiſſa defleat, & flenda alterius non committat*. Panem doloris interpretantur nonnulli *hordeaceum* teſtimonio Gregorii Turonenſis *lib. 9. c. 11.*, *Juſſit nihil aliud in uſu veſcendi, niſi panem hordeaceum cum aqua munda aſſumi*. Certis diebus aliquid de ſeveritate remittebatur. Ex Concilio Hybernenſi ſcriptum eſt in *can. ult. diſt.* 82., *Tantum diebus Dominicis, & præcipuis feſtis modico vino, & piſciculis, atque leguminibus recreetur*. V. Gonzalez in *d. c.* 27. Num potuit, aut poteſt Eccleſia exilio damnare? S. Gregorius *cap.* 1. *de calumn.* Subdiaconum calumniatorem jubet *in exilium deportari*. In eandem ſententiam ſunt *can.* 23. *diſt.* 63., *can.* 9. *cauſ.* 3. *q.* 4., *can.* 3. *cauſ.* 3. *q.* 5. At certe tamen, quum Eccleſia vi ſuæ inſtitutionis territorium non habeat, jus in exilium pellendi non habet: quod ipſe Alteſerra Eccleſiaſticæ Poteſtatis vindex acerrimus non diffitetur *d. lib.* 9. *c.* 15. In hanc rem ſæculare brachium implorare debet Eccleſia. *Regis judicio exilio damnetur*, ait Antiochena Synodus in prima Decretalium Collectione apud Ant. Auguſtin. *cap.* 25. *de Clerico excommunicato miniſtrant.* Hoc idem Antiochenæ Synodi caput eſt in Libris Decretalium Greg. IX. *cap.* 2. *eod.*, ubi poſt *judicio* additur, *ad requiſitionem Eccleſiæ*: quæ æquiſſima verborum acceſſio pro-

(*a*) *De Eccleſiarum Secretariis, & Cathecumeniis lib.* 2.

propoſitam ſententiam nihil quidquam obturbat. V. quoque *cap.* 10. *de judic.* Hæc quum ita ſint, jam vides, *exilium* apud S. Gregorium, & in antiquis Canonibus per quandam catachreſin accipi debere, ac forte pro ipſa in monaſterium detruſione; quam, ſi id opus eſſet, per ſæcularem poteſtatem Eccleſia exequebatur, uti ex dictis initio hujus *cap.* intelligere eſt. Interpretationem hanc adſtruunt formulæ illæ apud Eccleſiaſticos Scriptores haud raræ, *Monaſterio relegare*, *Monaſterii relegatio*. *Exilio in monaſteriis relegare*, *In monaſteria*, *tanquam in inſulas*, *relegari*. Conc. Hiſpal. II. *can.* 3. (a), Anaſtaſ. Biblioth. in *Siricio*, & *Anaſtaſ.*, Platina in *Chriſtophoro*. Abſceſsum a patria inter veteres Pœnitentias fuiſſe, habes apud Morin. De verberibus, & flagellatione dictum aliquid, Alia nonnulla dat Bingham. *Orig. lib.* 16. *c.* 4. *§.* 12.

Eccleſiaſticæ pœnæ Clericis æque ac Laicis communes ſunt omnino duæ, Excommunicatio, & Interdictum. Quod cujuſque Societatis jus eſt, id Eccleſiæ quoque jus eſſe debet, ut noxios homines ejiciat ſecundum illud Chriſti verbum *Matth.* 18., *Sit tibi tanquam ethnicus*, *& publicanus*. Ejectio hæc hominis de Eccleſia *Excommunicatio* appellatur. Quod vero duplex eſſet reorum genus, alterum eorum, qui ſceleris ſui pœnitentiam agere detrectabant, alterum eorum, qui ſeſe ſubjiciebant pœnitentiæ, hinc Excommunicatio etiam duplex, prior *mortalis*, poſterior *medicinalis* Auguſtino dicta *Hom. lib.* 50. *Hom. ult.* Mortalem definit Auguſtinus *lib. poſt collat. contr. Donatiſt.*, quæ *a populo Dei ſeparat*: medicinalem, quæ *ad humiliorem pænitentiæ locum redigit*. Publica igitur Pœnitentia Excommunicatio erat, ſed ea tamen minor; unde & *publicæ pœnitentiæ ſubjici*, & *excommunicari* veteribus omnino idem. Auguſtin. *ep.* 108., & *d. lib. poſt collat.*; ut proinde ambigi non poſſit, quot fuere olim Pœnitentiæ publicæ, tot minoris Excommunicationis gradus fuiſſe. V. Morin. *de adm. Pænit. lib.* 6. *cap.* 25., & Inſtitutiones haſce noſtras *lib.* 2. *tit.* 5. Sunt & aliæ in antiquis Canonibus minus propriæ ſpecies excommunicationis; nam Epiſcopos, qui ſine juſta cauſſa Synodis Provincialibus deerant, a Coepiſcoporum *communione alienos* pronunciavit Synodus Arelatenſis *can.* 19.: & ſæpe una Eccleſia ſe ſe alterius communioni ſubducebat, ſicque una alteram excommunicabat, quod non ſentire ſecundum Catholicam doctrinam videretur. Vid. Epiphanii Epiſtolam inter Hieronymianas 60.

N Por-

(a) *Alibi eſt* Monaſterio religari: *quæ phraſis occurrit etiam in Tolet. I.* can. 6.

Porro communicatorias, aut commendatitias literas ad aliquem negare, aut eas ab eo ſcriptas rejicere perinde erat, atque eum excommunicare. De iſtiuſmodi literis actum alibi. Id genus Excommunicationes pœnæ quidem Eccleſiaſticæ erant, longe tamen aberant ab ingenio Cenſurarum, quæ actus ſunt juriſdictionis, nec niſi in ſubditos exercentur. Hoc tempore Excommunicatio eſt aut minor, aut major. Minor hominem *removet a participatione*, ſeu *perceptione Sacramentorum*, & hoc plus a Beneficiis, ac Dignitatibus Eccleſiaſticis, ita tamen, ut collatio irrita non ſit ipſo jure, ſed ſententia judicis reſcindatur: major *a communione fidelium ſeparat*, *cap. ult. de Cleric. excom. miniſtr.*, & *cap. 59. de ſent. excom.* Eſt autem *Communio* non modo ſpiritualium bonorum communium, ſed & civilium officiorum. Spiritualia bona ſunt, quæ homini tanquam Chriſtiano lege Dei: civilia officia ſunt, quæ Chriſtiano tanquam homini debentur jure naturali, gentium, aut civili. Hæc ſunt converſatio, convictus: illa ſunt Euchariſtia, & preces communes. Spiritualibus bonis communibus privatur excommunicatus jure Divino: civilibus officiis jure humano: quod utrumque patet ex verbo illo Chriſti, *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*: publicanus autem, & ethnicus Synagoga quidem excludebantur, non civili ſocietate. Sed jus illud humanum eſt ſane vetus, & Apoſtolis ipſis coævum. Paulus *ad Tit. c. 3. v. 10.*, Joh. *ep. 2. v. 10.* V. Du Pin *de antiqu. Eccl. diſcipl. diſſ. 3. cap. 3.* Sunt tamen juſtæ quædam cauſſæ, quæ civilem cum excommunicato vitando communionem non impediunt, quas ex *can. 103. cauſ. 11. q. 3.* veteres Canoniſtæ tradiderunt hoc verſiculo comprehenſas, *Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*. Qui præter eas cauſſas, & non *in contemtum Eccleſiaſticæ diſciplinæ* cum excommunicato vitando communicat, minorem incurrit excommunicationem: quod ſi in contemtum, pari, puta, majore excommunicatione feriendus eſt, *d. cap. ult.* Minor hæc excommunicatio neſcio num ſæculo XIII. antiquior ſit: certe primum de ea aperte cautum videtur a Gregorio IX. in *d. cap. ult.*, & *d. cap. 59.*: & diſertiſſime Lupus in S. Flaviani ſententiam adverſus Eutychetem notat *p. m. 51. tom. 2. edit. Venet. an. 1724.*, olim nullam fuiſſe Excommunicationem minorem, ſed cum excommunicato communicantem eandem omnino excommunicationem incurriſſe, uti qui nunc in crimine communicat. Tandem quod excommunicatorum devitatio humanæ ſocietati incommoda eſſet, & ſæpe ſcandali occaſionem daret, jure Canonico noviſſimo inductum eſt, ut non omnes ſive in communi vitæ conſuetudine, ſive etiam in Divinis officiis oporteret devitari, ſed is tantum, in quem excommunicationis ſen-

ten-

Digitized by Google

tentia ſit *a judice publicata vel denuntiata ſpecialiter*, *& expreſſe*: itemque is, quem, *licet denuntiatus non fuerit*, *pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in ſententiam latam a Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe*, *quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari*, *neque alio ſuffragio excuſari*: quæ ita cauta ſunt in Extravagante *Ad evitanda*, quam ſub nomine Martini V. tanquam editam in Conſtantienſi Concilio primus propoſuit S. Antoninus *in Summa p. 3. tit. 25. cap. 3.*, ex ejuſque fide Eccleſiæ uſus recepit. Olim uno loco excommunicatus ubique devitabatur: quam diſciplinam Nicæni Patres confirmarunt *can. 5.*; ac, ne quis per ignorantiam communicaret cum excommunicato, excommunicationis ſententia ad alios etiam Epiſcopos tranſmittebatur. Regino *lib. 2. de Eccleſ. diſc. cap. 410.* Rurſus Excommunicatio aut eſt *canonis*, ſeu *latæ ſententiæ*, quam ipſo jure, & ſine facto hominis incurrit qui aliquid lege vetitum committit: aut eſt *judicis*, ſeu *ferendæ ſententiæ*, quam judex cauſſa cognita pronunciat. Diſcrimen ſane maximum inter utramque ſpeciem paſſim adgnoſcunt Canoniſtæ; non enim ante proferri a judice excommunicationis ſententia debet, quam fuerit peccator ſemel, iterum, atque tertio admonitus officii ſui: quam *trinam* admonitionem per *Canones* præſcriptam, ajunt Concilii Epheſini Patres *tom. 3. Concil. General. col. 570.*, & *ſecundum ſanctos Canones* eſſe, inquit Synodus Chalcedonenſis *tom. 4. col. 421.*; atque hanc ipſam *trinam* monitionem ab Innocentio III. *competentem* dici *cap. 48. de ſent. excomm.*, recte monent Canoniſtæ poſt Gloſſam. Quod vero magis magiſque in dies labente Eccleſiæ diſciplina Epiſcopi non admonitos excommunicarent, Synodus Tridentina, ut quantum ejus temporis ratio patiebatur, tam immane arbitrium cohiberet, ſaltem duas adhiberi monitiones juſſit *ſeſſ. 25. de Ref. cap. 3.* Fecit quidem judici poteſtatem Lugdunenſe Concilium *cap. 9. eod. in VI.* unius monitionis *pro omnibus* adhibendæ, quod exemplo juris civilis in *l. 72. de judic.* in jus Canonicum videtur inlatum; ſed ſervare judicem juſſit *aliquorum dierum intervalla*, *niſi facti neceſſitas ea ſuaderet moderanda*: nec veri ſpeciem habet, ſic rem totam judicis arbitrio Eccleſiam permiſiſſe, ut ei liceret pronunciare peccatorem etiam non admonitum, ethnici, & publicani loco eſſe, quum Chriſtus de fideli excommunicando expreſſe dixerit *Matth. 18.*, *Si Eccleſiam non audierit*. At monitione non videtur opus, quum de excommunicatione *Canonis*, ſeu *latæ ſententiæ* agitur, quia lege ipſa jam quotidie admonemur *cap. 26. de appellat.* Id genus Excommunicationis vix eſt, ut ſæculo X. antiquius ſit. Sane in Canonibus ante id ſæculum editis nuſquam occurrunt hæ formulæ, *Sit*

ipſo facto excommunicatus, *ipſo jure excommunicationem incurrat*, aut his ſimiles, ſed tantum hæ, *Excommunicetur*, *Segregetur*, quibus excommunicationem ferendæ ſententiæ comprehendi, ſat norunt Canoniſtæ, aut hæc *Anathema ſit*, quam formulam eſſe omnino comminatoriam, idemque ſonare ac *diris devoveatur*, ſicque factum judicis ſupponere, vir Hebraice, & Græce doctiſſimus Du Pin multis docet *ead. diſſ. cap.* 2. Poſt X. ſæculum primum innotuit; ſed principio multo parcius adhibebatur: tempore addito mire percrebuit. In toto Gratiani Decreto vix unum ejus exemplum extat in *can. ſi quis ſuadente Diabolo* 29. *cauſ.* 17. *q.* 4., ubi de eo, qui Clerico, vel Monacho violentas manus injecit, hæc habentur, *Anathemati ſubjaceat*: & non deſunt tamen, qui excommunicationem ejus Canonis potius ex interpretatione Canoniſtarum uſu recepta, qua ex vi verborum jure excommunicationis latæ ſententiæ cenſeri: tum uſque ad *an.* 1298., quo anno Sextus Decretalium Liber eſt editus, vix 36. ejus Excommunicationis extabant exempla, quæ tamen redigi commode poterant ad pauciora quam 26. Porro ſolus Liber Sextus exempla 32., & Clementinæ ſolæ edidere 50., ſupputante Navarro in *Manuali cap.* 27. *n.* 49. Poſt hæc exemplorum numerus mirum in modum excrevit. Quoniam autem excommunicatio pœnarum maxima eſt, Epiſcopos, ne eam facile addant Conſtitutionibus ſuis, graviter admonet Petrus Damiani *ep.* 12. *ad Alexandrum II.* Eadem ratio dictat, eam *nonniſi pro mortali imponi crimine debere*, uti Meldenſe Concilium inquit apud Gratian. *can.* 41. *cauſ.* 11. *q.* 3. Si ſacras literas, Canones, Eccleſiaſticamque hiſtoriam luſtres, triplicem deprehendes cauſſam excommunicationis, hæreſim, diſciplinæ ſive Eccleſiæ univerſæ, ſive etiam ſuæ infractionem, & gravia quævis delicta. Porro id ſæpe urgent Canones, ac noviſſime Synodus Tridentina *ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 3., ne quis levi ex cauſſa excommunicetur: quod adeo verum eſt, ut ſi quem antiqui Canones jubeant excommunicari, leveſque exprimant cauſſas excommunicationis, ii de minoribus antiquæ Eccleſiæ excommunicationibus, quas modo attigi, omnino ſint accipiendi. Ita illud interpretare, quod Synodus Carth. IV. *can.* 24. habet, excommunicandum eum, qui *Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, egreſſus de auditorio fuerit*. Sed poſtquam minores veteris Eccleſiæ excommunicationes deſiere, hæc jure Canonico novo prodita eſt regula, ſi quis ſimpliciter excommunicatus dicatur, excommunicatione majore excommunicatum intelligi *cap.* 59. *de ſent. exc.* Non ſolum grave, ſed & publicum, & in foro exteriore legitime probatum eſſe crimen debet. Origenes *Hom.* 20. *in Joſue*, S. Auguſtin. *lib.* 3. *contr. Parmen. cap.* 2. Huc faciunt quæ

de

de accuſationibus ediſſerui initio hujus Libri. Præterea contumacem eſſe reum eſt opus. Chryſoſt. in *cap. 13. ep. 1. ad Corinth.* Refer huc quæ ſuperius de monitionibus tradita ſunt: Quod ſi forte vereri Epiſcopus jure poſsit, ne excommunicatio ſchiſma, aut aliud grande periculum injiciat, illum, ut ab ea temperet ſibi, Auguſtinus jubet *lib. 3. contr. ep. Parmen.* Imperatori Theodoſio, unde nihil erat Eccleſiæ metuendum; plane enim erat is non mali ingenii vir, S. Ambroſius communione interdixit; at ab excommunicandis Principibus bene multis male in Eccleſiam animatis ſanctiſſimos, prudentiſſimoſque Pontifices abſtinuiſſe, notius eſt, quam ut plura in id verba adhibeantur. Quippe ſtudium pacis omni tempore Eccleſiæ Patribus ſuprema lex fuit. Venio ad Interdictum. Nimiam ac miſeram Theologorum quorundam in definiendo interdicto diligentiam ſequantur alii, Ego ſic definio. Interdictum eſt Cenſura, qua quibuſdam locis, aut perſonis Divino officio, atque Eccleſiaſticis Sacramentis interdicitur. Eſt autem aut locale, aut perſonale, aut mixtum. *Locale eſt*, quod locum ipſum afficit, ita ut eo quidem loco unuſquiſque debeat Divinis officiis, ac Sacramentis abſtinere, extra eum locum non item. Perſonale eſt, quod perſonam ipſam pertingit, ita ut quocumque eat perſona, hanc ubique ſequatur. Hinc quid ſit interdictum mixtum, tute intellige. Rurſus locale interdictum aut generale eſt, quod Regnum, Provinciam, Diœceſim, Urbemve: aut particulare, quod Eccleſiam unam comprehendit: de quibus in *cap. 10.*, & *17. de ſent. excom.* in VI., ubi & illud habes, nomine Urbis *ſuburbia*, *& continentia ædificia*: nomine Eccleſiæ *Cappellam*, *& cæmeterium Eccleſiæ contigua* contineri. Perſonale etiam interdictum vel generale eſt, puta, quod aut *Clerum* afficit, quo nomine reliquum populum non venire, vt ipſa vocis docemur, aut *populum*, quæ vox (*niſi aliud ſit expreſſum*) non pertinet ad Clerum, *cap. 16. eod. in VI.*; aut particulare, puta, quod certos homines afficit nominatim expreſſos. Magnum inter interdictum, & excommunicationem diſcrimen eſt poſitum. Auxilium Epiſcopum, qui Claſſicianum quendam cum familia excommunicaverat, ſic acerbe ridet Auguſtinus *ep. 75.*, *Doceat, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor* &c. At & univerſa Collegia, & Civitates, & Provinciæ, & Regna ipſa ob atrox aliquod Regum, & Magiſtratuum facinus generalibus interdictis aliquando ſuppoſita ſunt, ut populus interdicti tædio victus clamoribus ſuis Principem ad officium revocaret. Gaufridus Vindoc. *lib. 2. ep. 16.* Quoniam autem multa ſunt generalium interdictorum incommoda, quæ Bonifacius VIII. percenſet in *cap. 24. eod.*

eod. in VI.; Romani Pontifices experimento edocti eorum ſeveritatem in dies emollierunt. Alexander III., qui *an.* 1159. Pontifex eſt electus, ſolum permiſit *Baptiſmum parvulorum*, & *pœnitentias morientium*, *cap.* 11. *de ſponſal.* Innocentius III., qui *an.* 1199. Pontificatum auſpicatus eſt, Confirmationem quoque parvulorum baptizatorum (namque ævo Innocentii Baptiſmum Confirmatio proxime excipiebat de veteri more) & Evangelii prædicationem conceſſit, *cap.* 43. *de ſentent. excom.*, & Clericis, qui ſervaverant interdictum; in Cœmeterio Eccleſiæ ſepulturam *ſine campanarum pulſatione*, at *ceſſantibus ſolennitatibus omnibus*: & Cruceſignatis, ac peregrinis etiam bene valentibus Pœnitentiam, *cap.* 11. *de pœnit. & remiſ.* Gregorius IX., qui an. 1227. creatus eſt Pontifex, privatam miſſam *ſemel in hebdomada, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis* celebrandam indulſit, ut ita *conficiatur Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur*, *cap.* 57. *de ſent. excom.* Denique Bonifacius VIII., cujus Pontificatus incidit in *an.* 1294., omnibus adminiſtrari Pœnitentiam, & quotidie Miſſas, aliaque Divina officia eodem tamen modo permiſit celebrari: *in feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſcha, & Pentecoſtes, & Aſſumtionis Virginis* pulſatis etiam campanis, apertiſque januis, atque elata voce, *excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolennitatum præfatis diebus participationem* permiſit *divinorum*: *ſic tamen, quod illi, propter quorum exceſſum interdictum eſt prolatum, alteri nullatenus appropinquent*, *d. c.* 24. Interdictorum generalium originem nonnulli antiquiſſimam faciunt, laudantque Baſilium *ep.* 244., Auguſtin. *ep.* 187. *ad Bonifacium* (hæc Auguſtini non eſt) apud Gratian. *can.* 8. *cauſ.* 17. *q.* 4., Theodoretum *lib.* 4. *hiſt. c.* 14. & 15., & Concilium Arelat. II. *c.* 49. Sed nihil eſt in iis locis, quod facere ad rem poſſit, V. Du Pin *d. c.* 2. ſub finem, & Van Eſpen *p.* 3. *tit.* 11. *c.* 9. *n.* 16. Primum generalis interdicti exemplum occurrit ſæculo VI. apud Gregorium Turonenſ. *lib.* 8. *hiſt. Francor. c.* 31., ubi ſcriptum eſt, Prætextato Rothomagenſi Epiſcopo die Paſchatis in ipſa Eccleſia, dum Divina officia peragebat, occiſo, Leudovaldum Epiſcopum *Eccleſias Rothomagenſes clauſiſſe, ut in his populus ſolennia Divina non ſpectaret, donec indagatione communi reperiretur auctor ſceleris*. Sub Carolo M. ejuſque ſucceſſoribus cœperunt ea interdicta frequentari.

Id unum eſt reliquum, ut edifferantur nonnulla de Irregularitate, quæ ab Eccleſiaſticis pœnis haud longe abeſt. Quem poſtrema Eccleſiæ ætas novo vocabulo *irregularem* dixit, Nicæni Patres *can.* 17. *alienum a regula* dixere, uti Dionyſius Exiguus ver-

vertit. Alienus autem a regula eſt is, cui Eccleſiaſtica regula impedimento eſt, ne aut adlegatur in Clerum, aut ad ſuperiorem ordinem adſcendat, aut in ſuſcepto ordine miniſtret: unde irregularitatis definitionem tute confice. Iidem Nicæni Patres *can.* 9. ea ratione nonnullos *regula non admitti* ajunt, *quia quod irreprehenſibile eſt, Catholica defendit Eccleſia*: quæ ratio petita eſt ex Pauli Epiſtolis ad Titum, ac Timotheum, ubi Epiſcopos, Diaconos, et, uti Paulum Patres interpretati ſunt, omnes Eccleſiæ miniſtros *ſine crimine*, ac *irreprehenſibiles* eſſe jubet. Igitur irregularitas, quam potiſſimam initio novit Eccleſia, ex crimine, aut criminis ſuſpicione proficiſcebatur: tum aliæ etiam irregularitatis cauſſæ per Canones acceſſere. Omnes ſingillatim perſequi pro varia Eccleſiæ diſciplina, quod facit Thomaſinus *p.* 2. *lib.* 1. a *cap.* 57. ad 91., inſtituti mei ratio non ſinit. Eas ego hic breviter dabo, quæ ſunt hoc tempore receptiores. Irregularitatis ſumma partitio hæc eſt. Ea vel ex crimine enaſcitur, vel ex defectu.

Paulus in eis, quas modo laudavi, Epiſtolis, ac Latini omnes, & Græci Patres criminis puros voluere Eccleſiæ miniſtros. Crimen, uti dictum *lib.* 2. *tit.* 5., grave peccatum eſt. Et quamquam nonnulla ſint Patrum loca, quæ homines lethalis peccati reos nullo peccatorum diſcrimine pronuncient irregulares; vere tamen ſola capitalia crimina irregulares fecerunt; namque ea tantum meminere Concilium Aurelianenſe I. *can.* 9., Epaonenſe *can.* 22., Aurelianenſe III. *can.* 7., & 8., Aurelianenſe V. *can.* 12., & Gregorius M. *lib.* 12. *Reg. ep.* 6., ubi ea eſſe capitalia docet, *quæ per legis ſacræ regulam morte mulctanda ſunt*: ſacræ autem legis nomine ſe legem Moſaicam intelligere, inquit *lib.* 7. *ep.* 50. His accedebant fornicatio, copula cum uxore ante ordinationem ducta, perjurium, aliaque id genus, licet capitalia non eſſent. Johannes II. ad Cæſarium Arelat. Archiep. in cauſſa Contumelioſi *t.* 1. *Concil. Gall. p.* 232., & Zacharias P. ad Bonifac. *eod. tom.* 1. *p.* 533. Forte quæ crimina depoſitioni, ac pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur, ea irregulares faciebant. Hinc intellige, quod Siricius *ep.* 1. *c.* 14., & Concilium Carth. IV. *can.* 68. ajunt, eos, qui publicam agunt, egeruntve pœnitentiam, quocumque ordine excluſos. Certe eos non pœnitentia, ſed crimen, quod publica fuit pœnitentia eluendum, Clericatu prohibebat. Nec publica ſolum, ſed & occulta crimina laicos ordinibus, Clericos uſu ordinum perpetuo excludebant, uti fuſiſſime Van Eſpen *de Inſt. & Offic. Canon. p.* 2. *c.* 2.: quam diſciplinam Petrus Damiani ſæculi XI. ſcriptor multis confirmat ſuo Opuſculo, quod inſcripſit *Gomorrhianum*. Cœpit quidem ſæculo IX. diſtinctio adhiberi inter publica, & occulta crimina, cui diſtinctioni occaſio

ceſſio data per Pſeudo-Iſidorum tribus confictis Epiſtolis, una ſub nomine Calixti I. *ad Epiſcopos Galliarum*, altera ſub nomine Gregorii I. *ad Secundinum*, tertia ſub nomine Iſidori Hiſpalenſis *ad Maſſanum*, quæ proſtant apud Gratianum *diſt.* 50.; ſed ea temporibus Petri Damiani nondum erat paſſim recepta. Primus eodem ſæc. XI. Urbanus II. *ep. ad Conſtantienſem Epiſcopum* arbitrio Epiſcopi permiſit Clericum occulti criminis reum *neceſſitate Eccleſiæ urgente, & ipſius ſancta converſatione promerente* ordini reſtituere: idque ſe *ſecundum indulgentiam dicere*, addit. Tandem poſt Gratiani Decretum ubique ex regula novi juris obtinuit, ut ferme ſola publica crimina inducerent irregularitatem. Superfuere tamen crimina nonnulla, quæ licet clam admiſſa, faciunt irregulares. Supponit id Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 6., ubi licere Epiſcopis inquit *in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus diſpenſare*. Tale eſt homicidium. Olim nihil intererat, num quis dolo malo, an ob ſui tutelam alium occideret. Nicolaus I. apud Gratianum *can.* 6. *diſt.* 50.: videturque vetus diſciplina ſtetiſſe uſque ad tempora Decretalium, *cap.* 24. *de homicid.* Primus Clemens V. eum, *qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit, vel mutilavit invaſorem*, haud eſſe irregularem, diſerte pronunciavit in *Clem. un. eod.* Conſonat Trident. in Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Illud porro habes ex *d. Clem.*, voluntariam ſui, aliorumve mutilationem haud longe ab homicidio abeſſe. Videndus etiam de hac re Innocentius I. *ep.* 4. *cap.* 1. Talia etiam ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ violatio per actum ſolennem, quem vetat cenſura, puta, ſi quis Clericus excommunicatione majore excommunicatus ſciens ordinem ſuſcipiat, *cap.* 32. *de ſent. excom.*, & uſus ordinis, quo caret is, qui eo utitur, puta, ſi quis Clericus in minoribus ordinibus conſtitutus ſolenniter officium exerceat, quod ſupra ejus ordinem eſt, ut ſi Diaconus Miſſam celebret, *cap.* 1. & 2. *de cler. non ord. miniſtr.* Id paſſim ſic traditur ex *d. c.* 1. & 2. Verum, ut libere dicam, quod ſentio, nihil eſt, ex quo intelligas, de occulto crimine in iis agi. At ego vero communem ſequor interpretationem. Denique huc pertinet Baptiſmi iteratio: quo nomine non ſolum rebaptizati, ſed & rebaptizantes, & Clerici rebaptizantibus miniſtrantes ſunt irregulares, *can.* 3. *diſt.* 98., *can.* 10. *cauſ.* 1. *q.* 7., *cap. ult. de bapt.*, & *cap.* 2. *de apoſtat.* Expende, quæ hac ſuper re habet Gonzalez in *cap.* 4. *de temp. ord. n.* 7.

Multi paſſim numerantur *defectus*, qui irregularitatem inducunt: eorumque alii ſunt animi, alii corporis. Defectuum, qui animi dicuntur, primus eſt defectus rationis. Amentes igitur, & Energumeni irregulares ſunt. Quantum ad amentes, ſatis per

ſe

Digitized by Google

ſe res patet. De energumenis v. Conc. Aurelianenſe III. *can.* 6., Gregorium M. *Dial. lib.* 2. *c.* 16., Conc. Toletan. XI. *can.* 13., & *cap.* 51. Caroli Magni *lib.* 7. Pertinet quoque huc Epilepſia, quam laudato Canone Toletano comprehendi, paſſim ajunt. Vulgo autem ita receptum ſcribit Gabaſſutius *Theor. lib.* 5. *c.* 19., ut ſi quis ante exactum XIV. annum Epilepſia corripiatur, eo nomine irregularis non ſit: quam conſuetudinem rationi conſentaneam Hippocratis teſtimonio demonſtrat. Hæc de eo intellige, qui non dum eſt in Clerum adſcitus; ſi quis enim jam Clericus Epilepſia cœperit laborare, non ſemper uſu ordinis prohiberi, perſpicue tradit Juenin. *diſſ. de cenſur. q.* 6. *c.* 1. *art.* 1. Ab iis, qui propter defectum rationis irregulares ſunt, prope abſunt illiterati, quos & ordinari omnium ætatum Canones vetant, & ordinatos officio fungi, quouſque ſcientiam ſuo competentem Ordini adepti ſint. Gelaſius P. apud Gratian. *can.* 1. *diſt.* 36., & Concilium Roman. ſub Eugenio II. apud A. Auguſtin. *lib.* 6. *tit.* 9. Secundus eſt defectus famæ. Qui jure civili notantur infamia, eos Eccleſia Ordinibus arcet, quæ cauſſa eſt, cur eos, qui *luſerint in ſcena*, irregulares pronunciet Gennadius *de dogm. Eccl. c.* 7. Tertius eſt defectus lenitatis. Mites eſſe exemplo Chriſti miniſtros ſuos jubet Eccleſia: hinc inter officia Epiſcoporum illud non ultimum fuit, pro reis capite damnatis intercedere apud Magiſtratus. S. Auguſtin. *ep.* 153. ad Macedonium. Non eſt quidem crimen militiæ nomen dare, juſtoque bello manus conſerere: aut capitalium criminum reos ſive accuſare, ſive damnare: quin id, ſi juſte fiat, fieri & expedit, & neceſſe eſt, tamen ſi quis eorum aliquid feciſſe dicatur, ei aut ſuſceptione, aut uſu Ordinis Canones interdictum voluere. Innocentius I. *ep.* 4. *c.* 3., & *ep.* 23. *c.* 2., & Zacharias P. ad S. Bonifacium Archiepiſc. Moguntin. Hinc quum Panormitanus Archiepiſcopus ex Siculi Regis delegatione in criminoſos quoſdam deberet animadvertere, pœnam ſanguinis *Regiæ poteſtati reſervandam*, Alexander III. reſcripſit in *cap.* 4. *de raptor.* Quod ſi vero Clericus temporalem obtinens juriſdictionem criminales cauſſas *Ballivo* ſuo, aliive committat, eumque *juſtitiæ debitum exequi* jubeat, irregularis non eſt, *cap. ult. ne clerici, vel monachi* in *VI.* Noviſſime a Bonifacio VIII. conſtitutum eſt in *cap.* 2. *de homic.* in *VI.*, irregulares non eſſe Clericos, qui inlatas ſibi a laicis injurias perſequuntur, modo expreſſe, & ex animo proteſtentur, ſe *ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendere*. Quartus eſt defectus libertatis. Servi igitur, niſi a Dominis manumittantur, ordinari non debent, *can.* 82. inter Apoſtolicos, *can.* 29. Triburienſis Concilii, ac *tit. Decretal. de ſerv. non ordin.* Accedere videntur ad ſervos ii, qui publicis ratiociniis obſtringun-

Digitized by Google

tur, de quibus S. Gregorius *lib.* 2. *ep.* 62., & Gregorius IX. *tit. Decretal. de obligat. ad ratiocinia*. Quintus defectus eſt Bigamia, quam in *veram*, *interpretativam*, & *ſimilitudinariam* dividunt Canoniſtæ. Vera eſt, ſi quis priore uxore mortua alteram ducit. Interpretativa eſt, ſi quis in ſacro aliquo Ordine conſtitutus alteram mulierem ſibi contubernalem adjungit, quam ſpeciem pertractat in *cap.* 4. *de bigam. non ord.* Innocentius III., uti liquet ex integra ejus Epiſtola 66. *lib.* 2. edit. Baluzii: aut ſi quis unicam quidem, ſed eam tamen viduam ducit, ſive dirimens aliquod impedimentum obſtet matrimonio, qui eſt caſus *cap.* 7. *eod.*, ſive matrimonium conſiſtat: quo caſu licet inter Canoniſtas non conſtet, num is vere ſit bigamus, an per interpretationem, certe tamen bigamus eſt, perinde ac ſi ſecundas nuptias contraxiſſet: aut demum ſi quis matrimonium conſummat cum unica, cui tamen jam ab alio vitium inlatum eſt, puta, ſi quis ducit meretricem, *can.* 2. *diſt.* 33.: ſed vix eſt ut nunc obtineat genus hoc irregularitatis. Coſta in *Summ. ad tit. de bigam.* Similitudinaria ex multorum ſententia eſt, ſi quis ſolenni voto obſtrictus virginem ducit, quæ ſe Chriſto devovit. Hunc bigamum *ſimilitudinarium* dicunt a ſimilitudine, quæ inter carnale, & ſpirituale matrimonium intercedit. Vide de hac re Fagnan. in *cap. nuper eod. tit.* Irregularitas, quæ ex bigamia vera enaſcitur, antiquiſſima eſt, namque ejus meminit Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 3., & *ad Tit.* 1. Irregularitas, quæ ducta vidua contrahitur, quamque interpretativam dicunt multi, ad priora etiam Eccleſiæ ſæcula referri debet, quod Apoſtolico *can.* 18. memoretur. Sæculo IV., quo ſæculo Innocentius I. *ep.* ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum copioſe ſcribit de irregularite, ſimilitudinariam bigamiam non dum cognitam, ejus Pontificis ſilentio probatur. Multo poſt ævum Innocentianum id genus bigamiæ in jus Canonicum invectum eſt, & forte occaſionem ei dedit mala interpretatio Ancyrani Canonis 18. ex Iſidoriana verſione apud Gratianum *can.* 24. *cauſ.* 27. *q.* 1., qua de re videſis Van Eſpen *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 29. De eo diſputarunt Patres, num qui unam ante Baptiſmum, alteram poſt Baptiſmum duxerat, vere bigamus eſſet. Negabant Græci, quos Hieronymus ſequutus eſt: affirmabant Latini. Græcorum ratio hæc fuit, quod hujus irregularitatis cauſſa ſit ſuſpicio incontinentiæ, quam omnino diſpellit Baptiſmus, ut proinde baptizato homini, qui novus homo eſt, vitio dari non debeat, quod factum eſt ante Baptiſmum. V. *can. Apoſtolic.* 16., & Hieronym. in *ep. ad Tit.*, & *ep.* 83. *ad Ocean.* Latinorum ratio fuit hæc, quod non incontinentiæ ſuſpicio, ſed ſolus uxorum numerus huic cauſſam det irregularitati: Baptiſmo autem *peccata* quidem *remittantur*, *non*

uxorum numerus aboleatur. Innocent. I. *d. ep. cap.* 6. Idem docet Auguſtinus *de bono conjug. cap.* 18., ubi in myſticas unius matrimonii rationes ſubtiliter inquirit. Defectuum, qui corporis dicuntur, primus eſt defectus natalium: Illegitimi igitur, & maxime filii Presbyterorum irregulares ſunt, *c.* 1. *de filiis Presb.* Principio de filiis Presbyterorum per Canones ſancitum ad caſtigandam Clericorum impudicitiam. Impedimenti hujus non obſcura extant veſtigia in *can.* 10. Synodi Toletanæ IX.; ſed is tamen Canon peculiarem continet Eccleſiæ Hiſpanicæ diſciplinam. Tandem ad quoslibet ex injuſto concubitu natos productum jus eſt. De filiis Presbyterorum non ordinandis primum ab Urbano II. generaliter cautum, videtur docere Innocentius III. *lib.* 4. *ep.* 118.: ſed in Decretalibus omne illegitimorum genus ſacris Ordinibus arcetur, *d. cap.* 1.: ac procedente tempore quod de majoribus Ordinibus, ac Beneficiis ſtatutum erat, de minoribus etiam Ordinibus, ac prima Tonſura, & quibuslibet minoribus Beneficiis ſtatui cœpit, *cap.* 1. *eod.* in *VI.* Secundus eſt defectus ætatis, de qua actum *tit.* 7. Tertius defectus eſt vitium aliquod corporis. Eccleſiam *non corporum vitia contemplari, ſed religionem & vitam*, inquit Auctor *Conſt. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 23. Ea tantum vitia obſtabant, quibus *impediebantur Eccleſiaſtica*, uti eſt in *can. Apoſt.* 77. Latina etiam Eccleſia neminem eo nomine irregularem habebat ſæculo IV., quod ex Innocentii I. *ep.* ad Felicem Nucerianum ſatis patet. Sed mox cautum, ne quis *aliqua membrorum damna perpeſſus ad ſacros Ordines adſpiraret*, *can.* 3. *diſt.* 55.: quod idem de eo, *cui erutus eſt oculus*, ſtatutum eſt *can.* 13. Jure Decretalium ea corporum vitia irregularitatem inducunt, quæ aut uſum Ordinis omnino impediunt, aut faciunt, ut non ſine irreverentia, vel offenſione ac periculo exerceri poſſit, *cap.* 1. 2. & *ult. de corp. vitiatis*: cujus rei judicium eſt Epiſcopi, *d. cap.* 2. Hæc de receptioribus Irregularitatibus. Latiſſime hoc argumentum perſequitur ex veteri & nova Eccleſiæ diſciplina Thomaſinus *p.* 2. *lib.* 1. a *cap.* 56. ad 92. Atque hic finem Operi impono, quod Romanæ Eccleſiæ judicio ſubmitto.

ER-

Pag. 8. v. ult. *pro* Epheſinæ *lege* Chalcedonenſis . Pag. 95. v. ult. *pro* in carceris vice *lege* carceris vice.

Quæ ſequuntur pertinent ad Lib. 2. & 3.

Lib. 2. *p.* 146. *v.* 19. *pro* tit. 7. diſſ. 3. *lege* lib. 7. diſp. 3.

Lib. 3. pag. 1. v. ult. not. (*a*) *pro lib.* 1. *tit. de Cleric.* , *lege lib.* 1. *Juris Neap.* Pag. 25. v. 37. *pro* ſi reus a per dolum , *lege* ſi reus per dolum . Pag. 26. v. 8. *pro* prusdenter, *lege* prudenter: & v. 10. *pro* mittendu- , *lege* mittendus: & v. 21. *pro* Burgari , *lege* Bulgari.

MUTANDA, ET ADDENDA

In Juris Canonici Hiſtoria p. 2. *not.* (a) *pro* expendam lib. 2. *lege* , expendit Dovjat. Prænot. lib. 3. cap. 2. *P.* 3. *v.* 30. *ſcriptum eſt* , quum contra exploratum ſit , imaginibus , & maxime ſtatuis abſtinuiſſe veteres Chriſtianos. *Tu lege* , ut plurimum abſtinuiſſe; *non enim omnino nullus* , *ſed rarus fuit olim ſacrarum imaginum uſus* .

Lib. 1. *p.* 63. *v.* 10. *ſcriptum eſt* , at vero Romani Pontificis dignitas mire crevit ſub Alexandro III. *Tu lege* , mire crevit , quantum ad exteriorem politiam.

Eodem lib. p. 67. *v.* 33. *ſcriptum eſt* , de hoc veteri Imperatorum jure in diverſas partes diſputant. *Tu lege* , de hoc veteri Imperatorum jure , quod ſano modo explicandum eſt &c.

Lib. 2. *p.* 146. *v.* 16. *ſcriptum eſt* , hinc & Eccleſiæ & Principum impediendi ac dirimendi juſtas ob cauſſas matrimonii Religionis , Reique publicæ bono poteſtas eſt. *Tu lege* , hinc & Eccleſiæ vi Divinæ ſuæ inſtitutionis , & Principum *ex genere* , & *natura ſua poteſtatis* , uti loquitur Sanchez , impediendi &c. *Eadem p. v.* 22. *poſt verba* , quæ dirimentia nuncupantur , *adde* , hac igitur poteſtate ſola nunc utitur Eccleſia. Vide Tridentini Concilii locum *ſeſſ.* 24. *can.* 12.

Lib. 4. *pag.* 68. *v. ult. adde* , quemadmodum autem Canones *pravas* ſepulturæ gratia *exactiones fieri* vetant , ita *pias* offerendi *conſuetudines* præcipiunt *obſervari* , *cap.* 42. *de ſimon.*

Eod. lib. 4. *p.* 97. *v.* 14. *poſt illa* c. 4. §. 12. *adde* , ſed jamdiu receptum eſt , ut Epiſcopi criminoſos Clericos in exilium jure agant .

Eod. lib. 4. *p.* 102. *v.* 39. *poſt verbum* ſceleris *adde* , quo exemplo ſatis eorum retunditur audacia , qui interdictum eſſe novum atque inſolens cenſuræ genus ab Eccleſia Romana confictum , per ſummam impudentiam affirmant .

ANT 121 C12

Digitized by Google

XV. E. 31

Digitized by Google